The collection
of Consul Smith



GORI, ANTONIO FRANCISCO.

Dactyliotheca Smithiana. . ., Venetiis: Ex Typographio J. B. Pasqualii, 1767.

2 vols in 1. Folio [3]ff.; 3; xix; ccxcviii pp. [i]f. 97pp.; 100 engraved plates of gems (text of vol. 1 misbound after title page of vol. 2 and vice versa). With separate title pages for each volume and frontispiece engraved plate of King George III. Many plates inscribed G. Batta Brustolon and Z. B. Brustolon. Full calf, gilt ornamented spine with red morocco label (skillfully rebacked).

$ 875.00

First Edition of a scarce work on engraved gems based upon the collection of Joseph Smith, Consul to Venice in the 18th century. This splendid book was produced in Venice at the expense of George III who purchased Smith's important collection. "Vol. I contains drawings of 100 gems, chiefly cinque-cento camei, beautifully engraved, each on a separate plate. . .Vol. II, Gori's "Dissertatio Glyptographica," [is] valuable for its notices of the modern artists." — C.W. King. Antique Gems and Rings," v. 2.



Petr. Anton. Novelli inv. et del. *Joan. Volpato sc. Venet.*

DACTYLIOTHECA SMITHIANA

Volumen Primum

GEMMARUM ECTYPA

ET

ANTONII FRANCISCI GORII

ENARRATIONES

COMPLECTENS



VENETIIS.

CIↃ IↃCCLXVII.

EX TYPOGRAPHIO J B PASQUALII.

SUPERIORUM VENIA, AC PRIVILEGIO.

GEORGIO· III

MAGNAE· BRITANNIAE· REGI

TRIVMPHATORI· SEMPER· AVGVSTO

POLITIORVM· ARTIVM· AMPLIFICATORI

BONO· REIPVBLICAE· NATO

GEMMAS· CENTVM

MIRIFICO· OPERE· CVLTVQVE

PRAESTANTISSIMAS

OLIM A· JOSEPHO· SMITHIO· COLLECTAS

DEINDE

IN· REGIVM· LONDINENSE· CIMELIVM

ADDVCTAS

NVNC· TANDEM

AERI· REDDITAS· APTOQVE· COMMENTARIO

EXPLICATAS

DICAT· CONSECRATQVE

JOHANN[illegible] ·BAPTISTA· PASQVALIVS

DEVOTVS· NOMINI· MAIESTATIQVE· EIVS

TYPOGRAPHUS LECTORI
BENE AGERE.



QUAM in prioris voluminis Anteloquio ſpoponderam *Hiſtoriam Glyptographicam*, tibi jam in manus legendam lubens, volenſque contrado. Tanta profecto ex artium omnium hiſtoria enaſcitur utilitas, ut qui varias illarum progreſſiones, viceſque apprime calleat, is unus ſit, qui judicium de illis confidentiſſime ferre queat, valeatque internoſcere, quibus potius temporibus, Graecis ne, an Romanis conſignanda ſint artificum Opera, quae ſibi in oculos incurrunt; nec quae ſunt nuperi ſigillariarii, pro antiquis, ac genuinis ſibi obtrudi patiatur. Quumque hoc ſemper a natura hominibus inſitum fuerit, ut ſua quiſque ſtudia ſequatur; hinc artifices omnes, plaſtae, ſtatuarii, pictores, gemmarum inſignitores, quotquot fuere, in fingendis, exprimendiſque rerum imaginibus, ingenio, ſuſceptaeque peculiari cuidam rationi indulſerunt; quae niſi praecognoſcantur, quid in artibus certi, comprehenſique haberi poterit? Monuimus alibi hiſtoriam hanc a cl. Marietto fuiſſe jam pro virili parte exaratam, atque etiam Franciſcum Victorium ſymbolam contuliſſe lithographis inſignioribus concelebrandis. Videbor ergo, ut in adagio

eſt, eamdem ſemper incudem ad faſtidium uſque retundere, dum Gorianam hiſtoriam legendam apporrigo? Apage tam iniquum de hoc opere judicium. Gorius ſiquidem quae ab aliis fuſa, ac fortaſſe tumultuaria oratione ſcripta fuerant, in pauca contraxit, quodque eſt multo praeſtantius, dilucido ordine, & vel alphabetica ſerie, vel habita ſcholarum, temporumque ratione digeſſit. Dum lithographos memorat, eorum opera proxime adnotat, quae adhuc dum in Cimeliis adſervantur, ut ſi cui volupe ſit ea contemplari, cujuſque artificis ingenium, induſtriamque facilius, ac plenius cognoſcere poſſit. Ita hiſtoria ipſius monumentis adhuc vigentibus communita, teſtataque eſt. Nam quum Achillis, Helenae, Polycratis Tyranni annuli recenſentur, quibus delphin, monſtrum marinum, & lyra inſculpta perhibetur; id quidem artem Glyptographicam ab heroicis uſque temporibus invaluiſſe oſtendit, nihil vero de Gemmariorum peritia, aut ruſticitate condocefacit. Quare in texenda hujus artis hiſtoria, utilitatem cum voluptate conjungens, eam ab epocha multo certiore incohandam duxit. Quod ſi calamum aliquando liberius procurrere paſſus eſt, videturque eos commemorare, qui Gemmarii non ſunt, ſed affines artes factitarunt, indulgendum homini indefatigabili, quem jam torquebat incommoda valetudo, vireſque priſtinae lento morbo delaſſatae, paullatim in dies deſerebant. Quod

ſi bono rei litterariae convaluiſſet, opus ſecundis curis auctum, emendatumque typis commiſiſſet. Bibliothecam etiam Glyptographicam ex integro conſcribere parabat, in qua multa, quae poſt editam a Marietto prodierunt, collectanea Gemmarum opuſcula, commentaria in unum compaginata librum percenſere in animo habebat. Sed haec omnia cum auctoris vita

Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

Hiſtoriam ergo, qualis inter tot diſcrimina ſuperfuit, aequi, bonique conſulas; habes enim ſi forte non omnibus ſuis numeris abſolutiſſimam, illam certe & ſummo labore partam, & perſpicuitate praeclaram, & operis inſtituto accommodatam.

VIVAS. VALEAS. FLOREAS.

LECTORI ΑΡΧΑΙΟΦΙΛΩ

JOHANNES BAP. PASQUALIUS.

QUOD olim a Suetonio memoriae proditum legimus, C. Julium Caesarem, etsi belli artibus, ipsaque Imperii administratione distentum, ita eruditae vetustatis studio, atque amore flagrasse, ut *gemmas, thoreumata, signa, tabellas antiqui operis semper avidissime comparaverit* (1); hoc ipsum nostra aetate laudi vertendum est optimo Magnae Britanniae Regi GEORGIO III. CANADIANO, quem inter armorum strepitus, praeliorumque discrimina his ipsis studiis deditum cum multa patefaciant, tum quod insignem hanc veterum gemmarum supellectilem Gazae suae adjunxerit. Scilicet dum alter hic Caesar regni fines novis adquisitis provinciis amplificaret, dum imperium pelagi iteratis triumphis suis Britannis assereret, dum hostes ab avitis Brunsvicensium sedibus propulsaret, & commercium, florentis Reipublicae basim, ac crepidinem constabiliret, suam de antiquis monumentis, doctisque operibus conquirendis cogitationem ex animo numquam deposuit, ut deinde pace terra, marique parta, cum mansuetioribus Musis libere ageret, mentemque his cimeliis tranquille depasceret. Oh beatam, fortunatamque Britanniam, quae GEORGIO auspice, ac sospitatore ad tantum splendorem evecta est, ut numquam antea felicior, ac

DACTYL. *

(1) Cap. XLVII. Edit. Burmanni Amstelodami 1736.

beatior fuisse videatur! Ille nempe postquam magna Anglorum ingenia ad liberales artes impensius excolendas omnimode excitavit, illustrium artificum opera, praesertimque excellentium pictorum graphides ex Italia accivit, ut praesto essent absoluta illa archetypa, in quae Angli intuerentur, & ex quibus exemplaria depromerent. Et ne quid splendidi suae pinacothecae deesset, eamdem elegantissimis hisce Gemmis auro contra aestimandis, & longa aevitate venerandis cumulavit.

Gemmas porro ejusmodi sagaci, diuturnaque inquisitione, & pro ea, qua hisce in studiis pollet doctrina, collegerat JOSEPHUS SMITHIUS dudum jam apud Venetam Rempublicam Anglicae nationis Consul, negotiorumque publicorum procurator. Sane quum Smithium nomino, Virum clarissimum appello omnibus optimis artibus imbutum, cujus domus, ut illa Messenii apud Ciceronem, ob lectissimarum rerum copiam, ubertatemque, non tam ipsi, quam Urbi nostrae est ornamento. Quis enim est, nisi in literaria republica hospes sit, ac peregrinus, qui Smithii bibliothecam eximiis codicibus, membranis, librisque repertu difficillimis affatim refertam omnium sermone celebrari non audierit? Catalogus nostris ex typis prodiit, ab eruditis viris multa cum Smithii laude exceptus (2). Quis praedicari ignorat praecellentium pictorum tabulas, mirandasque graphides, nummos

(2) Anno 1755.

Graece, vel Latine loquentes, ſigna, anaglypha, & quicquid eſt veterum elegantiarum a Smithio incredibili impenſa conquiſitum, atque comparatum? Quamquam vero ejuſmodi gemmas, ut par erat, permagni faceret homo eruditiſſimus, noſceretque vix aliquid in eo genere elaboratius, aut abſolutius reperiri poſſe; facile tamen a Smithio noſtro impetravit celſiſſimus Rex, ut haec praeclara collectio in Angliam adnavigaret: nihil enim eſt, quod optimus civis patriae commodis ſe debere non perſentiſcat, nihil in quo Regi *Artium Reſtitutori* libenter non morigeretur. Ut plane incertum videatur, cui primas hac in re Angli debeant, num Regi ſuo, qui gemmas illas domeſticis opibus addidit, an vero Smithio, qui poſtquam collegerat, in patriam adſportandas contradidit.

Itaque non privati hominis, ſed Regii Cimeliarchii opes in publicum damus. Diu, multumque eſt, ex quo Principes rei literariae fautores lapillos ab experientiſſimis caelatoribus affabre exciſos ingenti ſumptu redimendos cenſuerunt, indeque aeneis tabulis redditos, & a viris ingenio, doctrinaque praeſtantibus illuſtratos evulgari fecerunt. Regia Palatina ſtirps prima fuiſſe videtur, quae doctis his lautitiis orbem literarium ditaverit; Theſaurus enim Electoralis a Laurentio Begero uberi ſatis commentario explicatus, ante caeteros id genus libros in lucem emiſſus eſt (3).

(3) Theſaurus Gemmarum, & Numiſmatum, quae in Electorali Cimeliarchio continentur. Heildelbergae 1685.

Sed Gallorum Reges, qui post FRANCISCUM I., a quo literae postliminio revocatae, mirumque in modum auctae, amplificataeque sunt, quid est, quod ad artes locupletandas, sive ad Gallici nominis gloriam nobilitandam Lutetias invehendum non curaverint? Teruntur doctorum manibus commentarii, quibus vir summus Petrus Mariettus (4) Regii Cimelii illius gemmas eleganter enucleateque illustravit, tantamque his studiis lucem affudit. Atque utinam illas quoque opere, & eruditione praestantissimas suscepisset explicandas, quae in Dactyliotheca Aurelianensis Ducis (5) novimus adservari! Verum praecipuam in his rebus commendationem nemo audeat Italiae praeripere, quae nullo non tempore artium altrix, ingeniorumque parens exstitit, quaeque veterum monumentorum copia tanto antecelluit, quanto ad reliquas gentes ferme id totum transmisit, quo superbiunt transmontana Musea. Quid memorem Medicos Principes, a quibus literae Graecia extorres in clientelam susceptae? Nihil elegantius, aut praeclarius his gemmis, quas Antonius Franciscus Gorius in lucem extulit, sive in *Museo Florentino* (6), sive in prolegomenis ad *Inscriptiones Etruriae* (7), sive inter *Gemmas Astriferas* (8). Mediceos aemulati sunt Atestii, atque Farnesii Principes. Adhuc aetatem ferunt, & Mutinae visuntur lapilli versicolores, affabreque exsculpti ab Atestiis olim empti, ac

(4) Pierres gravées du Cabinet du Roi. à Paris 1750.
(5) Plures invenies in Actis Regiae Academiae, atque in Diariis literatis Gallorum.
(6) Florentiae 1731. 1732. (7) Florent. 1727. (8) Florent. 1750.

comparati. Farnesia autem Gens, quae cum Romae, tum Parmae magnificas suas aedes omni erudita supellectili ornare consuevit, gemmas quoque, easque, & numero, & artificio mirificas, atque lectissimas habuit; inter quas praedicatione dignissimae sunt, quas Cardinalis Odoardus, Fulvio Ursino proxeneta, domestico Museo adjecit. Harum omnium accuratam delineationem Parmae apud Matthaeum Aloysium Canonici S. J. Praesbyterum, eximium antiquitatis cultorem accepimus exstare; & quantum conjectura augurari licet, eae ipsae sunt, quas Dux Franciscus abs diligenti pictore penicillo reddi jusserat, publicique juris facere, si fata tulissent.

Nihil jam est, quod strenuissimus Angliae Rex, Galliae, Italiaeque Principibus invideat, postquam gemmarum Smithianarum thesaurum Londinum advehi fecit. Non sum equidem nescius, fuisse jam Anglos reconditioris eruditionis, atque doctrinae praeconio clarissimos, a quibus instructissimae, & copiosissimae Dactyliothecae in insula illa constitutae. Celebrabuntur hoc nomine, donec antiquitatis studio suus stabit honos, magna nomina Comitis Arundelli, Ducis de Devonshire (9), Comitis de Tomps (10), Johannis Kemp (11), Georgii Ogle (12). Sed qui his literariis cupediis, atque studiis delectantur, facile intelligent, quan-

(9) Delineaverat Gosmond, incidit Claudius du Bosch.
(10) XL. Tabulae circumferuntur; nec praepropera Possessoris mors plures vulgari passa est. (11) Monumenta Vetustatis Kempiana Londini 1720.
(12) Collection of Gems &c. Taken from the classics by George Ogle London 1741

topere Regia Dactyliotheca caeteras omnes, quae illic sunt, hac nova accessione vincat, atque antecedat.

Sed ad Italos Principes, quorum munificentia, ac patrocinio haec studia propagata sunt, nostra iterum se referat oratio. Illorum sane exemplo tribuendum est, quod ad privatos homines sumptuosa gemmarum inquisitio dimanarit, eisdemque haec cogitatio injecta sit. Profecto quantum in his pretiosis monumentis insit praesidii, sive ad artes perficiendas, sive ad veteres auctores interpretandos, sive ad rerum praeteritarum historiam pernoscendam, primus inter Italos vidit Aeneas Vicus Parmensis, qui cum universum antiquitatis orbem esset complexus, tum primus *Cameos*, ut vocant, & carneolas delineavit, ac Philippo Thomasino vulgandas concessit (13). Postquam vero haec studia paullisper confirmari coeperunt, nullus fuit elegantiarum disciplinarum cultor, qui sibi ad ea non enitendum putaverit. Hinc visi sunt in palaestram prodire Fortunius Licetus (14), Leonardus Augustinus (15), Sanctes Bartoli (16), Marius Piccolomineus (17), Alexander Maffejus (18), & nostra aetate Antonius Borionus (19), itemque Antonius Zanettus (20), qui hoc genus antiquitatis potissimum excoluerunt, & ad tantam celsitudinem evexerunt. Quemadmodum autem

(13) Romae editae duobus ab hinc retro saeculis, forma, quam vocant in 4. sed absque anni nota. (14) Antiqua Schemata Gemmarum annularium. Patavii 1653.
(15) Romae 1657. 1669. Amstelodami 1685. (16) Romae 1702.
(17) A peritioribus Calchographis, qui Romae erant, aeri incisae habentur illius Gemmae. (18) Romae 1707. & tribus sequentibus. (19) Romae 1736. interprete Rodulphino Venuti. (20) Dactyliotheca ipsius prodiit cum commentariis Gorii 1750.

artes omnes, ſcientiaeque in Italia natae, ex Italia ad tranſalpinos migrarunt, ita etiam Glyptologiae ſtudium a noſtris illi acceperunt. Teſtes cieo Abrahamum Gorlaeum (21), Jacobum de Wilde (22), Jacobum Bayerum (23), Guillelmum de Craſſier (24), Michaelem Philippum de Gravelle (25), ipſumque totius antiquitatis decus, & columen Comitem de Caylus (26), qui nobiliſſimos, eruditoſque lapillos in hac noſtra felici Europae parte e telluris gremio copioſius emergere, ac prodire ſenſerunt, ita etiam a noſtris apto commentario explicari conſueſſe, inficiari minime auſi ſunt. Antequam vero gemmaria ſupellex in doctorum hominum aedes traducta literis juvandis, oblectandiſque animis deputaretur, aliquo certe in pretio habebatur. Nam *Camei* Regum veſtibus, coronis, calceis ad ſplendorem aptabantur; imo vero eccleſiaſticis indumentis, ipſiſque ſacrarum Reliquiarum conditoriis ornandis, decorandiſque inſerebantur. Quare nullum eſt Sacrarium, ſive Sceuophylacium antiquitate venerandum, in quo non Mitrae, Lipſanothecae, Imagines gemmatae oſtendantur.

Ut autem ad gemmarum naturam, proprietateſque ſermonem aliquando convertam, miſſa vulgari partitione, quae ex nationibus ducitur, illas in tres prae-

(21) Delphis Batavorum 1601. 1609. (22) Amſtelodami 1703.
(23) Prodiit Norimbergae 1722. Joh. Martini ab Embermayer Gemmarum Theſaurus a Bayero explicatarum, quae tamen magna parte ſuppoſititiae creduntur.
(24) Leodii 1740. (25) Recueil de Pierres gravées par M. l'Eveſque de Gravelle Paris 1732. 1737. (26) Perfrequenter in ipſius antiquitatum Collectaneis ſex voluminibus comprehenſis.

cipuas classes dispescere, ac distribuere placet. Sunt quae magicae nuncupantur, arcana, sed perridicula Gnosticorum, ac Basilidianorum aenigmata referentes. Ejusmodi sunt, sive, quae Johannis Macarii, & Johannis Chifletii opera (27), sive, quae ex Museo Antonii Capello Veneti Senatoris (28) prodiere. Sed postremum in locum procul dubio rejiciendae, quippe quae nihil certi praeseferant, & ab infimis rudibusque Lithographis sculptae appareant. Sunt aliae, quarum aream nihil occupat praeter nudos characteres, & sententiolas, indeque *gemmae literatae* dicuntur, quales celebris Romanus propola Franciscus Ficoronus collegerat; illo autem vita functo, interpretari nequicquam nisus est Nicolaus Galleottus (29). Vanis porro, ineptisque conjectationibus plerumque indulgendum est, ut quid sibi vellint literae eliciatur, interdum vero nil nisi ignotorum hominum nomina, eroticas salutationes, aliaque id genus exhibent; quapropter vix invenias doctae vetustatis indagatorem, qui haec curet. Denique sunt, in quibus Deorum imagines, aut antiquorum theologumena, Heroum, Ducum, Sapientum capita, vel illustria illorum facinora expressa visuntur: quæ rursus duplicis sunt generis. Vel enim thema insignitori propositum solitarie referunt, & tunc ex lapidis qualitate, colore, duritie, ex operis elegantia, venu-

(27) Antuerpiae 1657. (28) Prodromus Iconicus Sculptilium Gemmarum Basilidiani, Amuletici, & Talismanni generis. Venetiis 1702. (29) Romae 1758. Alias id genus Gemmas vulgavit, explicavitque Philippus Venutus Tomo VII. Actorum Academiae Cortonensis. Romae 1758.

ſtateque, ex eruditione, hiſtoriaeque iconiſmo gemma ſuum indipiſcitur pretium. Vel Glyptographi nomen additum legitur; tunc vero in praeſtantiſſimis recenſetur. Philippo Stoſchio, qui grandia in his rebus ſemper animo agitabat, hoc primum in mentem venit, ut gemmas artificum nominibus inſignitas, a Picarto aeri redditas, unoque volumine comprehenſas ad poſteros tranſmitteret (30). Cujus conſilium, quoniam viris eruditis magnopere probari vidit Braſchius Florentinus, aliud ſimilium gemmarum volumen a multis annis pollicitus eſt; datam tamen, obligatamque fidem nondum liberavit. Quoniam vero exploratum, compertumque habebat Smithius noſter hoc epiſemate pretium gemmis, laudemque ſingularem accedere; idcirco nedum eas nanciſci ſtuduit, quae miram artificis induſtriam teſtarentur, ſed quae ingentia SOLONIS, CNAEI, ADMONIS nomina oſtentarent. Non ergo in hoc libro Abraxas, & Taliſmannos, non literatos lapides, non proletarias carneolas, non Aegyptiaca portenta, non informes Etruſcorum ſcarabeos reperies, ſed elegantiſſima quaeque ex Graecorum, Latinorumque ſcalptorum officina profecta.

Quamquam vero illud Lectorem praemonere intererit, quod etſi iſthaec noſtra Dactyliotheca exquiſitiſſimas gemmas a Graecis inſignitoribus ſcalptas complectatur, nonnullae tamen in ea reperiuntur, quae novitii ſunt operis, nempe duobus abhinc retro ſae-

DACTYL. ***

(30) Amſtelodami 1724.

culis excisae. At numquid despicatui idcirco habendae? Numquid libro pretium hinc erit ademptum? Merito, sapienterque animadvertit clarissimus Caylus (31) vehementer decipi, atque errare eos homines, qui nimia erga antiquos gemmarios opifices reverentia, & admiratione praeoccupati, nihil a recentioribus factum putant, quod cum Graecis operibus valeat comparari. Sane post renatas in Italia literas, ita revixit ars gemmaria, ut expressae, scalptaeque per ea tempora a peritissimis sigillariariis imagines, priscam majestatem, Graecum opificium, Atticam elegantiam aemulentur. Hoc in numero sunt *Dejanira*, opus Matthaei Nassari, *Phocion* Aloysii Anichini, *Socrates* Marmittae Parmensis (32). Sed quorsum aliena conquirimus, quum domestica suppetant exempla? Felix artis Glyptographicae renovatio facile percipi poterit ex gemmis novitii operis, quas in hoc volumine oculis usurpare licebit. Ejusmodi sunt Cupido per mare vectus, Medusae caput, Pirrhus, Hannibal, Junius Brutus, Joannes Balleonius, Margharita Farnesia.

Quae quum sint, verissima mihi videtur eruditi Winckelmanni sententia (33), nummos scilicet, & gemmas mutuo sibi respondere, ita ut illis diligenter inspectis, judicium de his proferri queat. Et vero nulla exstitit aetas, nullaque in orbe regio, ubi artifices monetales aeri, argento, auro flando, feriundo praepositi non

(31) Mémoires de l'Académie des Inscriptions Tom. XIX. 1753.
(32) Museum Odescalcum prolegom. §. 24. Romae 1751.
(33) Description des pierres gravées du Baron de Stosch, préface. à Florence 1760.

ſuerint, quandoquidem praecipuum commercii adjumentum, vitaeque commode tranſigendae praeſidium pecunia ſemper habita ſit. Atqui ubicumque fuerunt homines paullo cultiores, ab omni retro aetate lithographi pariter exſtiterunt, quia nulla propemodum fuit natio, quae annulos gemmatos non geſtarit, nulla quae ſcalptos lapillos fibulis, torquibus, armillis, inauribus perornandis ſtudioſe non conquiſiverit. Ex hac conſtanti analogia factum eſt, ut ſi infiniti pene ſunt antiqui nummi, qui ex terrae effoſſionibus, & parietinis, veterumque aedificiorum ruinis quotidie in lucem prodeunt; ſimiliter innumerae exſtant gemmae veteres, quas ad nos Graecia, Latiumque tranſmiſit. Illos neceſſitas, has luxus, illos cupiditas, has ambitio fecit tanto numero excreſcere, ac multiplicari. Sed quoniam ars, quae in nummorum typis incidendis verſatur, & quae in lapillis ſcalpendis eſt occupata, eamdem prorſus ſcientiam, ſimillimam induſtriam, paremque ſagacitatem exquirit, inde de gemmarum aetate ex nummorum qualitate, & opificio licebit aeſtimare. Nimirum quum apud Graecos, ac Romanos florerent artes in nummis utriuſque gentis, conſpicere eſt accuratam figurarum delineationem, partium concinnitatem, characterum elegantiam. Ubi vero ferox ingruit barbaries, arteſque omnes infecit, nihil in moneta videas, niſi abnormem, rudemque formam. Rurſus quum artes in priſtinum ſplendorem

ſunt reſtitutae, revocata quoque eſt officinae Monetalis dignitas. Jam vero ſi gemmas his diverſis temporibus ſculptas contemplari, & cum nummis componere inſtitues, primo ingenioſam operis abſolutionem miraberis, tum ruſticitatem temporum antiquorum perſenties, denique exquiſitiſſimum opificium rurſum prodire videbis, reductaſque artes gratulaberis.

Ut autem, quod in omni hoc anteloquio propoſitum mihi eſſe debet, aliquando conficiam, apertiſſimum, atque veriſſimum memoratae comparationis monumentum exhibet Smithiana noſtra Collectio. Jovis, Apollinis, Herculis imagines nonne veterem illam laborioſam, perfectamque nummorum Graecorum venuſtatem referunt? Pompeii, Liviae Auguſtae, Germanici, caeteraque capita uſque ad Antoninum Pium an non primaevam Latinorum nummorum dignitatem, formamque ſpirant? Quae vero illa mox excipiunt, languentis jam Glyptographiae ſunt indicia. Sed illam ab imo ad ſummum iterum revocatam, reſtitutamque palam faciunt neotericorum gemmariorum opera, quae paullo ſupra indigitavimus.

Sequitur nunc pro ſuſcepti a me muneris ratione, ut de commentariis, quibus Smithiana collectio illuſtratur, verba faciam. Quantam in literaria republica nominis celebritatem, & amplitudinem eſſet conſequutus, dum in vivis ageret, Antonius Franſcicus GORIUS Florentini Baptiſterii Praepoſitus, neminem

latere arbitror. Qualis vir, Dii boni, quantaque praeſtans ſapientia! Eò praeſertim omnes ſuas cogitationes, ſtudiaque converterat, ut Etruſca, Graeca, Romanaque cujuſvis generis monumenta ab interitu vindicaret. Omnem pene aetatem in his literis contrivit, tantique valebat, ut nedum Itali noſtri, ſed quotquot Europa tulit, antiquitatum ſtudioſi Gorium in conſilium adhiberent, ab eo rerum difficillimarum interpretationes expoſcerent, vel ſiquid erant edituri, illius ſententiae, judicioque ſubjicerent. Quot ab eo editi ſunt libri! Quanta ab illo literatis marmoribus, ſarcophagis, numiſmatibus, anaglyptis lux affuſa! Qualem, & quam ingentem poſt ſe reliquit famam! Hac itaque Gorii laude, doctrinaque permotus Smithius literis, precibuſque apud illum egit, ut ſuis gemmis interpretandis operam vellet impendere; ratus abſolutiſſimum exinde futurum fore librum, in quo amice conſpirarent & excellentium litographorum induſtria, & doctiſſimi hominis commentaria. Habes igitur perbrevem, ſed ponderoſam cujuſque gemmae enarrationem ex optimis fontibus ductam, aptaque eruditione adſperſam, in quibus hominem acri ingenio praeditum, & exercitatiſſimum mireris, doleaſque tantum lumen rei literariae praepropere extinctum, tantum virum e mortalium numero ereptum, dum aliis ſacris, profaniſque monumentis edendis elaboraret.

Adeo vero in his ſtudiis eminebat Gorius, & tam

prona, ac benevola erat in amicos voluntate, ut ſuis commentariis aliud opus adnectere inſtituerit, quo ſe de Smithio, caeteriſque viris doctis plurimum mereri putavit. Nimirum *Hiſtoriam Glyptographicam* conſcribendam ſuſcepit, quam ſecundo volumine exhibebimus. Erunt fortaſſe, qui in animum inducant ſuum, Gorium rem actam egiſſe, quandoquidem haec ſparta a clariſſimo Petro Marietto uberrime adornata fuit. Equidem non ibo inficias, Galli hominis librum ubique ſpirare immenſam propemodum harum rerum ſcientiam, diuturnam lectionem, diligentiam, limatumque judicium, ut vix aliquid abſolutius in eo genere ſperare liceat. Nihiloſecius ſua laude fraudandus minime eſt Gorii labor; namque in eo multa occurrunt, quae alibi fruſtra requireres; tum etiam aliam ingreſſus eſt viam ab ea, quam Mariettus iniverat. Primo quidem veterum, & illuſtrium Gemmariorum nomina continuata ſerie percenſet, ſcalptoſque ab unoquoque lapillos, ſiqui ad nos pervenere, enumerat. Neque vero hiſtoriam hanc ex gemmarum inſcriptionibus tantummodo eruere conatur, ſed quicquid ex aliis monimentis, & ſcriptoribus elici poterat, in ſui operis praeſidium accerſivit. Quamobrem, quemcumque voles, ex antiquis caelatoribus apud Gorium uno veluti intuitu invenies: in quo etiam Vaſarium (34), & Victorium (35) ordine, ſedulitate,

(34) Vite de' Pittori, Scultori ec. Tom. II. Bologna 1647.
(35) Diſſertatio Glyptographica. Romae 1739.

rerumque copia devicit. Mox ad ſigillariarios ſequioris aevi progreditur, rerumque patriarum amore illectus, multa diſputat de ſchola Etruſca, omneſque officinas gemmarias, quae Florentiae fuerunt, ſatis prolixa ſcriptione denarrat. Per alias deinde ſcholas, Romanam, Venetam, Langobardicam, Gallicam, Britannicam, Germanicam etc. dicendo vagatur, & quotquot in his floruerunt artifices, eorumque opera laudatiſſima diligentiſſime memorat.

Igitur quum praeſtantiſſimam, ac nobiliſſimam hanc gemmarum ſyllogen Clariſſimus Smithius pro veteri ſua in nos benevolentia ex noſtro typographio in lucem prodire voluerit, illud nobis maxime curae fuit, ut quanto poſſet nitore, in lucem hominum veniret. Rogavimus proinde, ut quae forent vacuae commentariorum pagellae, aliquo Muſei ipſius monumento decorarentur. Initio quidem perrarus, aureuſque Horatii Coclitis nummus ſuperiorem paginae oram occupat: alia deinde venerandae vetuſtatis fragmenta, ubi ſe ſe occaſio dedit, hac illac adpoſuimus. Sed in hiſtoria Glyptographica duo aenea ſigilla exhibemus, olim a celebri Johanne Bologna Belga miro artificio fuſa, quorum primum eſt Neptuni, qualis in nummis ſaepenumero occurrit, alterum Herculis, quum

Foecundam vetuit reparari mortibus Hydram.

Satis me meo muneri feciſſe putavero, ſi libro in publicum inlato, qualecumque noſtrae in Smithium ob-

ſervantiae, grataeque mentis ſpecimen exſtabit, atque ex illo in eruditae vetuſtatis, artiumque perſtudioſos fructus aliquis redundaverit.

VALE. ET. HIS. UTERE. FELIX.


GEMMARVM SYLLABVS.



1. IVPITER AEGIOCHVS	Chalced. bicolor opere anaglypho.
2. IVPITER PLACIDVS	Sarda.
3. IVPITER TRIVMPHALIS	Onyx.
4. APOLLO ARGYROTOXVS	Sarda.
5. FEMINA *ad aram ignitam*	Sarda.
6. CVPIDO *conca per mare vectus*	Chalcedonius, opere extante, ſed novitii operis.
7. PSYCHE	Sarda.
8. FLORA	Sardonyx.
9. FEMINA BIFRONS	Sarda.
10. OPS DEA	Amethyſtus.
11. TERMINALIA	Chalcedonius, CAMEUS. bicol.
12. ADVENTVS AVGVSTI	Chalcedonius.
13. TYPHON	Jaſpis Chalcidica, opere anaglypho.
14. VIR FVGIENS *e vinculis ereptus*	Calcedonius, CAMEUS.
15. FAVNVS	Achates Orientalis.
16. MVSAE *caput*	Chalcedonius, opere extante.
17. FEMINA *bacchae ſpecie*	Chalcedonius CAMEUS.
18. EADEM	Chalcedonius, opus neoterici Gemmarii.
19. BACCHA	Chalcedonius.
20. SATYRI *caput*	Chalcedonius.
21. } MEDVSAE *caput*	Sarda Scalptura anaglyptica nuperi Sigillariarii.
22. } IDEM	
23. HERCVLES IVVENIS	Sarda.
24. HERCVLES OLIVARIVS	Sarda recens, CAMEUS.
25. HERCVLES *monſtrorum domitor*	Chalcedonius, opere extante.
26. HERCVLES AQUILEGVS	Sarda.
27. HERCVLES DEFENSOR	Chalcedonius, CAMEUS.
28. HERCVLES SENESCENS	Chalcedonius, opere anaglypho.
29. HERCVLES EBRIVS	Jaſpis Calcidica, CAMEUS.
30. HOMPHALE	Sarda.
31. LEO MITHRIACVS.	Amethyſta.

32.	AGRICOLAE *frugum ſatores*	Chalcedonius ſculptura ectypa.
33.	BIGARIVS	Chalcedonius bicolor, CAMEUS.
34. 35. 36. 37. 38. 39. 40.	FEMINARVM *capita ignota*	Variis lapillis inſculpta.
41.	POETRIA	Onyx bicolor.
42.	POETAE *caput*	Onyculus.
43.	HIPPOCRATES	Sarda.
44.	ANTISTHENES	Sarda.
45.	DIOGENES	Smaragdus.
46.	SOCRATES	Jaſpis, opus recentioris aevi.
47.	HERACLITVS	Chalcedonius, opere anaglypho.
48.	AESCVLAPIVS	Carneola.
49.	PHILOSOPHI *ignoti caput*	Sarda.
50.	ALEXANDER M.	Chalcedonius.
51.	PIRRHVS	Sarda, artificis neoterici opus.
52.	HANNIBAL	Chalcedonius, CAMEUS recentioris fabricae.
53.	CAPVT IGNOTVM	Chalcedonius.
54.	NVMA POMPILIVS	Chalcedonius, opere extante.
55.	LVCRETIA	Chalcedonius, recens opus.
56.	IVNIVS BRVTVS	Onyx, ſcalptura extans nuperi artificis.
57.	CAIVS MARIVS	Chalcedonius, CAMEUS.
58	POMPEIVS M.	Sarda.
59.	M. ANTONIVS, et CLEOPATRA	Achates.
60.	FEMINA *ignota*	Chalcedonius, neoterici ſigillariarii.
61.	C. IVLIVS CAESAR	Chalcedonius.
62.	LIVIA AVGVSTA	Sarda.
63.	TIBERIVS CAESAR	Chalcedonius.
64.	CALIGVLA	Achates.
65.	GERMANICVS	Sardonyx.
66.	FEMINA *ignota*	Chalcedonius, opere anaglypho.
67.	ANTONIA AVG.	Chalcedonius, CAMEUS.


68.	CLAVDIVS, et MESSALINA	Sarda.
69.	MESSALINAE *caput*	Sardonyx.
70.	S. SULPITIVS GALBA	Sarda
71. 72.	M. OTHO	Quorum poſterior in lapide Chalcidico exciſus.
73.	VITELLIVS	Onyx bicolor.
74.	T. VESPASIANVS	Cynaeus lapis, anaglypha caelatura.
75.	IVLIA AVGVSTA	Chalcedonius, CAMEUS.
76. 77.	DOMITIANVS	Chalced. poſterior, opere extante.
78.	HADRIANVS	Chalcedonius, CAMEUS.
79.	IDEM	Chalcedonius bicolor, CAMEUS.
80.	SABINA AVG.	Chalcedonius.
81.	ANTINOVS	Sarda } Opere anaglypho, quorum aetas incerta.
82.	IDEM	Sarda
83.	IDEM	Chalced.
84.	ANTONIVS, et FAVSTINA	Chalcedonius, extante caelatura.
85.	FAVSTINA SENIOR	Chalcedonius, CAMEUS.
86.	M. AVRELIVS	Heliotropius.
87. 88.	FAVSTINA IVNIOR	Sarda.
89.	L. AELIVS VERVS	Sarda, recens forte opificium.
90.	M. AVREL. COMMODVS	Sarda.
91.	CRISPINA AVG.	Sarda bicolor, CAMEUS.
92.	DIDIVS IVLIANVS	Chalcedonius.
93.	IDEM	Sarda.
94.	SEPTIMII SEVERI AVG. FAMILIA	Chalcedonius.
95.	M. AVRELIVS BASSIANVS	Chalcedonius, CAMEUS.
96.	SEPTIMIVS GETA	Chalcidicus lapis, ſculptura anaglypha.
97.	ELAGABALVS, et IVLIA SOEMIA	Chalcedonius, CAMEUS.
98.	PAVLINA AVG.	Smaragdus, opere extante.
99.	IOANNES BALLEONIVS	} Jaſpides Chalcedonii, CAMEI nuperi Gemmarum inſignitoris.
100.	MARGARITA FARNESIA	



F. A. Novelli del. G. B. Brustolon inc.

HISTORIAE GLYPTOGRAPHICAE
PARS I.

PRAESTANTIORUM
SCALPTORUM GEMMARIORUM
NOMINA,
Operumque eorum Descriptionem
complectens.



ADMONIS



HERCULES. Opus *Sardae* inscalptum, quod exstat in hac Dactyliotheca, ipsumque habes infra in hoc Opere Tabula XXIX. Eius nomen duabus prioribus litteris indicatur ΑΔ, & a nonnullis peritis censentur ipsum ADMONIS nomen indicare; quos illud apud veteres Scriptores memoratum invenisse arbitror. Sed & duae priores litterae ADONIDI, & ADRASTO convenire facile etiam possunt; quae Artificum nomina nota nondum sunt, atque ex eorum operibus inlustria.

AETIONIS

HERCULES BIBAX. *Sardae* inſcalptus. Tabula I. apud Cl. STOSCHIUM.

IMP. CAES. M. AURELIUS ANTONINUS AUG. Ex *Vitro* antiquo. Tabula iI. ibidem.

PRIAMUS. Ex antiquo *Vitro*. Tabula iiI. ibidem.

AGATHANGELI

De hoc eximio Sculptore Gemmario inferius dicam.

AGATHEMERI

SOCRATES. *Sardae* inſcalptus. Tabula IV. *Operis Stoschiani*.

AGATHOPI

CAPUT VIRILE IGNOTUM. *Beryllo* inſcalptum. Alii Sex. Pompeium, alii M. Brutum Caeſaris interfectorem referre putant. De hoc Opere conſummatiſſimo, vide quae adnotavi in Vol. iI. *Muſei Florentini*, in quo Tabula I. num. iI. adfertur. STOSCHIUS edidit; & primus omnium CAUSEUS in *Muſeo Romano*, ſed nil de Artificis nomine adnotavit, quod ignoravit. Tabula V.

Quoties Tabulas cito, intelligo praelaudatum *Opus Stoschianum*.

ALEXA. *Vide* QUINCTUS ALEXA.

ALEXANDRI

AMOR LEONEM DOMANS, ADSTANTIBUS DUABUS FEMINIS. *Sardonychi* anaglypho opere exſcalptus. Tabula VI.

ALLIONIS

MUSA LYRA CANENS. *Sardae* inſcalpta. Tabula ViI.

APOLLO LAURIGER. *Sardae* inſcalptus. Tabula ViiI.

AM-

AMPHOTERI

Rhoemetalces Thracum Rex. *Iaſpidi nigro* inſcalptus. Vide Vol. iI. *Muſei Florentini* Tabula X. num. iiI. Haud tamen certum eſt, huius Artificis nomen ita abbreviatum ΑΜΦΟ.

ANTEROTIS

Hercules Buphagus. *Chalcedonio* inciſus. Tabula IX.

ANTIOCHI

Minerva Bellatrix. Gemma huius Artificis deperdita eſt. Supereſt ectypon ſingulare archetypum ad formas anaglypticas educendas; olim apud Vir. Cl. Andream Andreinium Patricium Florentinum, qui archetypum *Sardae* inciſum mihi narrabat; nunc ipſum ectypon archetypum inter mea Cimelia exſtat; in quae ex ejus *Muſeo* ſulphurea & cerea omnia antiqua Gemmariorum opera poſt eius obitum migrarunt. Hanc imaginem aeri inciſam primus in lucem protuli in Parte I. *Inſcript. Antiq. Etrur. Urbium*, Tabula I. num. IV.

APOLLODOTI

Minerva Salutifera. Ex Gemma *Muſei Barberinii*. Tabula X.

APOLLONIDIS

Taurus procumbens. *Sardonychi* inciſus. Tabula XI.

APOLLONII

Diana Montana. *Amethyſto* inciſa. Tabula XiI.

ASPASII

Minerva Salutifera. *Iaſpidi rubro* inſcalpta. Tabula XiiI.

Jupi-

JUPITER TUNICATUS. *Iaspidi rubro* insculptus. Fragmentum in *Museo Mediceo*. Tabula XIV.

Ex similitudine & praestantia operis addatur JUPITER AEGIOCHUS, ex hac Dactyliotheca, Tabula I. in hoc volumine editus.

ATHANASII

AMAZONUM UNA sculpta est in Gemma, quae Sociis Columbariis ostensa est, & ab eis scripta pag. 85. *Annal.* XII. Artificis nomen tribus prioribus litteris indicatur, nempe ΑΘΑ: sed dubium atque incertum, num nomen artificis, vel aliquid aliud indicet; atque etiam num hoc ipsum nomen vel aliud innuat.

AULI.

Praestantis huius Graeci Artificis Gemmarii octo Gemmae ab eo inscalptae, eiusque praeclaro nomine insignitae habentur, quas accurate describit Vir Eruditissimus FRANCISCUS VICTORIUS, Eques Commendat. Sacri Ordinis D. Stephani P. & M. editis eximiis operibus clarus, in *Dissertatione Glyptographica* Cap. III.

EQUES GRAECUS. *Sardonychi* incisus. In *Museo Florentino* Tom. II. Tabula II. num. I. Apud STOSCHIUM Tabula XV.

QUADRIGA. *Sardae* incisa, Tabula XVI.

DIANA VENATRIX. *Sardae* inscalpta, Tabula XVII.

AESCULAPIUS. *Sardae* inscalptus. Tabula XVIII. in *Museo Florentino* Tom. II. Tabula VII. num. III. Apud STOSCHIUM Tabula XVIII. Exstat in *Museo Strozzio*.

PTOLEMAEUS PHILOPATOR. Ex Ectypis *Stoschianis*. Tabula XIX.

VENUS SEDENS CUM CUPIDINE LUDENS. *Achati vario* insculpta. Exstat in *Museo Victorio* Romae; primum edita &

ta & inluſtrata ab ejus poſſeſſore V. C. FRANCISCO Equit. Commend. VICTORIO in *Diſſertatione Glyptographica*.

IUVENIS EXIMIÆ FORMÆ. *Chalcedonio* exſcalptus, cuius ectypum ab amico accepi. Exſtabat in *Muſeo Capponiano* Romae, nunc in *Muſeo Collegii Romani*, cui omnes Gemmas & alia monumenta, quæ collegerat, teſtamento donavit Ill. Marchio ALEXANDER GREGORIUS CAPPONIUS. Nondum lucem adſpexit.

CUPIDO PAPILIONEM TRUNCO ARBORIS ADFIGENS. Deſcribitur a JOANNE FABRO Bambergenſi in *Commentariis ad Imagines Virorum Inluſtrium Bibliothecae* FULVII URSINI. De hac vide *Diſſertat. Glyptographicam* Cap. III.

Α Χ Ε Ο Χ Η Ι

FAUNUS CITHAROEDUS CUM PUERULO THYRSIGERO. Gemmae inciſus. Ex Ectypis *Strozzianis*. STOSCHIUS Tabula XX.

C AE K AE

GLADIATOR RUDIARIUS. Gemmae inciſus ex Ectypis *Stoschianis*. Tabula XXI.

BACCHUS ET ARIADNE PANTHERAE INEQUITANTES. Inſculp. *Iaſpidi rubro* in *Theſauro Mediceo Muſei Florentini* T. II. Tabula VI. apud STOSCHIUM Tabula XXII.

C L E O N I S

APOLLO CITHAROEDUS. Ex *Sarda Muſei Andreinii*; quae quum perierit, forma pro ectypis ducendis ſola ſupereſt, & in meis Cimeliis adſervatur. Hanc in lucem protuli in Par. I. *Inſcript. antiq. Etrur. Urb.* Tabula I. num. II.

C N A E I

HERCULES IUVENIS. *Beryllo* inſcalptus. In *Dactyliotheca*

Strozzia Romae. Edita in *Museo Florentino* Tom. II. Tabula VII. num. II. in *Opere Stoschiano* Tab. XXIII. Certarunt & adhuc certant Gemmarii in hoc miro opere exprimendo. Habes & in hac Collectione repetitam eiusdem Herculis imaginem Tabula XXIII. cum adscripto eiusdem CNAEI nomine ΓΝΑΙΟϹ. Apud eumdem Cl. STOSCHIUM exstat & Discobuli, sive Athletae integra imago, nondum edita, pretiosissimo lapillo stupendo opere inscalpta, qui audit *Giacinto Guarnaccino*, quam non semel vidi ac suspexi.

Sed CNAEUM praestantem quoque Artificem fuisse in caelandis gemmis anaglyptico opere nuper mihi innotuit. Singulare eius Opus *Cammeo* emptum est Neapoli a Nobili Barone Praefecto Domus Margravii Principis, omnium elegantiarum aestimatoris & cognitoris eximii, quod exhibet Cupidinem compedibus revinctum, manibus post terga vinculis religatis, cum bidente, seu Herculis, seu Neptuni, ad pedes. Hanc Gemmam antea habebat Belisarius Romanus, qui vendidit. Iuvenile caput summo artificio *Sardae* inscalptum exstat Romæ in *Museo Victorio*, addito per siglas CNAEI nomine. Nec dubito hunc & alios Graecos Opifices alias gemmas inscalpsisse, quæ adhuc sub terra latent, nec ad nos pervenere. Fama est in egestionibus Herculanensibus inventas fuisse aliquot Gemmas ornatas nomine Artificum, quae aliquando in lucem, si Deus dabit, prodibunt.

COINI

ADONIS. *Onychi* incisus. *Stosch.* Tabula XXIV. ΚΟΙΝΟΥ. ita scriptum in eximia Gemma, atque ita legendum esse nuper me admonebat idem Cl. STOSCHIUS; quare si per-

si perperam exscripsit nomen Pictor, & ita ΚΟΙΜΟΥ incisum est, delendum, & nomen suae sinceritati restituendum. Hanc Gemmam pretiosissimam post obitum Nobilissimi Comitis CAIMI sibi acquisivit Celsissimus Princeps IOSEPHUS VINCISLAUS DE LICTEINSTEIN, Sac. Romani Imperii Princeps, rebus bello ac pace praeclare gestis toto orbe, atque etiam sapientia & eruditione clarissimus.

CRONII

MUSA LYRA CANENS. Gemma periit. Ectypon servabat in suis *Cimeliis* V. C. ANDREINIUS, quod nunc illud ipsum in meis exstat. Imaginem protuli in Par. I. *Inscript. antiq. Etrur. Urb.* Tabula I. num. I.

DIOSCORIDIS

AUGUSTUS CAESAR, cum astro. *Amethysto* inscalptus. Exstat Romae in *Cimeliarchio* Marchionis DE MAXIMIS. STOSCHIUS Tabula XXV. Huius Artificis praestantissimi, qui sub Augusto floruit, meminit Plinius Lib. XXVIII. Cap. I. cuius sex Gemmae eius manu, ut creditur, sculptae ad nos pervenere. Scalpsit etiam, eodem Plinio teste, imaginem suam, & Alexandri Magni.

AUGUSTUS DIVI F. sine astro. Alterum eiusdem opus *Amethysto* incisum. Exstat in *Dactyliotheca Strozzia*. STOSCHIUS edidit Tabula XXVI.

MAECENAS. *Amethysto* inscalptus. Exstat in *Thesauro* Regis Galliarum. STOSCHIUS Tabula XXVII.

MERCURIUS. *Sardae* incisus. Ex *Dactyliotheca* PHILIPPI DE STOSCH, ab eo editus Tabula XXVIII.

DIOMEDES PALLADIO POTITUS. *Sardae* incisus. Exstat in *Dactyliotheca Seviniana* Lutetiae Parisiorum. STOSCHIUS Tabula XXIX.

PER-

PERSEUS. *Sardae* inſcalptus. Olim in *Theſauro Farneſiano* Parmae, nunc penes Auguſtum CAROLUM BORBONIUM utriusque Siciliæ Regem exſtat. STOSCHIUS Tabula XXX.

HERCULES CERBERUM VINCIENS. In *Onyche* inſcalptus, ex *Theſauro* Regis Boruſſiae. STOSCHIUS Tab. XXXI.

GIGANTUM UNUS PUGNANS CUM IOVE. *Beryllo* inſcalptus admirando abſolutiſſimoque opificio; a me inluſtratus Tabula XXXIII. Exſtat in *Dactyliotheca Zanettiana* Venetiis, quae cum meis Obſervationibus prodiit Venetiis anno MDCCL. in fol.

In alia Gemma, quae exhibet Cupidinem armatum clypeo poſita humi galea, ſcriptum eſt praeclarum Dioſcoridis nomen ΔΙΟϹΚΟΥΡΙΔΟΥ. Utrum ſit eius genuinum opus, docebit nos Illuſtris STOSCHIUS in ſua Appendice ad editum Opus, quam meditatur.

DIPHILI

Inedita eſt, & lucem videre geſtit Gemma praecellentiſſimi operis, quae olim ſpectabatur in *Muſeo Farneſiano*, nunc vero exſtare creditur in *Cimeliarchio* Sereniſſimi utriusque Siciliae Regis. In ea Vas operoſiſſimum ſculptum eſt a DIPHILO, qui nomen ſuum ita inſcripſit ΔΙΦΙΛΟΥ.

De Vaſculis admiranda arte ſculptis in Gemmis non pauca quae adnotavi habes in meo *Florilegio Noctium Corythanarum* Cap. VI. quae ſupervacaneum eſt heic iterum adferre.

EPITYNCHANI

GERMANICUS. In *Achate Sardonyche* exſcalptus. Exſtat in *Dactyliotheca Strozzia*. Editus in *Muſeo Florentino* To. II. Tabula IX. num. I. & a STOSCHIO Tabula XXXII.

EVO-

EVODI

Iulia Augusta Divi Titi Filia. Gemmae *Beryllo* eximiae magnitudinis inſcalpta. Exſtat Pariſiis in *Theſauro* S. Dionyſii. Stoschius Tabula XXXiiI.

EUTYCHETIS AEGEAEI

Minerva Bellatrix. Inſcalpta *Amethyſto albæ*, ex *Theſauro Salviati*, *Colonna*, Romae. Inſignis hic Lithographus patriae ſuae, & Magiſtri nomen in eodem opere ſuo ita inſcripſit:

ΕΥΤΥΧΗϹ

ΔΙΟϹΚΟΥΡΙΔΟΥ

ΑΙΓΕΑΙΟϹ ΕΠ

Stoschius Tabula XXXIV.

FELICIS CALPURNII SEVERI

Diomedes & Ulysses litigantes. Opus *Sardae* inciſum; ex *Dactyliotheca Arundelliana* Londini. Stoschius Tabula XXXV.

Putant nomine Calpurnii Severi indicari vel poſſeſſorem Gemmae, quod a multis factum obſervavimus ex epigraphe in Gemmis addita; vel patronum, cuius Libertus fuerit FELIX Gemmarius praeſtantiſſimus. Neque etiam abſurdum crederem, Calpurnium Severum magiſtrum fuiſſe eiusdem Felicis, qui honoris cauſa ſe eius diſcipulum ſcripſit, eiusque nomen nomini ſuo praepoſuit. Clar. Stoschius edidit Tabula XXXV. Idem nomen praefert antiquorum Gemmariorum, Caelatorum Graecorum aemulus, labore, ſtudio, diligentia ac patientia in ſuis caelaturis eximius, Felix Bernabeus Florentinus, qui ita Gemmas operoſiſſimas a ſe ſcalptas inſcribere ſolet: Β. Φ.

quod monui etiam in meo *Florilegio Noctium Corythanarum*, Cap. VI. pag. 56.

HEII

Diana Venatrix. Gemmae inſcalpta. Ex Ectypo Vitreo *Muſei* ſui Cl. Stoschius Tabula XXXVI.

HELLENIS

Harpocrates. *Sardae* inciſus. Ex Ectypis *Cimeliarchii Strozziani*. Stoschius Tabula XXXVII.

HYLLI

Philosophi caput. *Sardae*, quam *Carneolam* dicunt, inciſum. Stoschius Tabula XXXVIII. In meo *Florilegio Noctium Corythanarum* Cap. VI. pag. 60. adnotatum eſt, viſam ab Academicis Etruſcis fuiſſe inſignem Gemmam ex *Sardonyche*, in qua ſculpta Diana Venatrix ſeminuda, cum cervo ante ipſam; in cuius exergo ſcriptum Artificis nomen ΗΥΛΟΥ; quod utrum genuinum ſit alii viderint. Superius vidimus Dianam venatricem cum cervo ab Heio ſculptam, adſcripto ſuo nomine ΗΕΙΟΥ.

Cleopatra. Opus eiusdem Hylli, *Sardae* inſcalptum. Ex *Fulvii Urſini Imag. Ill.* Stoschius Tab. XXXIX.

Taurus Dionysiacus. Eiusdem, *Sardae* inciſus. Exſtat in *Theſauro* Chriſtianiſſimi Galliarum Regis. Stoschius Tabula XL.

HYLLUS DIOSCORIDIS

Hiſce eximiis Hylli operibus, addo alterum opus artificio & elegantia ſtupendum, quod exhibet protomam Fauni iuvenis ridentis, anaglyptico opere *Chalcedonio* exſcalptam ab eodem magni nominis ſcalptore Gemmario: quod inſigne opus vidi anno MDCCXXX.

XXX. inter *Cimelia* Illuſtriſſimi Viri Iacobi Benedicti Wincleri Baronis Saxonis, quum Florentiae moraretur, ornatum eius nomine tribus in hunc modum lineis comprehenſo,

ΥΛΛΟC
ΔΙΟCΚΟΥΡΙΔΟΥ
ΕΠΟΙΕΙ

& hinc diſcimus eum Dioſcoridis diſcipulum, vel filium fuiſſe. Suſpicabar inventum in Columbario ſervorum Liviae Auguſtae. Hunc ad diſtinctionem alterius Hylli addidiſſe arbitror nomen praeceptoris fama celeberrimi, qualis fuit Dioſcorides, qui aetate Auguſti floruit, atque eius imaginem ſculpſit. (1) Alterum forſitan Hylli opus, quia dubium, infra deſcribam in Par. II. huiuſce Hiſtoriae Glyptographicae.

LUCII

Victoria in biga. Opus *Sardae* inciſum. Ex *Dactyliotheca Marciana* Harlemi. Stoschius Tabula XLI.

MILESII

Ingenio, arte, ac ſtudio praecellentiſſimus, nunc primum in lucem prodit, nomine tantum, Milesius, de quo ſilent veteres Scriptores, nec alius hoc nomine ab Iunio memoratur; cuius opus elegantiſſimum atque abſolutiſſimum in meis Cimeliis exſtat, e *Vitro* (vulgo *Paſta*) quod colore *Sardonychem Achatem* refert. Sed prodibit eximium hoc opus, egregie, ut ſpero, ſuppletum cura & peritia Clar. Baronis De Stosch, cui hoc ipſum meum archetypum dedi, ut ex eo exemplar ſibi acciperet, ac delineandum curaret,

(1) Vide quæ adnotavi in Vol. II. Muſei Florentini ad Tabulam II. num. III. pag. 13.

raret, quod poſtmodum mihi reſtituit. *Vitrum* hoc (quod dolendum) fractum ad nos pervenit; ſed ipſum fragmentum oſtendit magnitudine inſigne fuiſſe eius opus. Sedens ſpectatur APOLLO ante tripodem quadratae baſi impoſitum. Toto corpore nudus eſt, reiecta in humeros chlamyde, quae admirando artificio tam pulchre refluit, ut eius renes veſtiat, & refluat e ſede, quae perelegans eſt; nam eam fulciunt coxae & pedes leonini, & in ſede ipſa ſculptus eſt gryps alatus, ornamentum eidem Numini aptum ac conveniens. In exergo huius eximii operis Artifex ita ſcripſit nomen ſuum ΜΙΛΗΣΙΟΣ.

MITHRIDATIS

CAPUT EQUI collo tenus ſtupendo opere inſcalptum eſt *Sardonychi;* quae eximia Gemma exſtat in *Dactyliotheca Stoschiana;* & lucem videre deſiderat in eius Appendice, ſive ab eo editi Operis Supplemento. Quum Artificis nomen tribus prioribus litteris ſculptum ſit, videndum, utrum MITHRIDATIS, vel alterius Opificis nomen, de quo ſilent veteres Scriptores, deſignet.

MYCONIS

CAPUT SENILE, *Iaſpidi* inciſum; olim apud FULVIUM URSINUM. STOSCHIUS Tabula XLII.

MYRTONIS

LEDA CYCNO VECTA. Gemmae inciſa; ex Ectypis *Strozzianis* STOSCHIUS Tabula XLIII.

NICOMACHI

FAUNUS SEDENS CUM TIBIIS. Opus *Achati nigro* inſcalptum. Olim in *Dactyliotheca* Equitis HIERONYMI

ODAM

Odam Romæ. Nomen adſcriptum Romanis litteris in hunc modum NICOMC. Stoschius Tabula XLIV.

ONESAE

Musa fidibus canens. Ex *Vitro flavo*, ſeu *Paſta*, ut aiunt, antiqua; olim in *Dactyliotheca Andreinia;* nunc in Imperiali *Theſauro Mediceo*. Hanc protuli in *Muſeo Florentino*, Tom. iI. Tabula IV. Stoschius Tab. XLV.

Hercules Olivarius, eiusdem ONESAE Opus, *Sardae* inſculptum; olim in *Dactyliotheca Andreinia*, nunc in Auguſto *Mediceo Theſauro*. Edita a me eſt in To. iI. *Muſei Florentini* Tabula I. num. iiI. Stoschius Tabula XLVI.

PAMPHILI

Achilles Citharoedus. *Amethyſto* inſcalptus. Exſtat in *Theſauro* Regis Galliarum. Stoschius Tab. XLViI.

Idem Emblema Achillis Citharoedi, ſed alio modo a Pamphilo ſculptum, opus admirabile, *Sardae*, ex *Dactyliotheca* Ducis Devoniae Londini. Stoschius Tabula XLViiI.

PEIGMONIS

Bacchans ebrius, saltans. Ex *Vitro*, vulgo *Paſta*, coloris *Amethyſtini*. Exſtat in Regio *Mediceo Theſauro*, quod protuli in Tom. iI. *Muſei Florentini* Tabula iiI. num. iI. pag. 14. Claſs. I. Oſtendi in exprimendo inſignis Artificis nomine erraſſe Leonardum Augustinium & Stoschium; alter legit ΠΕΜΑΛΛΙΟ; alter vero ΠΕΡΓΑΜΟΥ, qui hanc Gemmam propoſuit Tabula XLIX. adiecto nomine ΠΕΡΓΑΜΟΥ, quum ſcriptum ſit ΠΕΙΓΜΟ.

PHARNACIS

Equus marinus. Opus *Sardae* inſcalptum. Olim exſtabat

bat in *Museo Farnesiano* Parmae ; nunc in *Cimeliarchio* Serenissimi Caroli Borbonii utriusque Siciliae Regis. Stoschius Tabula L.

PHILEMONIS

Theseus. *Sardonychi* incisus. Exstat in Caesareo Vindobonensi *Cimeliarchio*; opus immensi eximii laboris & artificii. Stoschius Tabula LI.

Fauni caput hedera revinctum. Opus eiusdem PHILEMONIS, cuius antiquum *Vitrum*, vulgo *Pasta*, ex *Dactyliotheca Strozziana* edidit Stoschius Tabula LII.

PLOTARCHI

Amor Leonem domans. Opus praecellentissimum ex *Achate Sardonyche* exscalptum, olim delicium Cl. V. Andreinii; quo vita functo in *Mediceum Cimeliarchium* migravit. Inter Mediceas Gemmas principem obtinet locum in *Museo Florentino* a me edito Tom. II. Tabula I. num. I. editum quoque a Cl. Stoschio Tabula LIII. Eius nomen in Gemmae exergo ita scriptum, ΠΛΩΤΑΡΧΟΣ ΕΠΟΙΕΙ.

POLYCLETI

Diomedes Palladio potitus. *Sardae* opus incisum ex *Dactyliothecae Stoschianae* Ectypis, olim Abb. Petri Andreae Andreinii Patricii Florentini. Stoschius Tabula LIV. edidit.

PYRGOTELIS

Alexander M. MACEDO. Ex *Sardonyche* anaglyphice exscalptum opus. In *Thesauro* Serenissimi Principis Lotharii Francisci Electoris Moguntini. Stoschius Tabula LV.

Eiusdem

Eiusdem, PHOCION. Ex *Sardonyche* anaglyphico opere exſcalptus. STOSCHIUS Tabula LVI. Hunc inluſtrem Virum cognomento *Bonum* ſculpſit etiam ALEXANDER CAESARIUS, iure ac merito propter artis peritiam Graecus Magiſter cognomento dictus; cuius imaginem habes inter Gemmas nuper a me explicatas *Dactyliothecae Zanettianae* Tabula III. pag. 5.

QUINTI ALEXAE

ACHILLES AD BELLUM PROFICISCENS. Inſcalptus *Sardonychi*; cuius inſigne fragmentum ſervatur Romae in *Dactyliotheca* Viri Clariſſimi FRANCISCI Commend. Equit. VICTORII ab eo inluſtratum in *Diſſertatione Glyptographica* Cap. XXIX. XXX. & XXXI. Ea locum habuit & in Vol. II. *Muſei Florentini* Tabula XCVII. num. I. de qua diſſerui pag. 155.

QUINTILLI

NEPTUNUS. *Beryllo* inciſus. Ex *Dactyliotheca Ludoviſiana*, olim *Boncompagna*, Romæ. STOSCHIUS Tabula LVII.

SCYLACIS

SATYRI CAPUT. *Amethyſto* inciſum, ex *Dactyliotheca Strozziana*, olim Florentiae, nunc Romae. Editum a me in Tomo II. *Muſei Florentini* Tabula IX. num. III. Apud STOSCHIUM Tabula LVIII.

Eiusdem, HERCULES MUSARUM, ſive LYRISTES. Ex *Sardoniche* anaglyptico opere exſcalptus. Apud DOMINICUM THEUPOLUM Patricium & Senatorem Venetum. Editus a STOSCHIO Tabula LIX.

SELEUCI

SILENI CAPUT HEDERA REDIMITUM, *Sardae* inſcalptum. Exſtat Florentiae in *Dactyliotheca Riccardiana*. Protuli in

li in Vol. iI. *Musei Florentini* Tabula IX. num. iI. Apud Stoschium Tab. LX.

SOLONIS

Diomedes Palladio potitus. Gemmae incisum opus, ex Ectypis *Cimeliarchii Strozziani*. Stosch. Tab. LXI.

Eiusdem, Maecenas. Opus *Sardae* incisum; ex *Dactyliotheca Boncompagna Ludovisia* Romae. Stoschius Tabula LXiI.

Eadem Maecenatis imago *Sardae* sculpta exstat Florentiae in *Dactyliotheca Riccardiana*, quae idem SOLONIS antiquum opificium, praestantiam, ac similitudinem refert; & facile eadem Gemma esse potest, quam protuli in Volumine iI. *Musei Florentini* Tabula X. num. iI. ad quam vide quae adnotavi.

Eiusdem SOLONIS Medusa *Chalcedonio* insculpta. Artis miraculum habetur & celebratur; quam nostri Artifices referre conati sunt, ac diu multumque in ea exhibenda desudarunt. Edita a me est in Volumine iI. *Musei Florentini* Tabula ViI. num. I. & a Stoschio Tabula LXiiI. Caelatura ex archetypo apographica habetur & in hac Collectione Tabula XXI.

Eiusdem, Cupido. *Sardae* incisus exstat in *Dactyliotheca* Senatoris Cerretani Florentiae, quam editam vide in Volumine iI. *Musei Florentini* Tabula X. num. I. & apud Stoschium Tabula LXIV.

SOSOCLIS

Medusae, seu Gorgonis caput, *Chalcedonio* incisum ex *Cimeliarchio Otthoboniano*. Stoschius Tabula LXV.

SOSTRATI

Amor leaenas domans currum vehentes. Opus ex

Acha-

Acathe bicolori anaglyptice ſcalptum. Romae in *Cimeliarchio Otthoboniano*. STOSCHIUS Tabula LXVI.

SOTRATI

Diverſum eſt nomen, & caelaturae opificium a SOSTRATO ſuperius laudato, ut obſervat Cl. STOSCHIUS, qui hoc, ut aiunt, *Cameum*, ex *Achate bicolori* exſcalptum adfert Tabula LXVII.

In eo exhibetur MELEAGER & ATALANTA. Hoc thema delineatum manu ſua ad me miſit peritiſſimus Eques HIERONYMUS ODAM, quod ſervo.

TEUCRI.

HERCULES CUM IOLE. Opus inſigne *Amethyſto* inciſum. Olim in *Dactyliotheca* Praeſtantiſſimi Viri Abbatis *Petri Andreae Andreinii*. Poſt eius obitum translatum eſt in regium *Mediceum Theſaurum*, a me editum in Volumine II. *Muſei Florentini* Tabula V. Vide & apud STOSCHIUM Tab. LXVIII. Praeſtantiorum harum Gemmarum omnium cum Artificum nominibus ectypa, & alia plurima, quae in ſuis *Cimeliis* idem ANDREINIUS habebat, in meis nunc adſervantur; ad quae etiam adceſſere quae C. V. Senator BONARROTIUS, dum viveret, in deliciis habebat. Alia fere innumera & ipſe ſedula cura collegi ex Muſeis Amicorum. Priſcarum omnium elegantiarum Vindex & aeſtimatór peritiſſimus Abbas ANDREINIUS obiit Florentiae, ſepultusque eſt in avito Sepulcro in Templo D. MARIAE Virginis ab Angelo Annunciatae; quod, ſi eius filiabus, earumque heredi gratum id fuiſſet, elogio iam a me exſcripto ornare volebam in memoriam tanti Viri, quo auſpice & favente non parum colui ſtudia eruditae Antiquitatis. Adhuc ſi-

ne titulo iacet omni laude maior Vir optimus, omnis vetuſtatis Indagator & Aeſtimator peritiſſimus. Sed de eo plura in Hiſtoria Antiquaria Auguſti Medicei Muſei & ceterorum Florentinorum, quam meditor, ubi etiam de Antiquitatum Collectoribus & Scriptoribus Florentinis eruditis, qui vetuſta monumenta protulerunt, atque inluſtrarunt, luculenter diſſeram; & ſi otium, Deo dante, erit, de Claris quoque noſtris Etruſcarum Urbium Antiquariis ſermo inſtituetur.

THAMYRIDIS

Sphynx caput suum lanians. Opus *Sardae* inciſum ex *Dactyliotheca* D. Baronis de Albrecht Viennae Auſtriae, apud Stoschium Tabula LXIX.

TRYPHONIS

Nuptiae Cupidinis et Psyches. Opus anaglyphum perinſigne ex *Sardonyche* exſcalptum. Gemma eſt eximiae magnitudinis; exſtat in *Dactyliotheca Arundelliana* Londini. Poſtrema eſt inter eas, quas Clariſſimus Stoschius Tabula LXX. in lucem protulit anno MDCCXXIV.

Nec ſilentio praetereundae aliquot Gemmae, quae, ut aliqui putant, inſculpta praeferunt Artificum nomina, ſed dubia & incerta ſunt, quum & ipſa nomina poſſeſſorum Gemmae eſſe poſſint; tamen ſi Gemmae opificium ſit antiquum, & ob praeſtantiam, atque elegantiam ſit conſpiciendum, ipſum Artificis nomen expreſſum eſſe poteſt; ſin tamen praecipuis quibusdam antiquitatis notis careant litterae vel craſſiores, vel minus politae, & informes, ad dominum vindicandum ſculptum credi poteſt.

Ab

Ab his illae Gemmae exſcipiendae, quibus novitio opere inſcalptis Artifices avaritiae ſtimulis agitati non ſuum, quod erat faciendum, ſi opera ipſa exquiſito artis ſtudio eminerent, ſed veterum Gemmariorum Caelatorum nomen ad imperitos decipiendos inſcripſerunt; quapropter aliae Gemmae circumferuntur ornatae praeclariſſimis antiquorum Lithographorum nominibus Auli, Dioscoridis, Solonis, & aliorum nonnullorum, quae lubens praetereo. Ab his etiam exſcipiendae ſunt Gemmae illae ceteroquin antiquo opere & elegantia pulcherrimae, quae Veterum Dominorum nomen, vel integris, vel compendiariis notis praeferunt, quae fauſta auguria, & adclamationes vel feſtivas, vel amatorias, vel funebres continent, vel nomina Clarorum Virorum, famoſorum quoque Aurigarum, Athletarum, Palaeſtritarum, Militum, Philoſophorum, Poetarum, cuius generis plurimas Gemmas, quas *litteratas* adpellamus, dedimus in Volumine II. *Muſei Florentini*, & in Parte I. *Inſcriptionum antiquarum Etruriae Urbium*. Ex his ingentem numerum delineandum curavit amicus meus optimus, Celeberrimus Philippus Venutus, Liburnenſis Eccleſiae Praepoſitus, a quo ſperamus perdocto Commentario ſuo inluſtratas in publicum aliquando prodituras. His adde non paucas Aſtriferas nuper a me editas; adde Aegyptias, ornatas Hieroglyphicis notis, Graecas, & Etruſcas; ſed in Etruſcis nondum obſervatum eſt in ipſis inſcriptum Artificis nomen, ſed Deorum & Heroum adſcripta nomina, ut illa *Muſei Anſideiani*, quam protuli in mea Hiſtoria originis ſtudii Antiquitatum Etruſcarum. Veteres Chriſtiani praeter ſacras Hiſtorias, & Symbola


bola eorum propria , nempe Crucem Domini , Sacrosanctum Monogramma, pisces, anchoram, columbas, navem, ramusculos olearum, palmas, coronas, & alia divina emblemata, sanctas quoque & castas adclamationes in anularibus Gemmis insculpserunt , & litteras , quae ad pietatem & religionem hortarentur, & mutuam inter Fideles fraternam dilectionem , pacem , concordiam conciliarent ac testarentur, quod & Convivalia Vascula Vitrea picturis ornata, & laetis adclamationibus inscripta , perspicue fidem luculentissimam faciunt . Gemmae litteratae , & sacris symbolis atque emblematibus ornatae ab ipsis donabantur propter merita Fidei , Religionis , Societatis , liberalitatis , atque hospitalitatis , tum Christi fidelibus dum viverent, vel etiam defunctis, quae piis adclamationibus decorabantur . Si exempla vellem proferre , nimium benevoli Lectoris patientia abuterer . Clarius id patebit , si Deus dives in omnes qui invocant illum, & vires, & opes praestabit, ut Thesaurus omnium Vasculorum Vitreorum, & Gemmarum , quae in usum fuere apud veteres Christianos, meis curis, ad Sanctae Catholicae Ecclesiae decus, publico studiosorum Sacrorum Cimeliorum bono in lucem proferatur , congestis , ordinatisque in unum corpus omnibus hisce venerandis primitivae IESU CHRISTI Ecclesiae monimentis. Permolestum siquidem mihi est ea hac illac dispersa , & in aliquot libris edita sine ordine videre , cum etiam multa adhuc inedita in Museis Inlustrium Virorum delitescant, nec nisi multis curis & impensis haec Collectio omnium luculentissima & absolutissima parari possit . Sed *in magnis & voluisse sat est ;*

si id


ſi id ego obtinere minime potero, (quoad vixero id omne quod potero meis viribus faciam) alii facient, & quod flagrantiſſime ego cupio, ipſi accuratius & ſplendidius praeſtabunt.

Redeo, his expoſitis, ad nomina quaedam dubia & incerta praeſtantium Caelatorum, quae antiquis Gemmis inſculpta leguntur, quae in altera parte, quae ſequitur, recenſenda exiſtimavi.






P. A. Novelli del. *G. B. Brustolon inc.*




P. A. Novelli del. G. B. Brustolon inc.

HISTORIAE GLYPTOGRAPHICAE
PARS II.

Praestantium Antiquorum SCALPTORUM GEMMARIORUM NOMINA VEL DUBIA VEL INCERTA Operumque eorum Descriptionem complectens.



ABASCANTI



Gemmae ectypum cum his litteris vidi apud Inlustres Socios Columbarios Florentinos, qui illud descripserunt *Annal.* IV. pag. 53. Multi hoc nomine ABASCANTI celebrantur in antiquis marmoribus, quae in *Thesauro Gruteriano*, & in meis *Collectaneis* adferuntur. Neque incredibile est ABASCANTUM in caelandis Gemmis peritum fuisse, quum fuerit Libertus C. Fufii Zmaragdi Margaritarii, qui officinam habebat suam in

Via

Via Sacra Romae, in qua praecipua opera ſua faciebant, & vendebant complures praeſtantes Artifices, nempe Geniarii, qui Geniorum Imagines faciebant, Gemmarii, Margaritarii, Flatularii, Sigillariarii, Scalptores, & Caelatores, quos frequentes in priſcis Saxis nominatos legimus. Ex *Donianis Inſcriptionibus* hunc titulum ſepulcralem adfero ad fulciendas pro ABASCANTO meas coniecturas. (1)

C. FUFIO. ZMARAGDO
MARGARITARIO. DE
SACRA. VIA. ARBITRATV
FVFIAE. CALICAE. VXORIS
ET. ATIMETI. ET. ABASCANTI
LIBERTORVM
LIBERTIS. LIBERTABVSQ.
POSTERISQ. EORVM

Pitiscus haec habet: „Margaritarii dicebantur, qui „gemmas & margaritas agnoſcebant & vendebant „in Circo ſponſoribus, Praetoribus, Quaeſtoribus, „ceterisque, qui ludos ederent, qui eas victoribus „largiebantur. Sed & omnibus, qui emere volebant, „puto Margaritarios Gemmas vendidiſſe, adeo„que & ABASCANTUM haud improbabile eſt „cum Atimeto conliberto ſuo, iubente C. Fuficio „Zmaragdo, Gemmas vendendas inſculpere potuiſſe.

Domitium Abascantum inter praeſtantes Artifices recenſet Franciscus Iunius, qui in antiquo lapide apud Gruterum DCXXV. 9. memoratur.

BE-

(1) Claſs. XVII. num. 18.

BESITALI

Aliger Amor stans, haſtae, ſeu potius arundini innixus. Opus perelegans *Achati Sardonychi* inſcalptum. Exſtat in *Theſauro Mediceo*; editum vide in *Muſeo Florentino*, Volumine II. Tabula III. BESITALI nomen Graecis litteris ita inſculptum eſt ΒΕΙCΙΤΑΛΟΣ, ſed ſatis grandibus, praeter uſitatum Caelatorum morem; qui nomen ſuum litteris quamminimis, ac tenuiſſimis, exilibusque ductibus perfectis, non ſcabris, aut diſtortis, ac vitioſis incidere conſueverunt. Interdum etiam litteras crebris punctis effinxerunt, uti ſpectantur in aliquot praeſertim Athenienſium numis: quam ſcribendi conſuetudinem, ut a reliquis Artificibus ſe diſtingueret, praeſertim Gnaeus ſuperius laudatus uſurpavit. Nec raro etiam decurtatum, prioribus adſcriptis litteris, nomen expreſſerunt. Adcedit, quod Graeca omnia tum virorum, tum feminarum nomina aliquid ſemper ſignificant; at hoc ΒΕΙCΙΤΑΛΟΣ, hoc modo ſcriptum, nullam interpretationem ſignificationemque admittit; ni tamen Β pro Π vel Δ ſcriptum ſit. (1)

EVELPISTI

Hoc nomen ita Graecis litteris ſcalptum legitur in Gemma Symbolica, in qua quatuor capita virilia ſculpta, & Elephantis proboſcis cum Mercurii caduceo; nempe ΕΥΕΛΠΙCΤΟΥ. EVELPISTI; quam adfert Clariſs. Io. Chifletius in *Socraticis Gemmis* Tab. IV. num. 15. quam vide.

G GE-

(1) Vide quae adnotavimus ibidem pag. 15. & 16.

GELIUS, ſive GELLIUS,
Spurium Artificis nomen pro GNAEUS.

Huius Artificis nomen expunxit a Catalogo veterum Scalptorum Clariſſimus Auctor *Diſſertationis Glyptographicae* Cap. II. pag. 5. ſed poſtquam videre atque obſervare ei licuit in *Muſeo Victorio* ceram ab exemplari Gemma ductam, indubiae antiquitatis honori reſtituit in *Indice Rerum*, v. *Gellius*. In ea vero Gemma legitur ΓΗΛΙΟΥ; non autem ΓΕΛΙΟΥ, ut aliqui ſcripſere: & videndus Clariſſimus Rodulphinus Venutus in *Collectanea Antiquitatum Romanarum* pag. 53. Sed, ni fallor, inſignis haec Gemma (*Giacinto Guarnaccino*) ea ipſa eſt, quam paucis abhinc annis ſibi comparavit Inluſtris Stoschius, quae nudum Athletam exhibet ante menſam tripodem, cui impoſitum vas cernitur; & in ea, ſi probe memini, dum aſpicerem, non ΓΗΛΙΟΥ, ſed ΓΝΑΙΟΥ ſcriptum eſt; adeoque huiusmodi eximium opus GNAEO Scalptori praeſtantiſſimo, non vero GELIO, ſive GELLIO tribuendum.

HORI

Gemmam vidi referentem eleganti opere Silenum, quam Socii Columbarii Florentini in *Annali* ſuo X. pag. 27. deſcripſerunt, in qua credebatur ſcriptum Artificis nomen. Sed quum inſculptum ſit Graecis litteris ΟΡΟΥ, quum ſcribendum eſſet ΩΡΟΥ, inter dubias, & incertas, vel fictitio nomine potius ſcriptas, hanc Gemmam commemoravimus.

HYLLI

Vidi etiam ectypon Gemmae pulcherrimum, in quo mirabili opere Scalptor exhibuit Gallum gallinae incuban-

cubantem. Fracta est Gemma, in qua hae tantum litterae supersunt. ·.. ΛΟΥ· quae forsitan ΥΛΛΟΥ HYLLI superius laudati nomen indicant. Sed nihil definio haud inspecto archetypo, quod tamen sincerum & autographum esse potest.

NICEPHORI

Vulcanus Cassidarius; nempe cassidem, sive galeam fabricans. *Sardae* inscalptus est, quae exstat in *Thesauro Mediceo*. Protuli eam in Volumine II. *Musei Florentini* Tabula XV. num. III. Vulcanus sculptus est iuvenis imberbis, exemplo Etruscorum, qui eum iuvenem vultu eleganti & imberbem effinxerunt, teste Etrusca patera edita in meo *Museo Etrusco*, Tomo I. Classe II. Tabula CXX. Sedens igitur galeam fabricat Vulcanus Achilli a Thetide dono dandam. Artificis nomen, more solito, genitivo casu sculptum est ΝΕΙΚΗΦΟΡΟΥ, pro ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, cuius scripturae sexcenta in scriptis monumentis exempla occurrunt. Quamvis igitur nihil & operis elegantiae, antiquitati, & inscriptis litteris adversetur, tamen inter Gemmas dubias recensendam existimo.

PHILETIMI

Gemmae, quae dicitur *Granato*, & exstat in *Mediceo Cimeliarchio*, a me editae Volumine II. *Musei Florentini* Tabula XVII. num. V. inscalptus est Auloedus Pythiorum Victor, qui duplices tibias manu gerens adcedit ad mensam Apollini Pythio sacram, in qua posita sunt praemia, quae consecutus est in musico certamine. Verosimilius est hoc ipsum nomen non Artificem, quamvis opus sit egregium, sed potius ipsum Philetimum victorem indicare. Nam, ut diximus,

ximus, Athletis, Aurigis, Poetis, Oratoribus, ac Musicis, aliisque qui in sacris ludis & certaminibus vicerant, donari solebant Gemmae ornatae vel eorum imagine, vel nomine, quae apud eos & posteros essent spectatae eorum virtutis & ingentis gloriae monimenta.

PHILIPPI

HERCULIS CAPUT OLEASTRO CORONATUM, inscalptum *Sardae*, quae adservatur in Cimeliis *Mediceis*. Edita est haec Gemma in Volumine II. *Musei Florentini* Tabula XII. num. I. Inscriptum est nomen ΦΙΛΙΠΠΟΥ manu antiqua; sed dubium est, utrum eo indicetur Philippi Macedonum Regis nomen, qua imagine ad obsignandum usus forsitan est; nam opus ipsum miro artificio, miraque operis venustate perfectum conspicitur; an vero Artificis nomen, incertum. Macedonum Reges ab Hercule genus suum repetebant; quare & in numis eiusdem Philippi Regis caput Herculis impressum cernitur; quod aliis expendendum relinquo.

PHILOCALI

Servatur inter *Medicea* Cimelia *Sarda*, in qua inscalptum CAPUT IUVENIS oleaginea corona redimitum, cum hac epigraphe: ΦΥΛΟΚΑΛΟΥ, PHILOCALI. Incertum est, an Victorem in sacris certaminibus referat, adiecto eius nomine, an potius Artificem Gemmarium, quem indicare potest. Hanc protuli in Parte I. *Inscriptionum antiquarum Etruriae Urbium*, Tab. V. num. III. De his igitur nihil definio, sed incertus adhuc haereo, & aliis iudicium relinquo.

STE-

STEPHANI

Praefert Medicea Gemma inſcalptum *Sardae* PEGASUM, qui Muſis in Helicone fontem aperuit, qui inter ſidera conſtitutus eſt. Latinis litteris nomen inſcriptum eſt operi profecto elegantiſſimo. Si quis Artificem indicari velit, nihil repugnabit; incertum tamen iudicium erit, ut obſervabam in Volumine II. *Muſei Florentini*, pag. 52. in quo edita a me eſt haec Gemma Tabula XX. num. III. Laudat Plinius (1) STEPHANUM, cuius praeter alia Opera in Aſinii Pollionis Muſeo ſpectabantur & Hippiades STEPHANI.

TARSI

Imaginem vidi HERCULIS *Sardae* inſcalptam, cum adiectis litteris TAPCOY. ambiguum Artificis nomen. In *Annali* VIII. Societatis Columbariae de hac caelatura eruditi Socii differuerunt pag. 105. & 106. Creſcit in dies impoſtorum ſagax avaritia id inhiantium, ut magno pretio vendant Gemmas imperitis Cultoribus Vetuſtatis, qui anulis cum Artificis nomine mirum in modum ſuperbiunt, idque honori ac laudi ſibi ducunt; quos velim potius magis cautos & amicos verae ac ſincerae virtutis: nam hae Gemmae ſi peritiſſimis viris oſtendantur, qui norunt vera a falſis, ſincera ab apocryphis diſcernere, pro laude contemtum accipient. Solent etiam vel ipſi Gemmarii Artifices, vel Mercatores, vel etiam Gemmarum poſſeſſores antiquis caelaturis exquiſito opificio inſignibus vetuſti Scalptoris nomen adiicere, ſed plerumque produnt inſcitiam ſuam, qui vel litteras rudiore ſtilo inſcal-

H punt

(1) Lib. XXXVI. Cap. IV.

punt & vitiis ſcatentes ; vel turpia menda in integro nomine ſcalpendo, perfectaque litterarum forma exhibenda committunt ; quod frequenter impoſtoribus contingere ſolet. Sexcenta poſſem recenſere exempla tum in numismatis, tum in Scriptis marmoribus perpetrata, ſed abſtineo, ne nimius ſiem. Illud, ut alios cautos reddam, non tacebo, aliquos nunc vivere Artifices, qui planis gemmis aptant capita vel ex ebore, vel plaſtico albo opere efficta, ut nitida *Camea* adpareant, omnemque cum arte fucum adhibent, ut emantur. Neque etiam impoſtorum manus Statuae & Simulacra effugerunt. Portentum artis, Veneris Mediceae ſimulacrum dumtaxat non reticebo, cuius baſis, ſuperaddita antiquae, inſcripta eſt litteris Graecis, pro dignitate ac maieſtate operis, auro inlitis ; quam epigraphen antiquam manum non referre aut redolere iam obſervavi, (1) eaque non ſolum aliquot mendis ſcatet, verum etiam litterae non referunt Graeci Sculptoris omnium praeſtantiſſimi ſummam artis ſcientiam, iudicium, ſolertiam conſummatiſſimam. Magis peccant Gemmarii illi Artifices, qui ſuis operibus, praeſtantium Graecorum Caelatorum in Gemmis nomen, ut fucum faciant, & Cultoribus imponant, adiiciunt, eorum pecuniae inhiantes, quos tamquam fures plectendos eſſe cenſeo ; minus vero peccant, imo aliqua laude digni ſunt, qui inſignium Scalptorum Gemmariorum opera repetentes, in ipſis eorum genuinum nomen rurſum inſcribunt ; quod ſi ſtrenue

opus

(1) Vide in Tomo III. *Muſei Florentini* Tab. XXV. XXVI. XXVII. & XXVIII. pag. 34. 35. & ſeqq.


opus & quam ſcitiſſime perfecerunt, melius facerent, ſi ſuum nomen inſcriberent, ut omnes ſcirent, ac noſcerent, ſcrutarenturque quantum ingenio, ſtudio, labore, viribus, veteris gloriae & artis aemuli valuerint, quibusque conatibus ad eos adcedere contenderint. Interdum etiam Inluſtrium Virorum nomina ſculptis vel a ſe, vel ab antiqua manu Imaginibus, puta Demoſthenis, Platonis, Ciceronis, addere ſolent, ut Gemmarum pretium penes cupidos augeant; quod crimen Eruditae Antiquitati inflictum minime verentur; & quandoque in hiſce nominibus ſcribendis facile errant, quum ipſi vel Graecae, vel Latinae linguae ſint penitus imperiti. In inſigni Gemma eximio opere ſculpta, quae exſtat in *Dactyliotheca Stoschiana*, galeam Heroicam efformant animalium capita vel corpora inter ſe conglobata & conſerta, canis & porcus; galeae vero thema eſt Romulus & Remus, qui a Lupa lactantur. Adcedit epigraphe, in qua Artifex, potius novitius, quam antiquus peccavit; nam ſcripſit P. XANTI, quum ſcribendum fuiſſet P. XANTHI; & Familiae nomen praetermiſſum ab eo eſt. Huius mentionem feci in meo *Florilegio Noctium Corythanarum* Cap. VI. pag. 59. Aliquando, ne in haec gravia menda incurrant, priores litteras nominis vel Graeci Artificis, vel Romani inſcribunt, quod factum vidi in pluribus Gemmis, quorum ectypa apud me exſtant, ut in *Iaſpide*, in quo ſculptus HARPOCRATES cum Graecis litteris, & in *Onyche*, in quo BONUS EVENTUS, cum litteris LVP. hoc eſt LVPVS. Lupi Architecti meminit marmor *Gruterianum* pag. LVII. 7.

XE-

XENOCRATIS

Praelaudatus Io. CHIFLETIUS, Canonicus Tornacenſis, inter Socraticas Gemmas eam protulit pag. 36. in qua mihi videtur ſculptus SILENUS haud ebrius, aſello inſidens, qui ſiniſtra vittatum thyrſum gerit, cum epigraphe ΞΕΝΟΚΡΑΤ. Cenſet CHIFLETIUS adferre imaginem Xenocratis Philoſophi, quem Plato cum Ariſtotele confert. Quomodo Philoſopho conveniat thyrſus, alii expendant. Quum Gemma ſit exquiſito opificio elegans, vel Artificis, vel poſſeſſoris nomen exhibere potius crediderim. De his pauca haec adtuliſſe ſufficiat.





P. A. Novelli del. G. B. Brustolon inc.

DE PSEUDOSCALPTORIBUS GEMMARIIS.

PSeudoſcalptores eos intelligo, qui inſcalptis Gemmis antiquis nomina quorumdam Artificum ex ingenio ſuo iisdem adſcribunt, qui quidem praeſtantes fuere; vel alia nomina, ut ipſis placet, confingunt & adponunt, ut Gemmarum raritatem ſpectabiliorem reddant, & pretium earum exaugeant. Clarorum Scalptorum nomina, quae frequentius occurrunt, ea ſunt AULI, DIOSCORIDIS, SOLONIS, ONESAE, CNAEI, praeſertim ſi litterae componentes ipſa nomina facillime & minori taedio ac labore inſcalpi poſſunt. Peritiores Antiquitatis Cultores fucatas has gemmas facile dignoſcunt & reiiciunt; haud ita vero, qui non ſatis antiqua opera a novis diſcernere, & negotiatorum fraudes cavere norunt; quos, ne decipiantur, doctiorum iudicium & conſilium ſcrutari neceſſe eſt. Suſpectam Scalptoris manum redolet *Gemma* CXXVI.

apud FULVIUM URSINUM, quae hasce litteras Graecas praefert ΤΨΘ, cuius imago creditur T. QUINCTII FLAMININI. Illustris Comes DE THOMS, antiquarum elegantiarum copia clarus, plurimi faciebat ANTONINI PII caput exstanti opere Gemmae suae insculptum, in qua scriptum MAXALA, quod putabat incogniti nobis Artificis nomen praeferre; quam, quum Florentiae moraretur, mihi ostendit. In *Gemma*, quam adfert MARIETTUS Tabula XCVII. e *Thesauro* Christianissimi Regis, in qua creditur Alexander Magnus inscalptus, Bucephalum domans, in eius exergo scriptum nomen FIDIAE pro PHIDIAE; quod manifeste falsum est. In *Novis Litterariis Florentinis* huiusce anni CIƆ. IƆ. CCLIII. num. 6. describuntur non paucae Gemmae litteratae ex *Cimeliis Riccardianis*, quae vel falsa, vel suspecta praeferunt clarorum Scalptorum nomina, quae recitare lubet. *Amethystus* inscalptum exhibet Pyrrhi caput, adiecto Pseudoscalptoris nomine hoc ΛΟΜΩΝ. Facile Pseudoscalptor volebat incidere CΟΛΩΝ. In *Sarda* sculptus vir nudus, destra hastam, sinistra clypeum gerens, adiecto hoc nomine ΣΩΛΩΝΟC, quod quum perperam scriptum sit, fraus manifeste liquet. In aliis eximiis Gemmis iam editis, & superius descriptis, quum ONESAS ita nomen suum inscripserit ΟΝΗCΑC, sive ΟΝΗCΑΣ ΕΠΟΙΕΙ. in *Gemma Riccardiana*, quae exhibet figuram nudam stantem cum parazonio in dextera, & tropaeo in sinistra, Plasmae incisam, legitur ΟΝΕΣΙ; quod nomen apocryphum est, & temere scriptum. In *Sarda* altera cernitur caput iuvenile diademate revinctum, cum prolixa coma, cui adpositum nomen nunquam auditum ΜΕΙΟΥ. ni forte scriptum sit

ΗΕΙΟΥ,

ΗΕΙΟΥ, clarum Gemmarum Scalptoris antiqui nomen, qui Dianam Venatricem Gemmae peritiſſime inſcalpſit. Alterum ignotum Scalptoris nomen valde ſuſpectum legitur in *Sarda*, quae Venerem exhibet ſpinam ſibi e pede educentem, nempe ΚΑΛΠΟΥ. Avis *Onychi* inſcalpta deſcribitur, cum hiſce litteris CIO-ΝΟΥΟ, quae nihil ſignificant. Aliae Gemmae, quarum ectypa vidi, ſpuria nomina praeferunt LUPI, ſive LUPERCI, HORI, SEME...TARSI, LOMONIS, quae adulteratae ſunt. Inter ſuſpectas ea quoque, ni fallor, amandanda eſt Gemma, nempe *Onyx*, in qua ſculptus MERCURIUS dextro pede inſiſtens navis roſtro, ſeu puppi, cum hiſce litteris Graecis ΚΥ-ΙΝΤΙΑ. fortaſſis pro ΚΥΙΝΤΙΑΝΟΥ, vel quid aliud ſimile. Etſi Gemmam non viderim, facile tamen puto ſcriptum ΚΥΙΝΤΙΑ. fortaſſe clarum QUINTILLI Scalptoris Gemmarii nomen, qui *Beryllo* NEPTUNUM ſcalpſit, quem vide in *Stoſchiano Opere* Tabula LVII. Omitto Gemmas aliquot ambiguas, quae iterata praeferunt inluſtrium Scalptorum nomina, nempe ΠΑΜ-ΦΙΛΟΥ in *Sarda* ornata virili capite, & in altera adſimili cum iuvenili capite, in qua ſcriptum ΑΛΛΙΩΝ. PYLADIS nomen, ſi Gemmariis adiiciendum ſit, mihi ſuſpectum videtur, nam ſcriptum cernitur in *Iaſpide rubro*, in quo ſcalptus Mons Argaeus, inter *Collectanea Rom. Antiq.* Tab. LXXIV. ex *Cimeliis Thomſianis*, quam vide; ſiquidem in exergo more veterum Caelatorum ΠΙΛΑΔΟΥ adnotatum occurrit. Suſpectum quoque mihi eſt nomen inciſum *Onychi* in iisdem *Collectaneis* Tabula XXXI. qui exhibet APOLLINIS protomam, ſi quis ΟΣΙΩΝ Artificis Lithographi nomen ſignificare putet; vel eſſe proprium Apollinis

epi-

epitheton, ut indicet *Sanctum;* nam ſcribendum erat ΟΣΙΟΝ. Sed de his illi iudicent, qui Gemmas ipſas contemplari, atque multo magis accurate expendere poſſunt. Nihil heic dico de Scalptorum veterum Graecorum inconſtantia, qui nomen ſuum vario ſcribunt vel in recto vel in genitivo caſu, vel etiam integrum, vel dimidiatum, vel prioribus tantum litteris declaratum, ut videre eſt in Gemma ex *Iaſpide rubro* num. I. 114. apud Clariſs. MARIETTUM, in quo ſcalptum virile caput, quaſi MERCURII cum caduceo, & his ſiglis Κ Φ. quae vel poſſeſſoris nomen, vel etiam, quod facile crediderim, Artificis celeberrimi KALPURNII FELICIS deſignare facile poſſunt. Conferenda inter ſe ſunt opificia clarorum Gemmariorum, videndumque quid inter utraque diſcriminis ſit, quod nonniſi peritiſſimi Antiquarii diuturno labore & ſtudio praeſtare poſſunt. Inconſtanter ita ſcripſit in Gemmis nomen ſuum ALLION, nempe ΑΛΛΙΟΝ. & ΑΛΛΙΩΝΟC. AULUS vero conſtanter ita inſcripſit ΑΥΛΟΥ. ea excepta ſincera & legitima, quae exſtat in *Muſeo Victorio*, & ab eius poſſeſſore Viro Clariſſimo FRANCISCO VICTORIO, Equeſtris Ordinis D. Stephani Commendatore, erudito Commentario inluſtratur, in qua ſcriptum eſt ab eo ΑΥΛΟC. De Gemmis, quae CNAEI Scalptoris eximii nomen praeferunt, vel ΓΝΑΙΟΣ. vel ΓΝΑΙΟC. haec adnotat Celeberr. STOSCHIUS pag. 28. ſui Operis. „Vidimus in Dactyliothecis antiquas Gemmas, ſimili nomine inſcriptas, quas conſulto omiſimus; cum pro comperto habeamus, a quibusdam, ut emptoribus fucum facerent, & carius venderent, Graecas litteras nuper additas eſſe“. DIOSCORIDES quoque

nomen

nomen ſuum vario modo ſcripſit, nempe decurtatum, ΔΙΟCΚΟΥΡΙΔ. ſive etiam ΔΙΟCΚΟΥΡΙΔΗΣ. & ΔΙΟCΚΟΥΡΙΔΟΥ. De reliquis quae temere idem nomen & corrupte ſcriptum praeferunt, haec adnotat idem Clariſſimus Auctor pag. 34. „ Alias vidimus veteres gem„ mas, quibus Dioſcoridis nomen inſcriptum erat, „ ſed recentiori manu exaratum; fucumque aperie„ bat ortographiae error; cum in hac non ΔΙΟCΚΟΥ„ ΡΙΔΟΥ, quod in DIOSCORIDIS exploratis operi„ bus, & in MSS. Codicibus alterius Dioſcoridis „ Medici legere eſt, ſed ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΟΥ, priori litte„ ra Υ omiſſa; praeterea internoſcere erat quoque „ ex rudibus quodammodo litterarum ductibus, qui „ elegantiſſimis in gemmis, a DIOSCORIDE ſcal„ ptis, apparent; quamobrem illas conſulto omiſi„ mus". Variavit etiam PHILEMON in ſuis operibus; nam in Thesei gemma ſcripſit ΦΙΛΗΜΟΝΟC, in altera vero, quae exhibet Fauni caput, ita ſcripſit, ΦΙΛΗΜΩΝ ΕΠΟΙει. Eodem modo & quidem vario in ſuis operibus, quae genuina habentur, nomen ſuum ſcripſit SOLON, praeſtantiſſimus Scalptor; nempe CΟΛΩΝ ΕΠΟΙΕΙ; vel CΟΛΩΝΟC. vel ΣΟΛΩΝΟΣ. ut in Medusa *Strozzia*.

Alia Scalptorum nomina vel ficta, vel valde ſuſpecta paullo ante indicavimus, vel integra, uti ΤΑΡCΟΥ. ΚΟΙΜΟΥ. uti legitur in *Sarda*, quae Pythagoram exhibet; Silenum ΟΡΟΥ. vel dimidiata, ut in Gemma Amazonem exhibente, in qua ſcriptum ΑΘΑ. forte Athanasius; vel CΕΜΕ.... circa Harpocratem, & alia his ſimilia, quae a fraudibus, & ingenio negotiatorum Gemmariorum ut plurimum pendent, & lucri maioris ſpe conficiuntur.

Ab his ſecernendae ſunt Gemmae ſincerae, quae poſ-


K ſeſ-

ſeſſoris anularis lapilli nomen praeferunt, atque eae etiam, quae fauſtas adclamationes, & amaſiorum mellita verba continent, quae vel nullis, vel perpaucis figuris & ſymbolis ornantur; inter quas hae memorandae ſunt inter *Riccardiana Cimelia*, *Onyx* cum epigraphe ΕΥΤΥΧΙ ΒΕΡΟΝΙΚΗ. & in *Achate* exſtantibus litteris ΕΥΤΥΧΙ ΕΥCΕΒΙΑ.

Plurimae aliae Gemmae huiusmodi litteris Graecis vel Latinis inſignitae vel proferuntur, vel deſcribuntur in prioribus duobus Voluminibus *Muſei Florentini*, atque etiam in his quae *antiquas Inſcriptiones Etruriae Urbium* a me inluſtratas continent. Nihil dico de Gemmis ſuperſtitioſis, de quibus luculenter in *Theſauro* Gemmarum Aſtriferarum agitur.

Nec minori laborant infamiae nota ac vituperatione recentiores illi Gemmarii Scalptores, qui nomina ſpecioſa incognitis capitibus addunt; quorum exempla quaedam & apud FULVIUM URSINUM exſtant; nempe ΘΕΜCΤ. in Gemma, ut in ea THEMISTOCLES ſculptus credatur; & in *Mariettano Opere* Parte II. Tabula 35. P. SCIP. AF. Tabula 44. CAT. CENfor. Tabula 95. ΣΠΑΡΤΗ. Tabula 112. FLAMINIA, & alia his ſimilia, in quibus additae recentiori artificio litterae dum indicant Viros in Graeca & Romana Republica clariſſimos, ac virtutibus praeſtantiſſimos, parum doctis aut ſagacibus Cultoribus Vetuſtatis imponunt & fucum faciunt.

Quod igitur de Gemmis Scalptorum fraude vitiatis ſcribimus, id ipſum dicendum de aliquot marmoreis ſignis & Statuis, in quibus ſcriptum legitur Artificis Graeci non legitimi ſed ſpurii nomen; nam & in his quoque ſubleſta quorumdam ſagacitas a peritis aliquando detegitur; quae omnino damnanda ac reprobanda eſt, & vitiatores ſignorum antiquorum puniendi.




P. A. Novelli del. G. B. Bruſtolon inc.

HISTORIAE GLYPTOGRAPHICAE

PARS III.

Praeſtantium Antiquorum SCALPTORUM GEMMARIORUM NOMINA

Ex vetuſtis Monumentis & Scriptoribus depromta.



AGATHANGELUS.



MEmoratur inter Libertos Liviae Auguſtae in *Columbario* a me edito; ſed fractum eſt marmor num. CLXI. pag. 173. quum tamen inter Aurifices Domus Auguſtae recenſendum eſſe doceat inſignis Gemma cum imagine, ut aiunt, POMPEII MAGNI, quae ab eo forſitan ſculpta cenſenda eſt; de qua mentionem feci in *Florilegio Noctium Corythanarum* Cap. VI. pag. 35. his verbis: „ Adnotatum eſt in Nocte Coryth. XXVIII. „ heredem praeſtantiſſimi Antiquarii M. ANTONII

„ SAB-

„ Sabbatinii Romani, hoc anno MDCCIL. vendi-
„ diſſe quadringentis quinquaginta ſcutatis Pompeii
„ Magni caput Gemmae inſcalptum ab egregio an-
„ tiquo Gemmario Caelatore AGATHANGELO ;
„ quod emit Nobiliſſimus quidam Polonus, qui Do-
„ minae Marchioniſſae Viduae de Ligneville, ve-
„ terum elegantiarum aeſtimatrici optimae, Romae,
„ dum nuper degeret, dono dedit.

AGATHOPUS

De hoc praeſtantiſſimo Caelatore multa adtuli & obſervavi in memorato *Columbario* Servorum & Libertorum Liviae Auguſtae pag. 154. & ad Tab. I. num. II. *Muſei Florentini* Vol. II. pag. 7. & 8. Caput virile *Beryllo* ſumma & exquiſitiſſima arte inſcalpſit, ac nomen ſuum adiecit. ΑΓΑΘΟΠΟΥϹ ΕΠΟΙΕΙ. Haec inſignis Gemma ex *Dactyliotheca* Clariſſimi Viri Abbatis Andreinii in Regiam Mediceam poſt eius obitum translata eſt. Adhuc ſub iudice lis eſt, utrum referat imaginem Cnaei, vel Sexti Pompeii, vel Marci Bruti, qui Caeſarem interfecit. Pro Pompeio quovis pignore certarem; nam vultus lineamenta cum aureo eius numismate, quod vidi, probe conveniunt. Profecto Romani viri caput cenſetur ex capillitio brevi, ac quodammodo tonſo, ut in marmoreo Augusti capite in *Mediceo Muſeo* conſpicitur. Frons lineis corrugatur; ſupercilium torvum eſt; totusque vultus ſeveritatem quamdam & gravitatem ſummo viro dignam praefert. Huic ſimillima eſt marmorea protoma in eodem *Columbario* inventa, quam exhibeo in eodem Opere Tabula XII. littera A. Ad eum ſpectant ſequentes Tituli Ollarum Cinerariarum,

rum, quae in eodem *Columbario* adferuntur (1), qui haec habent:

M. IVLIVS. AVGVSTAE. L
AGATHOPVS
AVRIFEX. DAT
IVLIAE. RESTITVTAE
IVLIAE. VITALI
IVLIO. FELICI

M. IVLIO
DIVAE. AVG. L
AGATOPODI *sic*
AVRIFICI (2)

Inter filios eius mares memoratur M. IVLIVS IVCVNDVS. In aliis quoque titulis idem Agathopus Aurifex adpellatur, de quo ſupra diximus.

A L E X A

Vide infra D. SEGULIUS ALEXA.

A M P H I O N

Laudatur a Francisco Iunio, atque inter Scalptores recenſetur ex Pausania Lib. VI. pag. 347. 50.

A P O L L O N I D E S

Inſignem Gemmarum Scalptorem fuiſſe APOLLONIDEM, hoc elogio docet Plinius. (3) „ Poſt Pyr„ gotelem APOLLONIDES & Cronius in gloria „ fuere “. Si is forte eſt, habemus Taurum procum-

(1) Pag. 152. num. CXVIII. & CXXVI.
(2) Mendis aliquot foedatam iterum in lucem protulit Muratorius Claſs. XII. pag. CMVII. num. 6.
(3) Lib. XXXVII. I.

cumbentem *Sardonychi* incisum, a Cl. STOSCHIO adlatum Tabula XI.

C. AURELIUS CARPUS

Aurificem fuisse docet antiquum Marmor, pag. CCLVIII. 7. in *Gruteriano Thesauro*, qui & inter Quinquennales Collegii Aurificum, & Curatores describitur. Cum eo memoratur & P. VALERIUS BENEDICTUS. Sed in *Gruteriano Thesauro* siletur locus, ubi marmor exstat.

M. CAEDICIUS IUCUNDUS

Is Officinam aurariam habuit in Via Sacra, in qua praestantes Artifices laborantes stabant, eaque a nobilissimis Romanis frequentari solebat, quod inter urbanas primaria esset, eaque ad Forum ibatur, de qua Ovidius: (1)

- - - - - haec sunt fora Caesaris, inquit,
Haec est a Sacris quae via nomen habet.
Hic locus est Vestae, qui Pallada servat, & ignem,
Haec fuit antiqui regia parva Numae.

Huius M. CAEDICII meminit antiquus lapis: (2)

M. CAEDICIVS. IVCVNDVS
AVRIFEX. DE
SACRA. VIA. VIX. A. XXX.

CHAEREAS

Laudatur a LUCIANO in Lexiphane, & Aurifex adpellatur: Καιρέας ὁ χρυσοτέκτων. de quo & IUNIUS in suo Artificum Catalogo laudes ponit.

TI.

(1) Tristium Lib. III. Eleg. I. v. 27.
(2) In Gruteriano Thesauro pag. DCXXXVIII. 7.

TI. CLAUDIUS OLYMPUS

Ex Reinesio innotescit hic TI. CLAUDIUS OLYMPUS, cuius fit mentio in marmore in Aedibus Mattheiorum Trans-Tiberim. (1)

TI. CLAVDIO TI. L. PALLANTI
LANARIO. VIX. A. LXVIIII
TI. CLAVDIVS L. OLYMPVS
AVRIFEX T. F

CLODIUS

Artificem summo ingenio caelandique peritia celeberrimum fuisse CLODIUM, ex Scriptoribus & vetustis monumentis colligo. Laudat Plinius Vasa, quae ex eo CLODIANA adpellata sunt. (2) „ Vasa ex „ argento mira inconstantia humani ingenii variat, „ nullum genus officinae diu probando. Nunc Furniana, nunc CLODIANA, nunc Gratiana (etenim tabernas mensis adoptavimus) nunc anaglypta in asperitatem exscisa circa linearum picturas „ quaerimus". Laudatur in antiquo lapide (3) C. VALERIVS CAELATOR ANAGLYPTARIVS. Nec certum est, sed verosimile, si P. CLODIUS DIDA Vascularius, cuius exstat monumentum Romae inventum, in *Thesauro Gruteriano* (4), ille CLODIUS sit, a quo Clodiani operis Vascula propter elegantiam ac dignitatem opificii CLODIANA dicta sunt. Hinc suspicabar vitiose forsitan exscriptum antiquum Romanum lapidem inter schedas Martii Mi-

(1) Clafs. XI. num. CVII.
(2) Lib. XXXIII. Cap. XI.
(3) In Thef. Muratoriano pag. CMLXXXI. 9.
(4) Pag. DCXLIII. 5.

MILESII, quem evulgavi inter *Donianas* (1); & forſitan pro Claudianorum legendum CLODIORUM; quum CLODII Vaſculorum Caelatores tam celebres cenſerentur, ut ipſum nomen inſtar magnae laudis ac praeconii eſſet; ideoque ex eo commendatum in eo lapide M. IVLIVM PTOLEMAEVM putabam, quod fuiſſet PRAECEPTOR DVORum MARCORVM IVLIORVM CLAVdiorum. Clodiana Vaſa non ſolum argento, ſed etiam auro caelata fuiſſe colligi poteſt ex ſequenti Romano marmore edito apud GRUTERUM. (2)

D . M

M. CANVLEI. ZOSIMI
VIX. ANN. XXVIII.

FECIT. PATRONVS. LIB. BENEMERENTI
HIC. IN. VITA. SVA. NVLLI. MALEDIXIT
SINE. VOLVNTATE. PATRONI. NIHIL. FECIT
MVLTVM. PONDERIS. AVRI. ET. ARG.
PENES. EVM. SEMPER. FVIT
CONCVPIVIT. EX. EO. NIHIL. VNQVA
HIC. ARTE. IN. CAELATVRA. CLODIANA
EVICIT. OMNES - - - - - - - -

Laudatur etiam in *Theſauro Muratoriano* (3) T. CLAVDIVS, ut opinor, PHAEDRVS ARGENTARIVS VASCVLARIVS (4) qui & alumnis ſuis ſepulcrum condidit; quare & CLODIANA Vaſcula, & CLAVDIANA in pretio fuiſſe apud Romanos ambigendum non

(1) Claſs. VIII. num. 58.
(2) Pag. DCXXXIX.
(3) Pag. CMXLV. 5.
(4) De argenteis Vaſculis Ulpianus L. apud Labeonem 20. §. D. *de praeſcriptis verbis*.

non eſt. Quum autem hi Artifices Vaſcularii anaglyptarii in poculis, & vaſculis gemmas exſtanti opere inſcalptas interſerere ſolerent, quod ex adlatis Scriptorum & monumentorum locis obſervavimus, dabunt Lectores veniam, ſi & hos quoque inter claros Lithographos Gemmarios adcenſendos putem. Quamvis Plinius paucis laudet CLODIANA VASA; memorat tamen & extollit eorum anaglypta in aſperitatem exſciſa, & picturas linearum, quae, ni fallor, encauſtico opere fiebant, nobis *di Smalto*. Suo loco dicam de Vaſculis cryſtallinis, quae non ſolum anaglypticis operibus ornabantur, verum etiam pingebantur coloribus variis, & inaurabantur figurae.

L. CORNELIUS AMANDUS

Patria, ſeu domo fuit Narbonenſis, vel Narbone obiit, ibique ſepultus. Titulus eius Sepulcri adfertur in *Gruteriano Theſauro* ex Scaligero. (1)

L. CORNELIVS
AMANDVS. AVRIFEX

Hunc inter egregios Artifices arte auraria, ſive gemmaria claros, recenſui in meo *Columbario*. (2)

P. CRITONIUS HILUS

Sepulcralis titulus Romae inventus, editus a me eſt inter *Donianas* Claſs. VIII. num. 24. quem Isaacus Vossius V.C.I.B. Donio dedit; & ita ſe habet:

P. CRITONIVS
P. L. HILVS
AVRIFEX

(1) Pag. DCXXXVIII. 8. num. 8.
(2) Pag. 151.

M Huius

Huius P. CRITONII sanguine & cognatione proximus forsitan fuit Q. CRITONIUS DASSUS, qui in sequenti Titulo Sepulcrali nominatur. Quis scit, utrum HYLLUS ille esse possit superius laudatus, & in marmore vitiose scriptum sit HILVS?

Q. CRITONIUS DASSUS

Antequam de hoc Q. CRITONIO DASSO Scalptore disseram, adferam Sepulcralem Titulum, in Via Aurelia effossum, editum a Clarissimo FRANCISCO FICORONIO in fine Commentarii sui *de Bulla aurea nobilium Puerorum Romanorum*. Inemendatum protulit FABRETTUS *Inscript. ant. Domest.* Cap. I. num. 75. pag. 17. Pervulgavit etiam Vir Clarissimus Commend. Equ. VICTORIUS in Notis ad Cap. XXI. *Differt. Glyptographicae*. Hinc inde Titulum ornant duo parva cadaverum humanorum scheleta utrimque exstanti opere insculpta. FABRETTUS habet in quarta linea SCALPTORIS. VILARI. & in suis Notis, quas adfert pag. 56. ita explicat: „ Ipsarum victimarum pelles „ deglabrasse hunc CRITONIUM puto, & villos „ ex iis scalpsisse, humanisque usibus accommodas- „ se, ut hodienum prope eandem Insulam Tiberi- „ nam ii faciunt, qui *Vaccinari*, & *Conciapelli* vulgo „ dicuntur “. Sed a tam sordida abiectaque arte vindicare atque eximere conabor hunc egregium Artificem; en titulus eiusdem:

CRITONIA Q L PHILENIA
POPA DE INSVLA
Q. CRITONI. Ɔ. L. DASSI
SCALPTORIS VCLARI
SIBI SVISQVE POSTER
EOR.

Illud valde exploratum eſt, Sepulcrales Titulos vel a quadratariis, lapidicinis, vel plerumque a Libertis imperitis inſcribi ſolitos fuiſſe. Hinc ſaepenumero non ſolum litterae in exarandis inſcriptionibus, ſed etiam aliquando ſyllabae omittuntur; quod alibi a me exemplis adlatis adnotatum eſt. Quomodo igitur cum laudatiſſima ſcalpendi arte conciliari poteſt illa, quae pertinet ad pelles victimarum deglabrandas, atque evulſis villis ad eas in uſum hominum concinnandas? Valde igitur deceptum arbitror Fabrettum, ceteroquin rei antiquariae peritiſſimum. Si probant Viri docti, coniecturam meam ipſis expendendam propono; lubenter legerem SCALPTORIS V*as*CLARI, adeoque per aphaereſin a quadratario, vel potius ex incuria & oſcitantia, quia difficilis illi erat ea vox VASCVLARI ad pronuntiandum, ſcriptum opinor, SCALPTORIS VCLARI; nam VCLARI nil ſignificare arbitror; ſed VASCLARI adpellatio Artificem notat peritum ſcalpendi Vaſcula, cuius exemplum ſuppeditat lapis a Clariſs. Muratorio editus (1), qui ab eo ita emendatur, ut pro APOLVTO legendum ſit APOLAVSTO, pro VASCIARIO, intelligendum VASCLARIO.

D. M
L. IVNIO APOL
VTO ARGENT
VASCIARIO. L.
LETTIA. VALEN
TINA MARI
TO OPTIMO

Inte-

(1) In Theſ. Cl. XIII. pag. CMLXI. 5.

Integra ſcriptura titulus legitur apud eumdem (1) ARGENTARIVS VASCVLARIVS. Adcedit, quod alter Libertus ex eadem Critonia Familia paulo ante memoratus, nempe P. CRITONIUS HILUS, ſive HYLLUS, fuit Aurifex; adeoque hunc Q. CRITONIUM DASSUM magis credibile eſt operam dediſſe ſcalpendis vaſculis vel aureis, vel argenteis, vel etiam ex Gemmis, quibus vel Caeſares in Domo Auguſta, vel beatiores & opulentiores Romani in conviviis & coenis utebantur; quod teſtatur titulus iſte ſepulcralis apud Clariſs. amicum meum PASSERIUM.

D M
AMAZONIVS GAL. A. L
A. GEMMA POTORIA

In vetuſtis Saxis plures nominantur Liberti Domus Auguſtae ab auro & argento potorio, ab auro & argento eſcario. Solebant Artifices vaſcula aurea gemmis ornare. Neque erit, ut arbitror, iniucundum, quandoquidem de Opificibus Gemmariis diſſerimus, pulcherrimum adferre exemplum ex *Donianis* a me editis Inſcriptionibus (2); cuiusmodi hoc eſt:

D. M
C. AEMILI. CHARITONIS
AVG. LIB. AB. AVRO. GEMMATO
C. AEMILIVS AVG. L. EPAPHRODITVS
DECVRIO. DISPENSATORVM
PATRONO. OPTIMO. BENEMERENTI
FECIT. MEMORIAM
ITEM. DISTEGVM. CVM. TABERNA
ET. HORTVLO. ET. SIBI. LIBERTIS. LIBERTABVSQ.
POSTERISQVE. EORVM
ET. SI. CVI. DONARE. VOLVERO
H. M. D. M. A.

(1) Cl. XIII. pag. CMXLV. num. 5. (2) Claſs. XVII. num. 17.

Memorandae etiam ſunt poſt gemmata Vaſa aurea, quae nimirum inſertis gemmis in orbiculis incruſtabantur, etiam coronae duplices ex auro & gemmis contextae, quae Diis & Sacrorum primis Miniſtris donari ſolebant, iisque Caeſares Auguſti utebantur; quod a Domitiano factum memorat SUETONIUS (1). Aurea folia, myrthi mihi viſa ſunt, nuper accepi ab eruditiſſimo Abbate MATHIA DAMIANIO, quae in urna Etruſca inventa ſunt, Volaterris effoſſa, quae exſtant in *Muſeo Guarnacciano*. Sed quia de gemmatis ſive gemmiferis coronis, ornatis imaginibus Deorum, Dearumque, quae in Gemmis caelari ſolebant, luculenter diſſerui ad Tabulam VIII. a me adlatam inter DONIANAS (2), de his pauca haec tetigiſſe ſufficiat. Superius relato Titulo funereo Q. CRITONII DASSI non lucem, ſed nebulas adſudit Cl. MURATORIUS, qui, ut ſolet, omnes iam editas repetit, qui VCLARI interpretatus eſt VIRI CLARISSIMI; nec advertit Liberto minime hanc adpellationem convenire, quae ſummis Viris, Praefecto Urbi & Praetorio, & Conſulibus ordinariis, dignitate & muneribus conſpicuis, conveniebat, & tribuebatur. Quae ſubdit digna tanto viro ſunt: „ Proprie tamen SCALPTORES appellati, qui Gemmas cavabant. Eius „ generis ſunt, quos *Camei* Italice nuncupamus. In- „ de Scalprum". Scalptores Gemmarios eos quoque dictos puto, qui Gemmas non ſolum exſtanti opere, & figuris exſcalpebant, ſed & anaglypho opificio; verum & eos, qui incavata caelatura eas incidebant; quibus etiam ad obſignandum utebantur: quibus etiam

N

(1) Cap. IV. in ejus Vita.
(2) Vide in Claſs. IV. pag. LXX. & 135.

iam addi possunt qui Gemmas in vasculis aureis vel argenteis, in monilibus, in armillis, in fibulis, in loricis etiam Caesarum, in anadematis Augustarum, in crepidis & calceis ingenioso luxu interserebant. Adde etiam gemmas insertas in Deorum Dearumque vestibus, praesertim quum in celebrioribus festis in aedibus exponerentur, vel in pompis sacris deferrentur; qua occasione simulacra eorum vestibus pretiosissimis a Vestitoribus Deorum, & a feminis ornatricibus amiciebantur & ornabantur.

CRONIUS

CRONII, qui aurea Augusti aetate floruit, multamque gloriam in scalpendis Gemmis consecutus est, superius mentionem feci, & deperditae Gemmae; cuius singularis archetypi ectypon quod apud me exstat, Musam fidibus canentem referens, memoravi a me editum. De eo haec PLINIUS (1). „Post Pyrgotelem „ Apollonides & CRONIUS in gloria fuere, qui„ que Divi Augusti imaginem similem expressit, qua „ postea Principes signabant, Dioscorides. „

DIOSCORIDES

Praestantissimi huius Gemmarii Opificis octo Gemmas, quae ad nos pervenere, superius descripsimus, atque editas indicavimus. Artifex Augusti genio & amore plane dignus, qui imaginem suam eius manu inscalptam tanti fecerit, & diplomatibus, libellis, atque epistolis obsignandis ea usus sit; eaque insecuti Principes signare perseveraverint; quod multa cum laude memorat SUETONIUS (2). PLINII vero elogium paullo ante adlatum non repeto.

EPI-

(1) Hist. Nat. Lib. XXXVII. Cap. I. (2) In eius Vita Cap. 59.

EPITYNCHANUS

Inter claros Liviae Auguſtae Aurifices, quibus Gemmarum Caelatores intelligimus, recenſendus eſt EPITYNCHANUS; qui pulcherrimam, abſolutiſſimam, & Gratiarum ac Veneris leporibus omnibus plenam expreſſit Germanici Iuvenis effigiem, quam ſuperius deſcripſimus & indicavimus. Clare, ut opinor, liquet, quodnam fuerit Aurificum opificium; quum eorum opera Gemmis inſculpta, eorumque nominibus inſignita ad nos favente fortuna pervenerint, e terrae viſceribus eruta. En eius titulus ſepulcralis, (1) qui teſtatur, eius cineres in eodem Conditorio Libertorum Liviae Auguſtae in olla conditos fuiſſe. Sed illud animadvertendum, quod quadratarius duo menda in eo commiſit, nam legendum eſt EPITYNCHANVS.

EPYTYCANVS AVRIFEX

EVHODUS

Hunc quoque inter Aurifices Domus Auguſtae memoratum legi. Exſtat Beneventi lapis editus in *Theſauro Muratoriano* (2), in memoriam T. FELICIS OMNIVM ARTIFICIORVM STVDIOSISSIMI. Floruit ſub Tito Veſpaſiano, qui Iuliam eius filiam poſt eius mortem *Beryllo* ſtupendae magnitudinis, & admirandi operis inſculpſit; de quo ſupra. In ſcriptis Saxis non raro H omittitur, adeoque etiam EVHODVS, & EVODVS legitur.

HE-

(1) Vide in Columbario meo pag. 154. num. CXV.
(2) Claſs. XIII. pag. CMLIII. 2.

HEDYS

Legitur in monumento, ſive Columbario Servorum & Libertorum Liviae huius Artificis nomen; in recto HEDYS Ἡδὺς. cuius uxor fuit SECUNDA. En eius titulus ollae cinerariae adcommodatus:

HEDYS. AVR. SECVNDA
HEDI

Inter Aurifices Domus Auguſtae recenſetur.

T. IULIUS NICEPHOR

Cum Aurificibus Gemmariis coniungendus videtur T. IULIUS NICEPHOR, qui pretioſos lapides diſpoſuit muſivo opere, & propter artem hanc ſuam MVSEIARIVS dicitur in Romano lapide penes Gruterum (1), qui ſingularis eſt; nulla enim aliorum *Muſeiarorum*, ſeu potius *Muſeariorum*, mentio in editis lapidibus habetur. Muſivarii Opifices inter Gemmarios, & inter Pictores connumerari poſſunt; pingebant enim coloratis lapillis imagines omnes, animalia, flores, & ea quae ad ornanda pavimenta, parietes, & cameras convenire putabant. De his Artificibus Plinius Lib. XXXVI. Cap. 25. Noſtra aetate haec Ars mirifice floret ac perennat Romae; ſed hi Artifices vitreis coloratis teſſerulis utuntur, non vero, ut antiqui, lapillis multicoloribus pretioſiſſimis ex Oriente advectis. De his multa, non tamen omnia, erudite adnotavit Io. Ciampinius Praeſul Romanus *Veterum Monument.* Par. I. Cap. X.

Veterum Muſivariorum Hiſtoriam, ſummo eruditorum plauſu ſuſceptam, nuper edidit Praeſul Ampliſſimus Fu-

(1) Pag. DLXXXVI. 3.

FURIETTIUS, cuius doctrinam ac probitatem nulli honores aequare possunt. In meo *Museo* tres tabulae musivo opere elaboratae exstant, quae ornabant pavimenta Villae Tiburtinae Hadriani Caesaris Augusti, quas ad me misit Vir Clarissimus FRANCISCUS FICORONIUS anno MDCCXL. Has alibi proferam aeri incisas. Lithostroton Delubri Fortunae Praenestinae, quod Sylla ei ex voto dedicavit, apud me servatur; primum artis miraculum Romae spectatum, teste eodem PLINIO, a quo laudatur; quod in lucem protuli in Par. III. *Inscript. antiq. Etruriae Urbium* Tabula III. Sed vigente ac florente aureo Augusti aevo non lapillis ex Occidentis fodinis petitis, sed ex Orientalibus, insignia opera minimis gemmis perfecta fieri consuevere, quae ad absolutissimum decus Hadriano Augusto imperante pervenerunt. Haud igitur, ni fallor, culpabor, si & hos praestantissimos Musivarios cum Gemmariis peritissimis miro quodam artis foedere socios coniungam. Horum paucissima nomina ad nos pervenere, silentibus vetustis Scriptoribus. IOSUM supra Musivarios omnes Opifices longe eminentissimum fuisse ex eo coniicere possumus, quod hunc tantum cum laude celebret PLINIUS *Histor. Natur.* Lib. XXXVI. Cap. 25. memoratque eum Pergami urbe florentissima stravisse *Asaroton Oecon* parvis testulis tinctis in varios colores. Translata Romani Imperii sede in novam Romam Constantinopolim, magna cum nominis celebritate florentibus sub Constantino Magno & reliquis Imperatoribus, praeclaris Musivariis, iidem varia opera fecerunt tum in Palatio, tum in celebrioribus Ecclesiis, ac praesertim in Aede Sophiana. Ex his Scholis prodiere alii Mu-

ſivarii, qui primum Romae, & Ravennae, ac mox etiam Saeculo XI. Venetiis & Florentiae Baſilicarum tholos, arcus, tribunas, & abſides muſivis picturis ornarunt, inter quos praecellit APOLLONIUS Graecus. Sed Romae ſub Auguſtorum imperio Liberti ex Graecis orti floruere T. IULIUS NICEPHOR, C. LISIUS POSTUMUS, P. RUBRIUS TROPHIMUS, P. RUBRIUS AGATHO, M. ALFIUS ONESIMUS, qui in egregio Opere Praeclariſſimi Praeſulis FURIETTI laudantur.

LAMIRUS

Hic Aurifex LAMIRUS innoteſcit ex antiquo marmore Clugiano prope Venetias, quod editum legitur in *Muratoriano Theſauro*. (1)

M. LOLLIUS ALEXANDER

Opinor Gemmarios Romanos vendidiſſe inſcalptas Gemmas, quarum infinitus erat numerus & uſus, non ſolum penes feminas, & delicatiores homines, verum etiam eas quoque ſcalpſiſſe. Gemmarium nobis exhibet Marmor a me editum inter *Doniana*, (2) nempe M. LOLLIUM ALEXANDRUM, quod haec habet:

D . M
M. LOLLIVS. ALEXANDER
GEMMARIVS. ET. FLA
VIA. SABINA. FECERVNT
AEDEM. CVM. SVO. SIBI
HYPOGAEO. SIBI. ET. SVIS
LIBERTIS. LIBERTABVS
QVE. POSTERISQ. SVIS. POSTE
RISQVE. EORVM. H. A. D. M

(1) Claſs. XIII. Pag. CMXLVII. 3.
(2) Claſs. VIII. num. 14.

MENANDER

Praeclarorum artis operum ſtudio & amore magnopere inclaruiſſe Liviam Auguſti coniugem, iam cumulate obſervavi; nam in Aula ſua plures habuit Pictores, Sculptores, Imaginum & Signorum Artifices, Coloratores, & Gemmarios Aurifices, inter quos memoratur MENANDER, qui ab eiusdem Liviae nomine M. LIVIUS MENANDER dictus eſt. En eius titulus; (1)

M. LIVIVS
AVGVSTAE. L
MENANDER
AVRIFEX

MNESARCHUS

Etſi artificio caelandi Gemmas non emineret (eminuit tamen, ac magnam laudem conſecutus eſt) MNESARCHUS, cuius nulla, quod ſciam, opera exſtant adſcripto eius nomine; tamen ea excellit atque eminet gloria, ut Pythagorae Samii, origine vero Etruſci, pater fuerit, teſte Hermippo, & Diogene Laertio Lib. VIII. a quibus Δακυλιογλύφος adpellatur, quod gemmarum anulariarum Sculptor fuerit. De eo Iamblicus quoque & Porphyrius meminere. Locum Apuleii in *Floridis* adfert Franciscus Iunius. „ Pythagorae Patrem MNESARCHUM comperio „ inter ſellularios artifices gemmis faberrime ſcalpendis laudem magis, quam opem quaeſiiſſe.

NERO

Meminit NERONIS Epiphanius, ut obſervat Vir Clariſſi-

(1) Vide Columbarium pag. 153. num. CXXI.

rissimus FRANCISCUS IUNIUS (1). Fuit non solum politor lapidum, sed & Artifex Gemmarius, de quo consulendus SALMASIUS in *Plinianis Exercitationibus*. Forsitan floruit sub Neronis imperio, eiusque Libertus fuit. In Vasionensi hoc Marmore (2) adnotandi sunt OPIFICES LAPIDARII, qui non solum lapides peregrinos & marmora, verum etiam lapillos pretiosos ac gemmas expoliebant; quae artes etiam nunc apud nos in Officinis Florentinis *Mediceo Imperiali Museo* adiunctis Clementissimi nostri Caesaris munificentia florentibus vigent, & cum Gemmariis tanquam socii opificiorum adsidue operantur. Hi peritissimis Lapillorum Intersectoribus famulantur, qui opera admiranda faciunt Musiva; nos dicimus *di commesso*, & ipsos Artifices *Commettitori di pietre dure* dicimus, de quibus inferius redibit sermo.

D. SALLVSTIO AC
CEPTO OPIFICES
LAPIDARI
OB SEPVLTVRAM
EIVS

Clariss. PITISCUS (3) Opifices Lapidarios eos quoque esse suspicatur, qui Gemmas parabant, & ad imagines ac figuras in ipsis scalpendas poliebant. Credebam igitur Lapidarios lapides ad aedificia parasse & expolivisse; sed quum alii Opifices adpellentur, Gemmarios potius indicari in marmore arbitror; inter quos vel tamquam Praefectus, sive Magister, vel

(1) Pag. 132.
(2) Ex Sponio Miscell. Erud. Ant. Sect. VI. pag. 222. Hunc ipsum lapidem repetit Muratorius in suo Thesauro Clas. XIII. pag. CMLXXV. num. 9.
(3) Vide in Voce LAPIDARII.

vel tamquam Dominus primas tenuit DECIMVS SALLVSTIVS ACCEPTVS.

Quod ſpectat ad Lapidarios Opifices, hi facile eſſe poſſunt qui Gemmas poliebant; quod ut bene apteque fieret, non ſolum opificio, ſed etiam peritia ac ſtudio pollere debebant; nam & Gemmas, & Cryſtalla & Vitra habemus mira arte polita; quod opus *faccettare* & *brillantare* etiam patrio noſtro vocabulo dicimus.

P A G U S

Pulcherrimum Epigramma adfert Sponius in *Miſcellaneis Eruditae Antiquitatis* pag. 219. in honorem PAGI pueri, qui gemmis monilia fabricabat, & auro inſertas mirum in modum diſponebat; quare etſi non conſtet, Gemmas inſcalpſiſſe, tamen inter Gemmarios Artifices locum meretur, quum has laudes tulerit:

Noverat haec docta fabricare monilia dextra.
Et molle in varias avrvm disponere gemmas.

Claruiſſe apud Romanos & feminas, quae auro includerent Gemmas & Margaritas, ex antiquis inſcriptis marmoribus mihi compertum eſt. Diſcimus etiam eas conſpicuo Urbis loco, nempe in Via Sacra, officinas habuiſſe, in quibus praeſertim mundi muliebris ornamenta oſtendebant, & vendebant. Teſtem adfero lapidem ſepulcralem inter *Donianos* a me editum, qui haec habet: (1)

P MAR-

(1) Claſs. VIII. num. 13. pag. 319. & quae adnotavi vide.

Heic sculpta Columba, sive avis.

MARCIA. T. F. SEVERA
AVRARIA. ET. MARGARITARIA
DE. VIA. SACRA. LEGAVIT. CODICILLIS
TESTAMENTI
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. SVIS
POSTERISQVE. EORVM

Vides Feminas dictas *Aurarias*, homines vero, qui caelandarum gemmarum peritia pollebant, ut supra adnotavimus, adpellatos *Aurifices*.

Feminas quoque *Bractearias*, quae auro opera praesertim aerea inaurabant, memoratas in priscis monumentis invenio. En lapis inter *Donianos* a me editus; (1) quem in Agro Romano erutum exscripsit idem DONIUS.

C. FVLCINIVS. C. L
HERMEROS
BRACTEARIVS
FVLVIA. MALEMA
VIXIT. ANNIS. XXXXVIII.
BRACTEARIA

In aliis lapidibus *Inauratores Bractearii* frequentius memorantur.

PEMALLION

Artificis Graeci nomen minimis litteris scriptum in Gemma *Cimeliarchii Medicei* Imperialis, perperam lectum, itemque alio modo

PERGAMUS

quum scriptum sit, decurtato nomine, ΠΕΙΓΜΟ. Siquidem

(1) Clafs. VIII. num. 19.

quidem PEIGMONIS opus est Bacchans ebrius, saltans, de quo suo loco superius dictum est. Vide PEIGMONIS.

PHILODAMUS

Prodit in lucem ad hanc Aurificum Gemmariorum seriem, & laterculum, a nemine antea excogitatum, ornandum augendumque PHILODAMUS, qui nominatur in marmore sepulcrali Capuano penes *Gruterum*. (1)

PHILODAMI. BASSI
AVRIFICIS
OSSA. HIC. SITA. SVNT.

Q. PLOTIUS FELIX

Post hunc adcensendus Q. PLOTIUS FELIX, qui in marmore inter *Doniana* GEMMARIVS DE SACRA VIA dicitur. Quum praeclaros Artifices *Eborarios*, *Margaritarios*, *Caelatores* auri & argenti, & *Aurifices*, ac *Gemmarios* officinas habuisse constet in SACRA VIA; minime coarctandum videtur *Gemmariorum* munus, ut solummodo Gemmas vendiderint; quae opinio est Clarifs. MURATORII; sed eos arbitror tum scalpsisse Gemmas, tum etiam vendidisse, qui earum pretium probe sciebant.

POSTUMUS

Producimus Artificem operibus ex auro praestantem, fama etiam eruditionis & litterarum celebrem, POSTUMUM Romanum, Capua oriundum. Hic, teste SUIDA (2) post trigesimum aetatis annum Grae-
cis

(1) Pag. DCXXXVIII. num. 10. (2) In voce Ποςοῦμος.

cis litteris inſtitui coepit, amore earum captus. Initio *Aurifaber* fuit χρυσοχόος. Athenas profectus, in eo ſapientiae domicilio Graecorum diſciplinis eruditus eſt, multisque & praeclaris ſcientiis inſtructus, ad ſeram uſque ſenectutem vixit. Hunc inter *Aurifices* antiquos recenſet FRANCISCUS IUNIUS. (1)

PROTOGENES

Quamquam inter Libertos Liviae Auguſtae ac Caeſarum Domus PROTOGENES non nominetur; adpellatur tamen PROTOGENES. CAPSAR. AVRIF. *Capſarius Aurifex*, qui forte capſas, ſive arculas ex auro elaborabat; vel erat *Capſarius Aurificum*, ut ſuſpicor, qui eorum opera ex auro argentoque anaglyphis & toreumatis ſculpta, vel fortaſſe etiam Gemmis inſertis incruſtatisque inſcalpta cuſtodiebat, ac ſervabat, & cupidis emendi depromebat, & eorum pretia ſtatuebat. De eodem PROTOGENE, ſi otium eſt, vide quae adnotavi in Columbario Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae. (2) Probabile etiam eſt, hunc PROTOGENEM ſub cura ſua habuiſſe arcam ſive capſam Collegii Aurificum, cuius fit mentio in hoc marmore ex SPONIO. (3)

PIETATI. AVG. SACR.
IMP. CAESARI DIVI TRA
IANI PARTHICI FIL. NER
VAE TRAIANI HADRIANI
AVG. PONT. MAX. P. P.
COLLEG. AVRIFIC. D. D

Eiusdem Collegii Aurificum mentio fit in *Gruterianis* pag. CCLVIII. 7. DCXXXVIII. 9.

PYR-

(1) Pag. 175. (2) Pag. 155. & 156. num. CXXIII.
(3) Miſcell. erudit. Antiqu. Sect. II. Art. XI. pag. 67.

PYRGOTELES

Clarissimum arte sua PYRGOTELEM Gemmarum Scalptorem laudat ac memorat PLINIUS (1), qui sub Alexandro Magno floruit, tantaeque existimationis apud eum fuit, ut edicto caverit, vetueritque invictus ac magnanimus Rex, se ab alio nullo scalpi, praeterquam a PYRGOTELE. Nec silentio praetereunda quae ab APULEIO in *Floridis* narrantur. „Sed
„ cumprimis Alexandri illud praeclarum, quod ima-
„ ginem suam, quo certior posteris traderetur, no-
„ luit a multis Artificibus vulgo contaminari : Sed
„ edixit universo orbi suo, ne quis effigiem Regis
„ temere assimilaret aere, colore, caelamine, quin
„ solus eam Polycletus (*lege* Lysippus) aere duce-
„ ret, solus Apelles coloribus delinearet, solus PYR-
„ GOTELES caelamine excuderet. Praeter hos tres,
„ multo nobilissimos in suis artificiis, si quis uspiam
„ reperiretur alius sanctissimae imagini Regis manus
„ admolitus, haud secus in eum, quam in sacrile-
„ gum, vindicaturus “. In numismatis, quae eius imaginem referunt, exemplum forsitan petitum manu vel eiusdem PYRGOTELIS, vel Lysippi suspicor; nam opere praestantissima sunt, praesertim aurea & argentea, quae nulla temporum edacitate labefactata ad hoc tempus in splendidioribus Principum Cimeliis splendescunt. Insignis est Gemma ingentis magnitudinis, in qua PYRGOTELIS nomen scriptum est, a Clariss. STOSCHIO edita Tabula LV. de qua vide quae erudite ab eo adnotantur.

(1) Hist. Nat. Lib. XXXVII. Cap. I.

M. RAPILIUS SERAPIO

Cum Aurificibus Gemmariis & Scalptoribus ac Caelatoribus ſociandus videtur M. RAPILIUS SERAPIO Romanus, cuius ſit mentio in hoc ſingulari lapide *Muſei* Suburbani Florentini STROZZIORUM.

M. RAPILIVS. SERAPIO. HIC
AB. ARA. MARMOR
OCVLOS. REPOSVIT. STATVIS
QVA. AD. VIXIT. BENE

Errat SPONIUS (1), qui eundem RAPILIUM SERAPIONEM ſcribit aras marmoreas fabricare ſolitum; quum perſpicuum ſit, eum a Vico *Arae Marmoreae* denominatum; quod apud Artifices Romanos in uſu erat, ut ex ſexcentis exemplis conſtat. (2) Sed, quod rarum in hoc lapide eſt, SPONIUS non animadvertit: tota enim ars M. RAPILII SERAPIONIS in eo verſabatur, ut oculos ſive aureos, ſive argenteos, ſive etiam ex vitro optime fabrefactos, & ad verorum ſimilitudinem ſcalptos, in ſtatuis reponeret, ſive aereae, ſive marmoreae eſſent. Inter Gemmas Aſtriferas ducentis Tabulis aere inciſis nuper a me editas tribus Voluminibus, quae Eruditis valde placuerunt, adtuli ex meis Cimeliis Tabula LIX. Gemmam coeruleo e vitro antiquam, in qua anaglyptico opere ſculpta eſt, tamquam primum Artificis exemplum ad inſigne *Cameum* perficiendum, protome ignotae Deae inter duo aſtra, & cernitur loculus, foramenque, in quo in eius collo reponendum erat caput

(1) In Miſcellaneis Sect. VI. pag. 232.
(2) Hunc Titulum Sepulcralem adtuli in Par. I. Inſcriptionum antiq. Etrur. & illuſtravi pag. 406. & 407. num. 215.

caput ejusdem Deae; quod exemplum quum in Gemmis anaglypticis perrarum ſit, nolui praetermittere. (1)

Conſueverunt non ſolum Graeci & Etruſci, ſed etiam Romani in ſimulacris ac ſtatuis cavos & inanes oculos conſtruere, ut eorum loco oculi ex adamante gemmisque pretioſis, quae oculos referrent, reponerentur. Exſtat Caecilii Balbi luculentiſſimum teſtimonium apud Iohannem Sarisberiensem in *Policratico*, qui haec habet: „ Quis enim Deorum ei parcat, a quo ſe deceptum intelligit? Quis non irruat in eum, qui aureos Iovis oculos eruit, aut argento Gemmisque ſublatis veſtem nititur excoecare? Quis de Martis capite adamantinum lumen temerariis effodit unguibus “. Exſtant apud me antiqua ex aere ſigna Deorum, ac Diis dedicatorum animalium, quae oculos argenteos habent. Craterem quoque ex aere funebrem habeo, cuius manubrium in caput arietis elegantiſſimum deſinit, eius vero oculi argentei ſunt: toreuma in fundo Crateris ſculptum exhibet funus Patrocli, arma vero, thoraces, & galeae Heroum argento in aere inſerto illuminantur; quod artificium, notatu dignum, & hodie Italice dicitur *di tarſia;* quemadmodum docent antiqua pondera, quorum non pauca apud me ſervantur, queis litterae, & ſigna numeralia ex argento in aere inſerta ſunt. Thecam aeream atramentariam antiquam copioſo Commentario inluſtratam aliquando proferet Vir doctiſſimus Iacobus Martorellius, Regius Graecarum Litterarum Profeſſor Neapolitanus,

(1) Vide, ſi lubet, quae adnotata ſunt in Vol. II. ad hanc Tabulam LIX.

nus, in qua ſigna ſeptem Deorum ex argento inſerta ſunt. Quum mihi primas ipſe Praefationis ſuae impreſſas ſchedas miſiſſet, docui, eumque monui, nihil de hac antiqua auri & argenti incruſtandi inſerendique arte, ac ne verbum quidem feciſſe; quod tamen ab eo factum iri ſpero.

Veteres quoque Chriſtiani oculos ex gemmis reponere in ſacris tum ex aere, tum e marmore Imaginibus conſueverunt; cuius artificii exempla non pauca alibi a me adlata ſunt. De eadem apud Graecos conſuetudine, eodemque artificio, habes Epigramma Lucilii in *Anthologiae* Lib. II. Cap. 22. num. I. Sed de gemmeis oculis, vitreisque in ſtatuis repoſitis, plura adfert omnigena eruditione Clariſſimus Senator Bonarrotius, quem vide. (1) Multis operibus ex gemmis, lapillis, cryſtallisque ornari ſolita docet ſimulacra Deorum, in pompis ac feſtis eorum, quo facilius cultum ab ignara plebe obtinerent. Gemmis ornabant eorum caput, pectus, veſtes, & torques, fibulas, bullas ex gemmis locupletabant. Exſtat in meis Cimeliis bulla rotunda ex *Achate Sardonyche*, quae clauditur & aperitur tanquam thecula, opere pulcherrimo expolita, & ſtrigibus eminentibus ad centrum euntibus elaborata, limboque argenteo in utriusque partis labris circumdata, quam vel voto donatam alicui Deorum, Dearumque, vel etiam nobilis pueri inſigne fuiſſe pro amuleto continendo non invitus reor. Titulum dedi *Syncrotis Tiberii Caeſaris* (2) cuius officium fuit AD IMAGINES, quas ipſe in Domo Auguſta vel ſervabat, vel expoliebat, memo-

(1) In Praefat. ad Numism. maximi moduli Muſei Carpinei pag. XI. & XII.
(2) In Columbario Libert. & Servor. Liviae Aug. pag. 158. num. CXXVII.

memoratisque ornamentis condecorabat, quum in pompis ornatissimis thensis deducendae essent. De hisce etiam gemmarum ornamentis in cultum Deorum plura Clariss. Commendat. Eques FRANCISCUS VICTORIUS in *Dissertatione* sua *Glyptographica*. (1)

D. SALLUSTIUS ACCEPTUS.

De eo vide supra quae de NERONE diximus. His quae paullo supra observavi, illud addendum, Opifices Lapidarios eos esse posse, qui non solum Gemmas & Vitra coloribus iisdem infecta, quibus Gemmae cuiuscumque generis nitescunt, expoliebant quamscitissime; verum etiam & eos qui variis faciebus tum Gemmas tum Vitra donabant, dum ad rotulam expolirent, quas nos dicimus *faccette*, & actum ipsum *faccettare* adpellamus; quare doctissimi Compilatores Vocabularii Tuscanicae elocutionis *Della Crusca* haec scribunt Vol. II. pag. 329. „ FACCETTA. §. Onde „ *A faccette*, posto avverbialmente, o in forza d' aggiunto, si dice di Gemma, o d' altro, la cui superfizie sia composta di facce, e piani diversi. Lat. *angulatus*. Gr. Πολύεδρος. " In meis Gemmariis theculis pulcherrimae quaedam Gemmae antiquae sine caelaturis servantur, & vitra etiam aliquot & crystalla parva orbicularis, vel longioris figurae hisce faciebus eleganter & pellucide fabrefacta. Nihil dico de *Dactyliotheca Stoschiana*, quae ditissimum est tum harum Gemmarum & Vitrorum antiquorum, tum antiquarum omnium elegantiarum promptuarium, unde exempla omnia peti possunt. Servatur etiam lens maior e crystallo splendidissimo in iisdem meis forulis,

R de

(1) Cap. VIII. IX. X. XI. & XII.

de cuius uſu alibi differendum erit. Exempla aliquot expolitarum Gemmarum e cryſtallo & vitro antiquo ſuis figuris exhibentur ab Auctore non ſemel laudato *Diſſertationis Glyptographicae* (1), quae in inſigni *Victorio Muſeo* Romae adſervantur. Idem Auctor in fine Praefationis ad egregium Opus *De Sanctis ſeptem Dormientibus*, adlatis figuris & inſtrumentis, accuratiſſimam normam exhibuit artis conficiendi Vitra cuiuscumque generis colorata, vulgo *Paſte*, quae referant *Iaſpides* nigros, virides, rubros, *Achates* variegatos, *Carneolas*, *Hyacinthos*, *Amethyſtos*, *Chalcedonios*, & quomodo expoliantur, utiliſſimo labore expoſuit, & docuit.

SATUREIUS

In Anthologia veterum Graecorum Epigrammatum, praeſertim Lib. IV. Cap. XVIII. deſcribuntur, & laudantur complura Scalptorum Gemmariorum opera lapillis inſcalpta, ac praecipue in cryſtallo montana. Inter hos celebratur SATUREIUS Graecus Lithographus, qui imaginem Arsinoes, uxoris Ptolemaei Philadelphi Regis, cryſtallo faberrime ita exſcalpſit, ut nihil ad veritatem deeſſet; quem Poeta in exprimendis imaginibus eximio Zeuxidi quodammodo parem facit. En ipſum Epigramma:

Ζεύξυδος ἡ χροιή τα ϗ ἡ χαρις, ἐν δέ με μικρῆ
Κρυςάλλῳ, τὸ καλον δαίδαλον ΑΡΣΙΝΟΗ
Γράψας τȣτ' ἔπορεν ΣΑΤΥΡΗΙΟΣ. ἐιμὶ δ' ἀνασσης
Ἐικὼν, ϗ μεγάλης λείπομαι ȣδ' ὀλίγον.

Cl. Hugo Grotius vertit

Zeuxidos & color eſt & gratia: ſed Satureius
Tum varias laudes exhibet Arsinoes
In glacie parva. Dominae ſum tantula tantae
Effigies; in me nil tamen eius abeſt.

Huic

(1) Vide Cap. XXVIII. pag. 105. & 106.

Huic forſitan Artifici praeſtantiſſimo tribuendus eſt Crater ille maximus ex *Sardonyche*, editus a Clariſſimo Marchione MAFFEIO in *Muſeo Veronenſi* , cuius poſtica pars GORGONIS caput exhibet , quandoquidem ſpecie Deorum eiusdem *Ptolemaei* & *Arſinoes* uxoris imagines repraeſentantur ; de quo emblemate alibi fuſius dicam.

In ditiſſimo *Mediceo* , Imperiali nunc , *Theſauro* prodigioſa ſupellex ſervatur Vaſculorum antiquorum ex pretioſis lapidibus, atque e cryſtallo montana, quae admirando opere caelata ſunt. Poculum cryſtallinum antiquum ſpectatur in celeberrimo *Muſeo Stoſchiano*, in quo in anteriore epiſtomii parte mira arte excavatum in anteriore labro, e quo vinum in pocillationibus ad guſtum ſorbere ſolebant , ſculptum eſt MEDUSAE caput anguibus crinitum , artificio emendatiſſimo. Non pauca & apud me exſtant antiquorum operum e cryſtallo fragmenta, quae ad ornanda parva Deorum templa, de quibus luculenter diſſerit PHILIPPUS BONARROTIUS Florentinus Senator Ampliſſimus, facta videntur. (1) Referunt enim arborum folia, coronides, conchas, nimbos forſitan Veneri dono dandos, arma, thoraces, & homines, alios ex equo, alios pedibus, ad venatum euntes. Truncum, ſed toto cum pectore & coxis, ſedentem habeo CUPIDINEM antiquum e cryſtallo; cuius humeri quum foramine quodam terebrati adpareant , coniicio in parva aedicula pro Donario locatum fuiſſe. De hiſce parvulis Templis & aediculis exquiſita eruditio-

(1) In Praefat. ad Numism. *Muſei Carpinei* , ubi multa in cryſtallo caelamina adfert pag. 298. 345. 385. & differit de his pag. XXII.

ditione disserit Vir Clarissimus PHILIPPUS DE VENUTIS, Ecclesiae Liburnensi Praepositus. (1) Sed curiosum est diaglypticum e crystallo opus apud me, in quo sculpta est persona cum peculiari galea. In alio quatuor unciarum meo fragmento, in crystallo excavatus est Athleta nudus, perite aureis bracteis superfuso; in quo mira Caelatoris ars, studium, ac patientia elucet. Nonnulla ex his fragmentis antrorsum, ubi figurae inscalptae & excavatae sunt felicibus ductibus & lineis, auro bracteata sunt, servantque adhuc aurum pellucidum, uti imago Athletae, minus vero Militis memorata persona. Haec opera, si per suam planitiem politissimam spectentur, figuras referunt veluti integras, exstantes, & anaglyptico opere sculptas; quod opus plane mirandum a peritioribus harum elegantiarum valde laudatur; quod exemplum secutus est VALERIUS BELLIUS Vicentinus, qui pro CLEMENTE VII. arculam stupendi operis sculpsit, & introrsus figuras inauravit, quae in eodem *Thesauro Mediceo* exstat. Nam in his contemplanda est non solum caelandi scalpendique peritia Opificis; verum etiam ars inaurandi, bracteisque cooperiendi eas imagines, quod fornacis igne fiebat. Habeo etiam leaenae caput e crystallo antiqua pulcherrimum, quod totum inauratum est. (2) Quare si Lithographis socios demus Bractearios Inauratores, non erit, opinor, absonum & absurdum. In Aula Liviae Augustae, ut vidimus, non solum Gemmarii Caelatores, Aurifices, Margaritarii, & Colorato-

(1) Vide Vol. I. *Differt. Accademic. Etruscor.*
(2) De crystallo, eiusque usu apud Antiquos accurate differit Clarifs. Vir Ioan. de S. Laurent in sua *Differt.* quae prima est in Vol. V. *Accademicor. Etruscor.* Cap. VII. pag. 41.

ratores erant, verum etiam Inauratores. Adhuc haec ars perennat, & pocula cryſtallina, & crateres inaurati fiunt, praeſertim Venetiis apud Muranum, olim quoque in Mediceis officinis, & alibi, totoque orbe hodie intus & extra pocula pro Americana ambroſia ad miraculum uſque, ut in Saxonicis, Neapolitanis, & Florentinis Ginorianis officinis fulgenti auro bracteantur, atque inaurantur, & picturae etiam elegantiſſimae aureis lineis illuminantur; adeo ut non multum miremur Aegyptia opera, & inventas ab eis Artes, quum noſtra quoque aetate excellentiſſimos Artifices cuiuscumque generis habeamus ſagaciſſimos ac peritiſſimos. Adferre nunc lubet quae PLINIUS obſervat de Aegyptiis poculis. (1) „Tingit „ & Aegyptus argentum, ut in vaſis Anubim ſuum „ ſpectet; pingitque, non caelat argentum. Tranſit „ inde materia & ad triumphales ſtatuas, mirum- „ que creſcit pretium fulgoris excaecati". Quomodo etiam Gemmae ab Aegyptiis tingerentur, idem PLINIUS exponit. (2)

D. SEGULIUS ALEXA

Cum Opificibus Gemmariis recenſendus eſt DECIMUS SEGULIUS ALEXA, qui Romae floruit, quod ex ſequenti titulo *Gruteriano* (3) colligitur.

D. SEGVLIVS
ALEXSA. AVRVFEX

SELEUCUS

Hic quoque aurariam artem exercuiſſe videtur, & in Colle-

S

(1) Lib. XXXIII. Cap. 9. (2) Lib. VII. Cap. 9. (3) Pag. DCXXXIX. 1.

Collegio Aurificum Magister Quinquennalis fuit, licet libertinae conditionis, cuius dominus fuit Aulus Fourius. (1)

T. SICINIUS PRIAMUS

Aurifex fuit, teste Opitergiano lapide penes Muratorium. (2)

T. SICINIVS. L. L.
PRIAMVS. AVRIF.

SIDON

Vitri Artificem adpellat PLINIUS (3). Manubria sive ansas duas Vasculi vitrei pulcherrimi, sed fracti, olim ad me misit delineata amicissimus Eques HIERONYMUS ODAM, in quibus scriptum exstantibus litteris ΣΙΔΩΝ. quae vel ipsum Artificem, vel Sidonem notabant; nam vascula vitrea e Sidoniis officinis apud Romanos laudatissima, ac magno in pretio fuere, quum apud Sidonios Artifices essent egregii, quos etiam celebrat STRABO (4), deque his PLINIUS fusius agit Lib. XXXVI. Cap. 26. Vitrarias antiquas Officinas memorat BONARROTIUS in Praefatione sui immortalis Operis *de Vitreis Vasculis antiquorum Christianorum*, ubi Poculorum & Calicum vitreorum antiquitatem, usum, artificium, luxum apud Romanos tanta eruditione elucidat, ut nil supra desiderari possit. Erant etiam in magno pretio Vascula Vitrea sigillata, nempe signis & figuris ornata; quae etiam non solum pingi variis coloribus, sed etiam inaurari solebant. Merentur ergo & hi Vitrarii Artifices in censum Gemmariorum Opificum, velu-

(1) Vide Thes. Gruter. pag. DCXXXVIII. 9. (2) Class. XIII. pag. CMLXXVII. 9.
(3) Histor. Nat. Lib. V. Cap. XIX. (4) Geograph. Lib. I. 41.

veluti ſocii, comites, & adſeclae, venire; quum & ipſi tanta arte non ſolum vaſcula, ſed etiam ſigna, & templorum, atque aedicularum ſacrarum, & Muſeorum ornamenta e vitro abſolverent, ac perficerent. Multa in Adverſariis undique collecta adnotavi, quae pulcherrimum opus praeſtare poſſunt *de Vitrariis antiquis, & eorum operibus*, quod a nemine nedum factum, nec excogitatum puto. Myrrhini Vaſculi fragmentum inſigne protuli in Decade II. mearum *Symbolarum*, quod apud me exſtat; quare & de his, qui vitrea vaſcula, phialas, ampullas fabricabant, luculenter differi poteſt. Non ſine voluptate contemplor inter mea Cimelia Caput virile imberbe e vitro felici flatura figuratum, altum cum collo unciis ſeptem, ſine dubio antiquum. Obſervavi Artificem triplici flatura illud efformaſſe; nam prima anteriorem vultus partem, altera poſticam, tertia vero flatura egregio opere utramque partem coniunxiſſe & conſolidaſſe animadverto, ut integrum caput referret, quod intus totum vacuum eſt, & multae quidem ſubtilitatis, praeſertim in naſo, qui labefactatus parumper eſt. In tam opulento antiquarum Inſcriptionum *Theſauro* nondum vidi memoratos Opifices Vitrarios, quum de Vitreis operibus, gemmis, deque Obſidiano Vitro luculenter agat PLINIUS. Probe teneo me vidiſſe (pauca tamen) vitrea vaſcula, ſeu phialas, quarum ima pars exhibet litteras aliquas, & vitrariae officinae inſigne. Profecto mirum videri poteſt, quum *Ampullarii* legantur (1), & *Artifices artis teſſellariae luſoriae* (2), nempe ex la-

(1) Vide Theſaur. Murator. pag. CMXXII. 36. (2) Apud eundem pag. CMLVIII. 4.

ex lapillis gemmeis, vel ex ebore. Tali gemmei & vitrei perpulcro artificio fabrefacti in variis Museis, atque in meis Cimeliis adservantur ex *Sarda* & *Chalcedonio Saphyrino*; & duo tali antiqui ex *Sarda*, Cruce insculpti, & sacris litteris ornati, occasionem dedere amicissimo Viro eximio Io. BAPTISTAE PASSERIO, ut Dissertationem luculentam elucubraret *de Sortibus veterum Christianorum*, quam protuli in Vol. III. mearum Gemmarum Astriferarum (1). Accedunt tesserae vitreae, imagines in vitreis orbiculis sculptae, & alia huiusmodi opera, ingenii ac studii oblectamenta, quae ostendunt Opificum *Vitrariorum* industriam, scientiam, ac praestantiam; adeoque cum Scalptoribus tantam habent adfinitatem, ut sine haesitatione credam, eximios Gemmarios Lithographos, eximios quoque Vitrarios fuisse; quum ipsi exempla & prototypa suorum operum, ut opus pretiosum facerent accuratius, efformarent; vel ex iam absolutis operibus educerent vitreas formas, quae a nobis *Paste antiche* adpellantur, e quibus non paucae apud me exstant; innumerae vero in *Cimeliarchio Stoschiano*; quae antiqua vitrea ectypa nobis plurima servarunt praestantium Caelatorum Gemmariorum opera, quorum archetypa adhuc latent, & nondum visa sunt.

Non praeteribo *Vascularios Vitrarios*, qui in fundo Vasculorum suorum nomen suum per siglas notare solent, atque etiam insigne officinae suae insculpere; cuius rei non desunt exempla. Inter hos forsitan numerandus L. AEMILIUS BLASTUS, cuius opus dedi ac descripsi ex *Cimeliis Andreiniis* (2). Praetereo vitreas

(1) Ea est Dissertatio XIV. quam vide pag. 234.
(2) Vide Par. I. Inscript. ant. Etrur. Urb. pag. 265. num. 51.

vitreas ampullas, ac phialas unguentarias, olearias, quae exhibentur ex ſculpturis eximiarum Gemmarum, quas e *Muſeo Victorio* accepi, & protuli inter *Donianas Inſcriptiones* (1). Multa dicenda in Adverſariis meis ſupereſſent de *Pictoribus Vitrariis*, ſed quia hi ad hanc Spartam non pertinent, praetermitto; de quibus tamen alibi erit ſermo.

STEPHANUS

Laudatur STEPHANUS in Monumento ſive *Columbario* Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae, qui fuit Tiberii Caeſaris Aurifex, inter Scalptores Gemmarum celebris, de quo ſupra in Parte II. nonnulla adnotavi. En eius titulus: (2)

STEPHANVS
TI. CAESARIS
AVRIFEX.

Quanta artis ſcientia pollerent Gemmarii Artifices, qui Auguſteo aevo floruerunt, oſtendunt Opera anaglypho opere exſcalpta, quae iam edita ſunt; *Achates* nempe Tiberianus, Auguſtae Familiae Apotheoſis, quae exſtant in Caeſareo *Vindobonenſi Cimeliarchio*, & alia vulgo *Camea* eiusdem aevi, magnitudine & opificio inſigniſſima. Nec praeteribo Craterem immenſi operis abſolutiſſimi, ex *Achate* utrimque ſculpto, mirae magnitudinis, olim *Muſei Farneſiani*, nunc *Regii Neapolitani* inſigne ornamentum, a Praeclariſſimo SCIPIONE Marchione MAFFEIO bis editum; (3) & Tiberii

T

(1) Tab. IX. pag. 143. (2) Ibid. pag. 153. num. CXX.
(3) Vide Muſeum Veronenſe pag. CCCLV. & CCCLVI.

berii Caesaris protomam, opere admirando & exquisitissimo scalptam ex *Iaspide* caerulei coloris, vulgo *Turchina*, quam exhibui in *Musei Florentini* Vol. I. Tabula III. eamque illustravi pag. 14. quae exstat in Augusto *Mediceo Thesauro*. Gemmarius Opifex in hac nomen suum non scripsit; sed quis scit, num huius STEPHANI peritissima manu, tam verae imagini simillima, esse possit? Hic STEPHANUS non Liviae Augustae, sed TIBERII CAESARIS AVRIFEX laudatur. Dubitare licet; non tamen id adserere, aut adfirmare. In iisdem Mediceis Imperialibus Cimeliis exstat opus *Sardae* pereleganter inscalptum, nempe PEGASUS ocissime currens, quod praefert nomen STEPHANI; (1) de quo dubitandum tamen, utrum exprimat nomen Gemmarii Scalptoris, an vero Domini possessoris eiusdem Gemmae. De hisce dubiis caelaminibus iudicium aliorum cupio, meum non profero.

TEUCER

Laudatur a PLINIO (2) TEUCER *Crustarius*, qui sua aetate ingentem famam consecutus est. *Crustae* erant emblemata, exquisito artificio elaborata, quae Vasculis praesertim potoriis addebantur, quae non solum ex auro argentoque fiebant, verum etiam ex gemmis nobilissimis, de quibus GOTOFREDUS in *Cod. Theodos.* Lib. XV. Tit. VII. & LAZARUS BAYFIUS. Iam memoravimus ex antiquis scriptis monumentis aurea

(1) Vide a me editum Par. I. Inscr. ant. Etrur. Urb. Tab. XII. num. I. Illud nunc notandum, omnes Gemmas, quas in hoc Volumine protuli, ita sculptas esse, ut in ipsis Archetypis Gemmis visuntur, non vero ut in ectypis exprimuntur, quod tunc a novitio factum, postea minime probavi.

(2) Lib. XXXIII. Cap. XII. num. 5. Hard. edit.

aurea & argentea Vascula potoria gemmata, quibus in mensis utebantur Principes Domus Augustae. Quamvis incertum sit, utrum *Crustarii* Opifices Gemmas ipsas, & gemmata anaglypha opera, quae Vasculis inserebant & inligabant, ipsi inscalperent, ac caelarent; tamen cum Gemmariis Aurificibus propter artis adfinitatem, inserendarumque Gemmarum peritiam ex hoc Historico Catalogo reiicere absurdum mihi visum est; in quo non ea sola nomina Scalptorum Gemmariorum, de quibus constat, sed & aliorum, qui artis cognatione ac studio eorum socii erant, atque, ut vidimus, in Collegio Aurificum censebantur, enumeranda esse non inutili labore censuimus. His, si Viris doctis placuerit, addi poterunt Caelatores aureorum & argenteorum poculorum, & phialarum celebriores, qui a Plinio ibidem laudantur, quum in multis non exprimat, si ea vasa ex pretiosis lapidibus perfecta essent, vel gemmeis emblematis ornata; inter quos MENTOR, ACRAGAS, BOETHUS, MYS, CALAMIS, ANTIPATER, STRATONICUS, TAURISCUS Cyzicenus, ARISTON & EUNICUS Mitylenaei, HECATAES, & qui circa Magni Pompeii aetatem floruere, PRAXITELES, POSIDONIUS Ephesius, LAEDUS Stratiates, ZOPYRUS, PYTHEAS, ac demum TEUCER, de quo haec pauca adtulimus.

His adiungendus ALCIMEDON poculorum Caelator celeberrimus, quem divinum adpellat Virgilius.

- - - - - - - - *Pocula ponam*
Fagina, caelatum divini opus ALCIMEDONTIS,
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.

In me-

In medio duo ſigna: Conon; & quis fuit alter,
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem;
Tempora quae meſſor, quae curvus arator haberet?
Necdum illis labra admovi, ſed condita ſervo.

Ruſticis aptavit opus; ſed facile eſt VIRGILIUM deſcripſiſſe vas, ſeu ſcyphum a ſe viſum, ſculptum ſtupendo opere; vel, ut notat SALMASIUS, ex THEOCRITO accepit. Quare & ab eo, & ab ANACREONTE, aliisque Poetis eximiae pulchritudinis caelata Vaſcula potoria deſcribuntur.

TRAVII

Patria domoque Amerini fortaſſis fuere TRAVII Aurifices, qui in hoc funebri Titulo penes GRUTERUM (1) memorantur; nam lapis exſtare dicitur Ameriae in aede B. Rocchi:

T. TRAVIVS. T. L. ARGENTIL
LVS. AVRIFEX. TRAVIVS
T. L. AVCTVS. AVRIFEX
LIB. FEC

In *Scaligeriano Indice* indicatur DOMVS AVRIFICVM pag. XXXI. num. II. ſed notandum, inrepſiſſe mendum; nam in ara marmorea, quae exſtat in *Muſeo* ſuburbano *Strozzio*, quam vidi, & in lucem iterum accuratius protuli (2), ſcriptum eſt: EVMOLPVS CAESARIS A SVPELLECTILE DOMVS AVRIAE. hoc eſt *Domus Aureae* Neronis.

P. VA-

(1) Pag. MCXVII. num. I.
(2) Vide Par. I. Inſcription. ant. Etrur. Urb. pag. 335. num. 4.

P. VALERIUS BENEDICTUS

Vide ſupra ubi recenſetur inter Aurifices C. AURELIUS CARPUS.

L. VETTIUS NYMPHUS

Romanus, ut opinor, fuit hic L. VETTIUS NYMPHUS; nam in Romano Agro inventum eius Epitaphium, adlatum inter *Gudianas* (1):

L. VETTIVS. NYMPHVS
AVRIFEX. V. A. XVII. &c.

Sed inter *Sponianas* legitur (2):

L. VECTIVS. NYMPHIVS.

at legendum videtur NYMPHVS.

Z E U X I S

Claudit agmen praeſtantium Scalptorum Gemmariorum, & Aurificum ZEUXIS Liviae Auguſtae Libertus, huiuſce artis peritus. Sepulcralis eius titulus heic repetendus. (3)

ZEVXIS. LIVIAE. L. AVRIFEX RVFA. TERTI. L.

His addere nunc lubet *Anularios*, qui Scalptorum ſocii & conlegae ſunt, qui in vetuſtis lapidibus memorantur. Ex Placentino lapide, quem manu Sen. BONARROTII inter eius ſchedas exſcriptum inveni, prodit Q. MVSIVS PRIMVS. En ſepulcri eius epigraphe, quam vivens ſibi fecit.

V. L O C. F
Q. M V S I. Q. L
P R I M I
A N V L A R I
IN FR. P. XIIII
IN AG. P. XIIII

V GRU-

(1) Pag. CCXXV. num. 2. (2) In Miſcell. erud. Antiq. pag. 219.
(3) Vide Columbarium &c. pag. 150. num. CXIV.

GRUTERO & SCALIGERO incognita fuit, in quorum Thesauro nec *Musia* familia, nec inter Artifices *Anularii* recensentur. Eadem epigraghe cum mendis, & confusa repetitur. (1)

Huic praestantium Artificum agmini si quis addere voluerit, silentio non praeteribo, PHILOMUSUM, qui in Aula Liviae Augustae fuit *Inaurator* Tertii Libertus, qui nempe simulacra Deorum, statuas, imagines, & alia quae ad supellectilem spectant, inaurabat, aureis bracteis cooperiebat, cuius exstat sepulcralis hic titulus a me editus in meo Columbario.

PHILOMVSVS TERTI. L. INAVR

Hoc est: *Inaurator*.

ZOSIMUS

Inter Scalptores Gemmarios recensetur a IOANNE FABRO Bambergensi in Commentariis ad Imagines Virorum Inlustrium Bibliothecae FULVII URSINI. (2) Sed quum Artificum nomina propria alio detorqueat, vel falso explanet (3), eius iudicio caute fidendum est: ei tamen ignoscendum, quum nonnisi haesitanter & obscure nomina Gemmariorum Scalptorum ante V. C. PETRUM ANDREAM ANDREINIUM, LEONEM STROZZAM Praesulem, & PHILIPPUM STOSCHIUM indicata fuerint vel cognita.

(1) Clafs. XiiI. num. 6. (2) Tab. LXXXViI. pag. 52.
(3) Vide Differt. Glyptographicam Cap. iiI. pag. 8.

HISTORIAE GLYPTOGRAPHICAE

PARS IV.

SCALPTORES GEMMARIOS
RECENTIORES
A Saeculo XV. ad Saeculum XVIII.
complectens.

PROLOQUIUM



Magnum & divinum est hominis ingenium, quod quidquid arduum & admirabile est in universo terrarum Orbe, id ipsum imitari & facere sapientissimi Dei optimi maximi ope & consilio consuevit. Testantur quantae eius mentis vires sint, & quam maxima ac mira perspicacia atque intelligentia, innumera magnificentissima aedificia, naves, horologia, pictae tabulae, statuae, atque, ut paucis omnia complectar, scalptae Gemmae, de quibus nunc pertractandum. In parvo minimoque lapillo non sine admiratione cernimus plurimas figuras faberrime expressas; cuius stupendi opificii testis est illa toto orbe famosissima Gemma, quae e digitis divini nostri Michaelis Angeli Bonarrotii *in digitos Christianissimi Galliarum Regis Magni* LUDOVICI XIV. *tanto honore & maiestate digna, feliciter migravit.* (1) *Praetereo alia plura Artificum praestantissimorum miracula, quae in egregio suo opere* Franciscus Iunius *luculenter descripsit. Quum in superioribus huius Historiae partibus veterum clarorum Artificum Gemmariorum nomina ac laudatissima opera recensuerim; in hac postrema recentiores Gemmarum Scalptores enumerandi sunt. Primus hanc Spartam summa cum laude occupavit* Georgius Vasarius, *qui eos Opifices, quos aetate sua celebres audiverat & noverat, laudavit; mox Auctor Dissertationis Glyptographicae, nempe Clarissimus* Franciscus Victorius *Equestris Ordinis S. Stephani P. & M. Commendator,*

X qui

(1) Hanc Gemmam operosissimam egregie delineatam, & aeri incisam, vide editam in Par. I. Operis P. I. Mariette, quod inscribitur: *Traitè des Pierres Gravèes* &c. Tabula XLVII.

qui eorum nomina paucis adiectis indicavit . VICTORIUM *secutus est egregius* PETRUS MARIETTUS *Gallus , qui non pauca , iisdem vestigiis insistens , adnotavit ; sed omnes una commiscuit Artifices , ad sidera nimium evectis his , qui Gallicum caelum ornant . Illud igitur mihi propositum perficiundum curavi , ut non solum eorumdem Gemmariorum Opificum nomina servato chronologico ordine , & aetatum serie recenserem , verum etiam multa quae ab ipsis praetermissa sunt , observanda proponerem . Ex dicendis adnotandisque perspicue apparebit , me nullis laboribus studiisque pepercisse , ut Historiam hanc meam Glyptographicam absolutiorem , & luculentiorem posteritati commendarem . Ea de re Scriptores de hisce artibus pertractantes consului ; plurima volumina , quae habentur Florentiae in Mediceis Bibliothecis , & in Mediceis Chartophylaciis excussi , ut nomina praestantium Aurificum Gemmariorum , qui sub Mediceis Heroibus stipendia meruere , colligerem , ac permulta nondum vulgata ac nota , quod factum a me est , scriptis patefacerem . Primum dicendum esset de Gemmariis Caelatoribus , qui Romae floruerunt sedente* MARTINO V. *Pontifice Maximo ; sed quia in ea temporum caligine , nondum litteris in pristinum decus , & gloriam restitutis , eorum nomina nobis nota non sunt , Glyptographicae Artis praestantiam iure ac merito Florentinis ingeniis tribuimus , ope , studio , ac liberalitate Viri Magnificentissimi* LAURENTII MEDICIS , *qui artes omnes , atque etiam optimas litteras ac disciplinas restituit , atque in sempiterna luce & dignitate conlocavit . Minime tamen negandum est apud Florentinos & ante hanc Laurentianam Epocham floruisse Glyptographicae Artis studia ; quod ut perspicue ostendam , paucis contentus exemplis , recensere lubet* BENEDICTUM PERUTIUM *Florentinum , qui , teste* SCIPIONE ADMIRATO ,

RATO, *in Florentinis Historiis* (1), lapillorum ſcalptor fuit ſingularis: *ſiquidem Florentinae Reipublicae rebellis, quum anno* MCCCLXXIX. *vel potius ſequenti, Patavium confugiſſet, falſis formis in lapillo reddidit, atque expreſſit obſignatorium anulum ac ſphragisma Caroli de Duratio, qui ex avito Neapolitano regno Iohannam Reginam pellere, & in carcerem detrudere auſus fuerat; adeo illud verum eſt, quod Celeberrimus* SCIPIO *Marchio* MAFFEIUS *adſirmat* (2), " *quod artes quaelibet ab Italis omni aevo* " *exercitae ſunt; cum exterae nationes neque litteras ullas,* " *neque artes in Italiam attulerint; ſed earum rudes at-* " *que ignari advenerint: iisque non admoverunt manus, niſi* " *poſtquam longo contubernio, ſanguinisque commixtione ipſi* " *quoque Itali evaſerunt*.

Igitur ut perſpicuo ordine hanc Glyptographicam Hiſtoriam, quae recentiores Gemmarios Scalptores complectitur, contexam; primum verba faciam de Mediceis Principibus praeſtantiſſimae Artis Inſtauratoribus & Fautoribus liberaliſſimis; mox agam de Artificum Officinis ab iisdem conditis, atque omnibus inſtrumentis ac praeſidiis luculenter inſtructis; deinde Florentinos Lithographos, qui iisdem regnantibus floruere, ſervatis temporum legibus, recenſebo; poſtmodum, quod nimis ieiune, vel levi Minerva factum eſt, de pretioſorum lapillorum Compaginatoribus, ſeu Muſivariis, qui, non vitreis lapillis, ſed pretioſis durisque petris in compingendis tabulis uſi ſunt, atque hac ipſa noſtra aetate utuntur, ſermonem inſtituam; in quo capite & Clarorum Artificum exterorum nomina venient, qui ad haec uſque tempora Gemmis ſcalpendis colligandisque tam miro opificio dant operam,

(1) Vide Tom. II. Partis I. Lib. XIV. pag. 741. edit. Florent. in fol.
(2) In Muſeo Veronenſi pag. CCXXXII.

operam, ut pictas tabulas referant, ope & munificentia magnorum nostrorum Principum, & summam nomini suo gloriam operibus suis aerumnosissimis conquirunt. Vitandae obscuritatis & confusionis causa, mox Regnorum & Urbium omnium praeclaros Glyptographos Artifices recensebo, describamque eorum quae mihi nota sunt opera, indicata qua floruerint temporum serie. Post me non defuturos auguror, qui eorumdem Artificum numerum augebunt, & alia notatu digna, longa meditatione & studio in lucem proferent; sed his paucis nos contentos esse decet, maiorem gloriam posteris debitam numquam negaturos, atque invisuros.

Ordo & Prospectus huius Partis IV. Historiae Glyptographicae.

Proloquium.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Medicei Principes Glyptographicae Artis primi restitutores & fautores recensentur & laudantur.

MENTE magnorum Principum & Regum digna ea cura habita est, quae tota in illud divinum beneficium incubuit, ut optimae disciplinae & artes non solum adsidue in suis ditionibus excolerentur, verum etiam ad summum decus, dignitatem, atque praestantiam absolutissimam eveherentur. His enim vigentibus, mirumque in modum florentibus, populorum commoda, commercia, & opes augentur, divitiae, merciumque omnium copiae, & maximae facultates parantur, & facili negotio conquiruntur, earumque nominis gloria ac fama totus orbis impletur. Omnium primi MEDICEI HEROES studiis omnibus & artibus facem hanc micantissimam extulerunt, qui barbarorum teterrima vastatione & excidio male vexatos profugos homines doctissimos e Graecia in sinum suum exceperunt, & litteras atque artes veteres intermortuas ad vitam revocarunt, atque in aedibus suis, rure etiam instituta Platonica Academia, florere, in dies crescere, & vires augere voluerunt. Ne in tanta gloria adserenda iactabundus videar, testem nobilissimum adducam EZECHIELEM SPANHEMIUM, qui in Dissertatione prima de praestantia & usu Numismatum antiquorum perspicue ostendit, Mediceae Augustae Domus Heroas omnium primos veterum monumentorum utilissimum studium amoremque in Italiam invexisse. Quamquam constet, Io. FRANCISCUM PETRARCHAM in antiquitatibus observandis, dum Romae versaretur, reliquos omnes antecessisse;

ſe ; de quo ſtudio multa in ſuis epiſtolis tradit : tamen in iisdem vetuſti aevi deliciis colligendis , atque in Cimeliis & Muſeis condendis primus omnium exemplo ſuo emicuit LAURENTIUS MEDICES , cognomento , & reipſa MAGNIFICUS , litterarum litteratorumque parens optimus maximus , qui ſcalptas Gemmas antiquas , pulchritudine , elegantia , atque opificii dignitate ac maieſtate inſignes , perrara Numiſmata , pretioſa Vaſa , Codices tum Graecos , tum Latinos , praeclaras denique omnes , quas undique per viros doctos invenire potuit , venerandae Antiquitatis reliquias , in aes , vel in marmor inciſas , diligentiſſime conquiſivit , & ab interitu vindicavit : qui etiam transmiſſo poſteris harum lauticiarum ſtudio & flagrantiſſima cupiditate , veluti e ſpecula , ad nominis ſui aeternitatem conſequendam , hoc nullo umquam tempore intermoriturum lumen a ſe feliciter accenſum propagavit , amplificavitque . Sed ne videar LAURENTII laudes plus aequo ad caelum evehere , praeſtat coaevi eximii viri litteratiſſimi BERNARDI ORICELLARII Patricii Florentini diſertiſſimam Laurentianae Mediceae Gazae deſcriptionem adferre ex eius Commentario de Bello Italico : (1)

„ Erant ſane theſauri veteres pacis diuturnae , re-
„ giaeque opulentiae ornamenta undique toto orbe con-
„ geſta . Nam cum iam pridem gens Medicea floreret
„ omnibus copiis ; terra marique cuncta exquirere ,
„ dum ſibi Graecarum , Latinarumque litterarum mo-
„ numenta , toreumata , gemmas , margaritas , aliaque
„ huiuſcemodi , opere naturae ſimul , & antiquo arti-
ficio

(1) Londini , ſed edit. Florentiae anno MDCCXXXIII. pag. 52. ubi titulus in margine , *Mediceae Domus expilatio* .

„ ficio conspicua, compararent. Quo factum est, lon-
„ go aevo, quo haec familia stetit, ut si quid prae-
„ ter cetera insigne ex Antiquitate, saevitieque tem-
„ porum superfuisset, veterum Scriptorum codices, va-
„ sa ex Sardonyche, ceterisque gemmis caelata, De-
„ liaca atque Corinthia, lapilli multiplici sculptura,
„ coloreque peregregii; praeterea signa, tabulae, au-
„ rum, argentumque signatum perantiquo opere, mul-
„ ta atque lauta supellex, cuncta quae animum ocu-
„ losque accenderent, undique in Domum Mediceam
„ confluerent. Testimonio sunt litterae gemmis ipsis
„ incisae LAURENTII nomen praeferentes; quas ille
„ sibi familiaequae suae prospiciens scalpendas curavit,
„ futurum ad posteros regii splendoris monumentum:
„ licet enim ex his coniectari, fuisse aliquando apud
„ Medices aequa proportione reliqua“. Et paulo post:
„ Haec omnia magno conquisita studio, summisque
„ parta opibus, & ad multum aevi in deliciis habita,
„ quibus nihil nobilius, nihil Florentiae quod magis
„ visendum putaretur, uno puncto temporis in prae-
„ dam cessere“. Multa tamen post Laurentii obitum Vascula perinsignia e variis gemmis pretiosissima, magnitudine, elegantia, & pretio admiranda, in Divinum cultum cessere, quippe servandis Sanctorum exuviis dedicata fuere in Ambrosiana Basilica Florentina Sancti Laurentii, quae & hodie ibidem spectantur; (1) ac multa etiam tum ab ipsis, tum ab haeredibus Mediceis Principibus in Regio Palatino Sacrario domestico recondita habentur.

Tanto rerum antiquarum studio captus est Lauren-

Z tius,

(1) De his plura Vasarius in Vita Valerii Vicentini in Par. III. vol. I. pag. 290. ed. Flor.

TIUS, ingenio & eruditione praestantissimus, ut Scholam Florentiae in Hortis suis ad Divum Marcum, publico bono aperuerit; in qua munificentia & liberalitate sua lectissimi iuvenes sub optimis ac peritissimis Magistris educabantur; atque ita summo studio instituebantur, ut veteres artes Sc ulpturae, Picturae, Plasticae Glyptographicae, ceteraeque adfines omnes ingenti nominis sui gloria, quum intermortuae essent Barbarorum inscitia, & conluvione vastatae, ac teterrime foedatae, ad pristinum decus & dignitatem revocatae fuerint; e qua Schola, ab eo condita, tanquam ex equo Troiano, tot Artifices in singulis Artibus ac studiis praecellentissimi prodiere, ut non solum Florentiam tantum, sed hinc magno cum honore adciti egregii Opifices omnem fere Europam, quae tanto lumine perculsa est, atque stupore, & aemulatione excitata, pulcherrimis operibus implerunt atque exornarunt. Ex his perpaucos, qui in ea Laurentiana Officina, sive bonarum Artium Accademia summa cum laude profecerunt, ac brevi temporis spatio praestantissimi evaserunt, commemorare lubet, nempe divinum MICHAELEM ANGELUM BONARROTIUM, de quo in eius Vita nuper a me edita disserui. Sed in his commemorandis, quia illustre est GEORGII VASARII testimonium, eius utar verbis. (1) „ Favorì „ dunque il Magnifico LORENZO sempre i belli in„ gegni; ma particolarmente i nobili, che havevano „ a queste arti inclinazione; onde non è gran fatto, „ che di quella Scuola uscissero alcuni, che hanno fat„ to stupire il Mondo: e che è più, non solo dava „ provvisione da poter vivere, e vestire a coloro, che „ essen-

(1) In Vol. I. Part. III. Vit. excell. Pictor. edit. Flor. 1568. pag. 52. & 53.

„ essendo poveri, non harebbono potuto esercitare lo „ studio del disegno; ma ancora donativi straordinarj „ a chi meglio degli altri si fosse in alcuna cosa ado- „ perato; onde gareggiando fra loro i giovani studiosi „ delle nostre arti, ne divennero, come si dirà, eccel- „ lentissimi". Hi vero, ut mox subdit, fuere, principe in loco BONARROTIUS, IOANNES FRANCISCUS RUSTICIUS, TORRIGIANUS TORRIGIANIUS, FRANCISCUS GRANUCCIUS, NICOLAUS Dominici F. SOGGIUS, LAURENTIUS CREDIUS, IULIANUS BUGIARDINIUS, omnes Florentini; ex finitimis & conterraneis BACCIUS DE MONTELUPO, ANDREAS CONTUCCIUS e Monte Sansovino, ANDREAS VERROCCHIUS, ANTONIUS POLLAIOLUS, & alii plures, qui alibi ab eo honorifice commendantur. Sed de hac Schola, deque eius situ atque ornamentis paullo inferius dicam.

Verum ante hos, alios quoque Artifices in Artibus Picturae, Sculpturae, & Architecturae praestantes fuisse, nemo dubitabit, qui eorum Historiam ab immortali VASARIO editam legerit. Inter Plastas aereosque Fusores celeberrimos sileo LAURENTIUM GHIBERTIUM, qui in Florentino Baptisterio S. Ioannis ianuas auro fulgenti superfusas, praesertim medianam, caelo, ut aiebat M. A. BONARROTIUS, dignam admirando opificio absolvit. Sileo PHILIPPUM BRUNELLESCHIUM Architectum praestantissimum, alterum, ut ita dicam, Florentinum VITRUVIUM. DONATUM sileo, vulgo DONATELLUM, qui, ut mox narrabo, antiquorum Graecorum Artificum exemplaria sibi imitanda proposuit, miroque antiquorum monumentorum conquirendorum amore flagravit. Hic, teste VASARIO (1), primus auctor, & praecipua

(1) In Donati eiusdem Vita Par. I. & II. pag. 335.

cipua caufa fuit, ut COSMUS MEDICES, cognomento *Pater Patriae*, excitaretur, ut Florentiam transvehenda curaret antiqua plurima opera, quae nunc in Mediceis funt aedibus; quae omnia ipfe peritiffima manu inftauravit. Eius filius IOANNES pulcherrimarum antiquitatis rerum cupidiffimus fuit; memoratque idem VASARIUS (1) eum acquifiviffe Sardam illam antiquo artificio & magnitudine infignem, in qua infcalptus Apollo, qui Marfyae pellem e corpore detrahi iubet; quam idem IOANNES MEDICES LAURENTIO GHIBERTIO dedit, ut ipfam pereleganti aureo ornamento, exquifito cum opificio, circumcluderet, quod ftudiofiffime fecit. Idem LAURENTIUS GHIBERTIUS, cum primum inter Florentinos Aurifices locum haberet, MARTINO V. Pontifici Maximo non tantum mitram fumtuofiffimam, verum & auream bullam ad conftringendum pluviale, gemmis pretiofis, & parvis fignis ornatiffimam fecit. Invaluit etiam anteactis rudioribus Saeculis Gemmarum antiquarum ftudium; illudque conftat, Vexilliferum Reipublicae Florentinae, eiusque in principe Magiftratu Socios Sigillum habuiffe antiquiffimi operis, nempe Herculem Gradivum cum leonis devicti fpolio, clavam in humeris ferentem, elegantiffimo Smaragdo ab antiquo Scalptore peritiffime incifum: quam fingularem Gemmam magnitudine & artificio fingularem adhuc fervatam vidi paucis ab hinc annis in Gazophylacio veteris Palatii. Hoc Sigillo utebantur in dandis publicis Litteris, Diplomatis, & aliis ad Reipublicae negotia bene gerenda, in quo haec epigraphe fcripta: SIGILLUM FLORENTINORUM. Alte-

(1) In Vita Laurentii Ghibertii Par. II. pag. 281.

Alterum quoque in usu erat Sigillum, ita inscriptum: SIGILLUM PRIORUM, quo litterae obsignabantur traditae Legatis, ac Ministris ad munia & negotia gerenda pro Florentina Republica deputatis, quae molli viridi cera imprimebantur; quae consuetudo ab anno MCCC. ad haec usque tempora a quibusdam Magistratibus servata est. Huius obsignatorii Sigilli sphragisma antiquum postea renovavit, eodemque typo Chalcedonio Orientali pulcherrimo Herculem incidendum praecepit COSMUS I. Florentinorum Dux; quod Sigillum exhibui pro coronide Praefationis ad Volumen I. *Musei Florentini*, atque ibidem aliquot observationibus idem priscae Maiestatis monumentum inlustravi. Eo sigillo etiam nunc utuntur Supremi Magistratus Senatores. Neque etiam praeteribo inaestimabilem craterem ex integro Achate Sardonyche singulari atque admirando opere anaglypho utrimque exscisum, quem suspicor MARGHERITAM FARNESIAM, mortuo coniuge suo ALEXANDRO MEDICE, Florentinorum Duce, in Farnesiam Domum cum aliis antiquis Gemmis & lapillis pretiosissimis intulisse; quum ab eius parente CAROLO V. Caesare OCTAVIO FARNESIO matrimonio copulata fuisset. Craterem hunc inter prisca artis miracula computandum, quo regium *Neapolitanum Museum* hodie nobilitatur, protulit Clariss. Marchio MAFFEIUS (1), de quo etiam alibi verba feci. Hunc craterem omnium vasculorum insignissimum, suspicor eum fuisse, quem in suis *Memoriis* recenset Magnificus LAURENTIUS MEDICES; sed ab eo e Chalcedonio exscisus memoratur, quum e Sardonyche sit; tantum eum sculpturis ornatum describit, & se dono accepisse ait a SIX-

(1) Vide in Tom. II. Observat. Litterar. pag. 339. & Museum Veronense pag. CCCLV.

TO Pontifice Maximo, quum apud eum pro Florentinis legatione honorificentiſſima fungeretur; a quo etiam & alias Gemmas anaglyptice exſcalptas, & eximia duo marmorea capita, quae adhuc exſtant in *Florentino Muſeo*, nempe Auguſti & Agrippae, dono ſuſcepit. Haec monumenta, ſive *Memorie*, *Ricordanze* eiusdem LAURENTII MEDICIS a me primum editae ſunt in priore Volumine, quod inſcribitur la *Toſcana illuſtrata*, pag. 194.

Quamquam vero in hanc laudum partem veniant complures Medicei Proceres, qui LAURENTIUM MEDICEM praeceſſere; ipſe tamen inter eos principem locum obtinet, praecipuoque iure celebrandus eſt; qui, ut Gemmaria Ars ad incrementum & aeternitatem nominis Florentinorum ingeniorum proficeret, primus omnium, ut dicebam, ſuis impenſis, adſiduaque munificentia & liberalitate Scholam aperuit, & praeſtantes indole & acri iudicio iuvenes delegit; iisdemque optimos praeceptores dedit, inter quos primus fuit optimus Magiſter BERTOLDUS Sculptor Florentinus, Donati diſcipulus laudatiſſimus, qui optima omnium praeſtantium Artificum exempla iisdem imitanda proponebat, quum eiusdem Scholae Cuſtos decretus fuiſſet. Mortuo LAURENTIO MEDICE, VI. Eidus Apriles ann. CIↃ.CCCCXCII. celeri nimis fato, nempe anno aetatis ſuae quadrageſimo quarto, ſummo omnium moerore erepto, qui tamen per ora hominum Scriptorumque adhuc vivit vivetque, Glyptographicae Artis ſtudia omni cura, ſtudio ac favore proſecuti ſunt Medicei Principes, & Magni Duces Etruriae; quod ex dicendis in recenſione ſingulorum Gemmariorum Artificum Florentinorum liquebit.

CA-

CAPUT II.

De Florentina Schola Glyptographica, eius loco, praesidiis atque ornamentis.

PRimus omnium, ut dicebam, Florentinam Glyptographicam Scholam aperuit Magnificentissimus Vir LAURENTIUS MEDICES studiorum artiumque omnium bono, honorique & gloriae natus, in Hortis suis prope Ecclesiam S. Marci; qui locus primum dicebatur *il Giardino;* postea extructis maioribus aedibus, *il Casino da San Marco* nuncupatus est. In his delecti iuvenes in Graphicae artibus primum instituebantur; mox, quum probe instituti eruditique a doctis magistris evasissent, eorum indolem acerrimo ac maximo quo pollebat iudicio, explorabat atque expendebat LAURENTIUS; & in ea Arte, in qua eos praestantes fore conspiciebat, eam adripere, sequi, monente natura, iubebat: quapropter alii Picturae, alii Sculpturae, alii Architecturae, alii Fusoriae, alii Glyptographicae, eo hortante, atque adsidue urgente beneficiis & praemiis, sedulam operam navabant. Quam aurea ac beata haec erant saecula, quam felices, qui studiis & artibus sub hisce auspiciis incumbebant! Aedes illae amoenissimo in loco, ac saluberrimo constitutae, viridariis, arboribus pulcherrimis, deliciis omnibus ad animum recreandum adfluentes, ornatae erant ac refertae pictis tabulis nobilissimis, statuis, signis, vasculis, peregrinis marmoribus, columnis, & anaglyphis marmoreis cum antiquis, tum praestantiorum eiusdem aetatis vel paulo superioris Opificum operibus; Chartis etiam egregie delineatis, aedificiorum parvis arche-

archetypis, inſtrumentis omnibus ad omnes artes exercendas perficiendasque neceſſariis; quae omnia non tantum Scholam, & Accademiam, ſed etiam Muſeum omni antiqua & recentiori ſupellectile inſtructiſſimum conſtituebant. Haec omnia magnanimus LAURENTIUS congeſſerat, eoque conſilio ibidem conglobaverat, ut novi ſui Gymnaſii alumni ea adſidue contemplantes, antiquorum operum elegantiam, exquiſitum ſtudium, ac magiſterium, dignitatem quoque & maieſtatem mente conceptam adſidue retinerent, & ad eam adſequendam omnibus ingenii viribus adſurgerent, ac vehementer excitati quotidie inflammarentur. In his Hortis frequenter aderant, & de ſapientia, litterarumque gloria & ſtudiis cum LAURENTIO diſſerebant, & familiares ſermones habebant Viri ea aetate doctiſſimi, inter quos eminebat POGGIUS Florentinae Reipublicae Orator, & a Secretioribus Conſiliis, qui in iisdem Hortis, Muſarum quoque Sacrario, *de vera nobilitate* diſſeruit, eumdemque locum pereximiis eruditae Vetuſtatis reliquiis ornatiſſimum in eo Tractatu deſcripſit, qui in lucem prodiit (1). Hic prima artis tirocinia accepit, tunc adoleſcens MICHAEL ANGELUS BONARROTIUS, qui luſus gratia, quum fruſtum marmoris adripuiſſet, ſcalpris nondum adſueta manu, Fauni caput expreſſit, quod placuit LAURENTIO (2), a quo ad maiora ſui ingenii monimenta proferenda excitatus eſt; eaque de cauſa eum una cum ANGELO POLITIANO apud ſe do-

---

(1) Hunc Tractatum ſcripſit ad praeſtantiſſimum Gerardum Cumanum, qui in lucem prodiit Abellini anno MDCLVII. in 4. Vide etiam Vaſarium in Vita M. A. Bonarotii.

(2) Protuli hoc ipſum Fauni caput marmoreum, quod in Florentino Regio Muſeo exſtat, in fine Praefationis meae ad Vitam eiusdem M. A. Bonarrotii Florentiae in fol. editam anno MDCCXLVI.

ſe domi educavit, & ad menſam ſuam adſidere multis ornatos beneficiis voluit.

Verum quum in Conclavi ſuarum aedium LAURENTIUS haberet Vaſcula pretioſa, & Gemmas opificio & elegantia ſingulares, in iisdem Scalptores Graphices inſtitutionibus iam eruditos ſuſcepit, eisdemque praeclara opera, quae ſculpenda erant, imperavit. Id teſtatur diſertis verbis PAULUS IOVIUS in Vita LEONIS X. Pontificis Maximi, eius filii, in qua avitum eius Palatium, quod nunc incolunt Marchiones Riccardii, ita deſcribit: „ Conſpiciebatur etiam OFFICINA nobilium „ Artificum, quando nullibi Pictores, Statuarii, SCALPTORESQUE GEMMARUM, & Antiquitatis Studioſi „ monumenta Artis deponerent, quam apud MEDICEOS, &c.

Hanc Officinam, ſive, ut diximus, Gymnaſium & Scholam, conditam ferunt ab eodem LAURENTIO, dum ageret aetatis ſuae annum circiter decimum octavum. Ipſe natus eſt Kalendis Ianuar. anni aerae Florentinae CIↃ. CCCCXLVIII. parentibus genere & virtutum ſplendore nobiliſſimis, nempe PETRO Magni COSMAE decreto publico Patris Patriae filio, & LUCRETIA TORNABONIA. Cum ſolida pietate, morumque integerrima probitate coniunxit optimarum litterarum ſtudia, quibus operam dedit, optime in his inſtitutus a praeceptore Gentili Urbinate, viro doctiſſimo, quem mox Arretinae Eccleſiae infulis ornandum curavit. Sapientum virorum lucubrationes curavit, ac regia munificentia excitavit, & fovit; complura & ipſe Poemati & Carmina, aliaque opera elucubravit, quae iam nota ſunt. Muſices quoque fautor & cultor peritiſſimus fuit.

Quod ad institutum meum adtinet, in colligendis elegantioribus eruditae Vetustatis reliquiis, Gemmis, Vasculis, Signis, Numis, Codicibus tum Graecis, tum Latinis rarissimis, totus fuit LAURENTIUS vir sapientissimus, tanquam Palladium e caelo delapsum, ad revocandas optimas artes, ac disciplinas excitandas tutandasque, atque ad acuenda praeclara hominum ingenia; proque litterarum gloria & dignitate augenda atque amplificanda Pisanum Atheneum fere intermortuum sua liberalitate aperuit, atque ad novam immortalem, qua ex eo tempore semper floruit, vitam revocavit. Vix dici potest, quam incredibili pulcherrimarum rerum desiderio exardesceret, quamque mirum in modum earum elegantia & raritate teneretur; nec sumtibus parcebat, si quid eximium & insigne ostensum esset, ut eo potiretur. Gemmas lapillosque pretiosissimos, qui in deliciis fuerant PAULI II. Pontificis Maximi, post eius obitum, curante IOANNE TORNABONIO eius patruo materno, emit, qui in decus & ornamentum Laurentiani Gazophylacii adcesserunt. (1) Narrat NICOLAUS VALORIUS in eius Vita, qui eidem LAURENTIO coaevus fuit, se e Neapolitano itinere Florentiam reversum, eidem LAURENTIO obtulisse imagines Scipionis Africani, & Faustinae Augustae, quas multo cum gaudio suscepit: & quum audivisset Platonis marmoreum Signum pulcherrimum in Graecia in ruderibus Accademiae suae nuper inventum fuisse, omnem movit lapidem, ut apud se haberet, incredibilique exultavit gaudio, teste etiam, praeter VALORIUM, MARSILIO FICINO, statim ac potitus est, curante HIERONYMO DE RUBEIS Pisto-

(1) Ex eius Vita scripta a Nicolao Valorio, ex edit. Florent. in 4. apud Iunctas anno MDLXVII. quae quidem perrara est, cuius paginae non numerantur.

Piſtorienſi, cuius ſummi Philoſophi imaginem memoriae proditum eſt eum curaſſe, ut in Gemmis ad hoc exemplum accuratiſſime inſcalperetur. Marmoreum hoc divini Platonis Caput, nuper a ruſticis inventum prope Villam Caregianum, in manus meas feliciter incidit; quod mihi comparavi, & brevi proferam cum eius Hiſtoria, poſt Vitam MARSILII FICINI adhuc ineditam, auctore Io. CORSIO Florentino. Marmoream Statuam Etruſcis litteris inſculptam, erutam in Agro Piſtorienſi, emit, ut memorat SANCTES MARMOCCHINIUS in *Dialogo*, & refert Clariſſimus Senator BONARROTIUS. (1) Stupebant Principes & nobiliſſimi viri, qui ab eo hoſpitio excipiebantur ſumtuoſiſsimo, quum obſervarent contemplarenturque Laurentianam ſupellectilem, ſervatumque apud eum ingentem rerum omnium rariorum Antiquitatis, & priſci luxus theſaurum, Vaſcula omnis generis, ſigna, tabulas, numismata, & lapillos praeſtantium veterum Scalptorum manu exſciſos, & figuris ornatos; toreumata ex ebore elegantiſſima, marmorea Virorum Inluſtrium capita, Caeſarum Auguſtarumque protomas, quas ſumma cum animi voluptate, & humanitate ſtudioſis omnibus oſtendebat.

Conſilia omnia divinae mentis ſuae Magnanimus LAURENTIUS in generoſos filios ſuos PETRUM & IOANNEM, (qui LEO X. P. M. fuit) & IULIANUM transfudit; qui Litterarum, Litteratorumque, Artium, egregiorumque Artificum Fautores beneficentiſſimi fuere.

In praeſtantioribus Gemmis opere ſive diaglyptico, ſive anaglyptico caelatis nomen ſuum incidendum curavit,

(1) In Explicat. & Coniect. ad Monumenta Etruſca Operi Dempſteriano addita §.XLIV. pag. 98.

ravit, inſcalptis hiſce litteris LAVR. MED. nempe LAURENTIUS MEDICES, ut ſecuritati Gazae ſuae, & poſteritati conſuleret. Nimius eſſem, ſi Gemmas omnes, quas in Cimeliis ſuis conditas habebat, immortali hoc nomine ſcriptas enumerare vellem. Non paucae ex his a me editae ſunt. Quum ex his Gemmis aliquae vel vetuſtatis iniuria, vel foſſorum oſcitantia labefactatae eſſent, hinc ortum eſt, ut extraneos Artifices quoſdam Gemmarios Florentiam deduceret, atque invitaret, qui eas inſtaurarent, atque etiam inſtrumenta monſtrarent in Glyptographico opificio neceſſaria, quae delecti iuvenes adhiberent. De reſtituenda antiqua Arte Glyptographica paulo ante tentatum Romae fuerat, teſte VASARIO (1) ſub Maximis Pontificibus MARTINO V. & PAULO II. ſed parum aut nihil profectum; iisdemque fato functis, perpauca admiratione & laude digna prodiere. Quinque inſignes Gemmas obſervavi in Dactyliotheca Medicea Imperiali, quae oſtenduntur in Tabula XXVI. num. 2. In Sarda, quae altitudine aequat uncias tres, latitudine duas, & quidem pulcherrima, inſcalptus eſt PAULUS II. Pont. Max. cum Regno in capite, & pluviali pretioſo amictus cum hac epigraphe: PAVLO VENETO PAP. ANNO PVBLICATIONIS IVBILEI. ROMA. Sed iterum revocata eſt Romae Ars Glyptographica regnantibus Summis Hierarchis IULIO II. LEONE X. & CLEMENTE VII. adcitis Scalptoribus & Opificibus praeſtantiſſimis, ut mox dicemus. Eorumdem maximorum Pontificum exſtant in Medicea Dactyliotheca imagines, eximio opere anaglyptico excalptae. Smaragdo valde claro exſcalptus cernitur LEO

X. cum

(1) In Vita Valerii Bellii Vicentini in Par. III. Vol. I. pag. 286.

X. cum hac epigraphe : Leo X. Pont. Max. Anno eivs IIII. MDXVI. Altera quoque eiusdem LEONIS P. Max. effigies Achati Chalcedonio exſcalpta ſpectatur, quemadmodum & CLEMENTIS VII. perſimili opere.

Huiuſce praeclarae gloriae monumentum memorabile, atque aeterna commendatione digniſſimum, divina providentia ſervatum traditumque eſt bonarum Artium Fautori atque Amplificatori maximo ac celeberrimo LAURENTIO MEDICI. Parentis optimi, cuius virtus tanta fuit, ut famam & laudes omnes longe ſuperet, egregia conſilia & geſta ſecutus eſt, dum ille omnium bono & commodo viveret, & poſt eius obitum Petrus Medices, filius optimus, quem multis laudibus, & quidem iure ac merito celebrat Angelus Politianus; (1) qui optimas artes coluit, praeſtantes doctrina viros liberalitate fovit, & Glyptographicos Artifices veterum operum gloriae aemulos adſiduo ſtudio & favore perfecit, quorum nomina mox recenſebo.

Eadem inluſtria veſtigia conſectati ſunt Alexander Medices, & Cosmus Florentinorum Duces, qui etiam Artificum numerum auxerunt, & ad maiora praeſtanda excitarunt. Regnante Francisco I. Magni Cosmi Filio, mirum in modum Florentinorum Artificum, qui vel Gemmas, vel cryſtalla caelabant, aucta gloria eſt; cuius praeclarae laudis teſtem habeo ſynchronum P. Fr. Augustinum del Riccio, Ordinis Praedicatorum, tunc morantem Florentiae in Coenobio S. Marci, adeoque prope laudatos Mediceos Hortos, & aedes, qui anno CIƆ. IƆ. XCVII. ſcripſit Hiſtoriam de Marmoribus, Gemmis & pretioſis lapillis, quam, quum MS. ſit, me-

(1) Vide Epiſtol. Lib. IV. ad Iacobum Antiquarium pag. 46. edit. Baſil. an. 1553. in fol.

cum humaniſſime communicavit non ſemel a me laudandus Vir celeberrimus Ioannes Targionius Tozzettius. Is etiam mihi legendum praebuit alterum eius Tractatum de Agricultura, in quo Cap. XV. ubi de Aurantiis ſcribit pag. 145. & 146. haec ad rem noſtram memorat. „ Venne nella Città di Firenze al tempo, „ che regnava il Gran Duca Franceſco, (nel Giardi- „ no) dove egli ſovente vi andava la mattina, & an- „ co dopo deſinare; poſciachè ivi haveva ragunati Uo- „ mini virtuoſi in tutte le arti; come vi erano in „ quel Palazzo, detto il Caſino, di tutti i Maeſtri di „ gioie di tutte le ſorti: quivi ſi lavoravano Vaſi „ grandi e piccoli, nicchi, lapislazzuli; poi vi erano „ i Maeſtri, che facevano i bei Vaſi di porcellana, „ (1) Vaſi regj tanti, belli & honorati, che erano „ con fogge belle e varie. Poi vi ſi vedevano Mae- „ ſtri d' intagli, che intagliavano in una piccola pie- „ tra la Città di Firenze; la qual pietra io viddi con „ grandiſſimo mio contento, la quale era poco mag- „ giore di uno ſcudo d' argento. Veddi anche un al- „ tra pietra quanto una nocciuola grande, eſſervi in- „ tagliato una figura con arme; e di queſte ſimil coſe „ d' ingegno ne vedevo aſſai; poſciachè io viddi un „ gallo sì piccolo, che ſi durava fatica a cognoſcere „ le ſue parti, e biſognava aver buon occhi aquilini a vo-

(1) Diſcimus, teſte Riccio, Franciſcum Magnum Etruriae Ducem auctorem omnium primum fuiſſe circa Annum MDXCVII. ut Vaſcula illa, quae tanto in honore nunc ſunt, vulgo *Porcellanae*, Florentiae a peritis Artificibus fierent. Inveni in Libris expenſarum, & in Codice notato litt. P. anno MDCVIII. ſumtus adnotatos, ut Fornax eorumdem Vaſculorum *di Porcellana*, fieret, atque conſtrueretur ſuper Porticum prope M. Ducis Palatium, vulgo *la Loggia de' Lanzi*. Haec Vaſcula adnotata plerumque ſunt litt. F. quae Ferdinandum M. D. E. indicat, & laudantur a Cl. Comite Laurentio Magalottio in parvo libro eius Epiſtolar. Florentiae edito a Ioſepho Mannio anno 1736. pag. 36. 39. & 45. Nunc magnopere laudatur ſuburbana Fabrica Ginoriana Cl. Marchionis Ginorii.

„ a volere ſcorgere tutti i membri. Che dirò poi de' „ bicchieri lavorati? vi ſi ſcorgeva ſelve e molti ani„ mali ben fatti, veramente opere da Granduchi. I „ medeſimi Maeſtri poi hanno fatto molti Vaſi di pie„ tre dure, & animali varj fatti di criſtallo di mon„ tagna. Se ancora voleſſi raccontare i Maeſtri eccel„ lenti, che ſtillavano, ſarei molto proliſſo; (1) po„ ſciachè ivi ſi facevano tutte le ſperienze, che fare „ ſi poteſſino intorno a sì bell' arte, della quale il „ Granduca ſi dilettava. Poi in certe Stanze vi ſtava„ no Pittori, che facevano opere belliſſime, e in par„ ticolare viddi un Libro di fiori, fatto con quella „ maggior diligenza, che ſi poteſſe fare: così vi ſi di„ pigneva altri animali, che S. A. ne prendeva un gu„ ſto grande; e tal volta andava in una Stanza, tal „ volta in un altra dove ſi teneva opere nuove. In „ quell' altra ſi fabbricava un monte di tutte le mi„ niere che ſi poteſſin trovare; il qual monte è oggi „ nella belliſſima Grotta de' Pitti con molt' altre coſe „ degne di eſſer viſte.

„ Potrei dire, che fece fare in detto Palazzo una „ Fornace, che fu molto commendata; poſciachè ivi „ ſi faceſſer Vaſi bei, ma di fogge varie, che oggi „ ſono in una Stanza ſopra gli Ufizj appò il Palaz„ zo Ducale. Sarei lungo, ſe io voleſſi raccontare tut„ te le ſorti di Artiſti, che lavoravano nel Caſino, „ che poi tutti gli conduſſe appreſſo al Palazzo Ducale,

(1) Hinc ortum habuit regia Officina Aromataria, & Unguentaria, quae vulgo dicebatur *la Fonderia*, quam poſtea Magnus Dux prope regias ſuas Aedes, *il Palazzo de' Pitti*, conſtituit; e qua arculae cum omnibus pharmacis, oleis & unguentis, ad valetudinis Civium, & Exterorum remedia prodibant, quae dono mittebantur, vel etiam pauperibus largiebantur. Hinc etiam originem accepit Hortus Botanicus Florentiae & Piſis, qui celeberrimi etiamnum ſunt, quorum edita exſtat Hiſtoria a Clariſſimis Tillio & Targionio.

„ cale , aſſegnando a quei Maeſtri tutte le Stanze ne-
„ ceſſarie a tali eſercizj ; come ancora ſono oggidì ;
„ ma non vi ſono tante ſorti di Artieri.

Hinc igitur diſcimus , regnante Francisco I. providentiſſimo Etruriae Magno Duce, ex Aedibus prope D. Marci Templum & Coenobium , vulgo *il Caſino* , ,ubi Ars Glyptographica ad inſignem praeſtantiam ab ortu ſuo evecta eſt, Artifices omnes egregios in eas Officinas migraſſe , quae ſupra ſe habent regium Mediceum Muſeum , nunc Imperiale , & prope vetus Ducum Palatium , ubi adhuc vigent florentque eaedem laudatiſſimae artes , & Opifices admirandis operibus , quae adſidue conficiunt , magnam Principi , Urbi , & ſibi gloriam & celebritatem conquirunt . Sub imperio ſingulorum Magnorum Etruriae Ducum , qui floruerint , ac praeſtantes fuerint Opifices Glyptographici , ex dicendis patebit . Sequentes nolui ſilentio praetermittere, quos ab aliis nondum nominatos vidi.



CAPUT III.

De egregiis primisque Gemmarum , Lapillorum, Marmorumque rariorum compaginatoribus.

GLyptographicae adfinis, & ſocia eſt ars compaginandi, inſerendique gemmas & lapillos pretioſos, qui glutine quodam invicem ita colligantur, & coniunguntur, ut coloribus ſuis referant pictas tabulas. Opus huiusmodi perarduum ac difficile, atque etiam aerumnoſiſſimum (vulgo dicitur *di Commeſſo*) duplici opificio conficitur; vel ſervata omnino planitie, vel anaglyptico ope-

co ope-

co opere, ita ut lapilli & gemmae ab area ſua emineant e fundo ſuo, hoc eſt ex nigro marmore, quod dicitur *Paragone*, aliove lapide nobiliore. Utroque opere quidquid hominis ingenium concipere poteſt, totum exhibetur; nimirum Urbes, Silvae, Viridaria, Palatia, arcus, ruinae, flores & fructus cuiuscumque generis, aves, piſces, animalia omnia, quibus ad naturae exemplum exhibendis lapides apti ſeliguntur, ſelecti per omnes colorum gradus, multa cum patientia ſecti, invicem coniunguntur, ſociantur, poliuntur, atque illuminantur. Iisdem lapillis tum Sanctorum, tum Principum, & Virorum Inluſtrium vel protomae, vel imagines, icones cum veſtibus & ornamentis ita exhibentur, ut picti vel exſtanti opere ſculpti quaſi viventes exhibeantur. Hae Imagines Caelitum, Sanctorumque Virorum permultae ſpectantur in regio Sacello domeſtico in Palatio, quod vulgo *de' Pitti* dicitur, & anaglypha non pauca eodem opere elaborata ornant *Ciborium*, ut aiunt, ſuperponendum Arae Sacelli regii Ambroſianae Baſilicae, in quo ſepulcra Principum Auguſtae Domus Mediceae, & Magnorum Ducum condita ſunt cum eorum Statuis; ſed adhuc quum inania ſint, Cenotaphia potius dicenda.

Haec ars mirabilis Florentiae orta eſt cura & auſpiciis praelaudatorum Magnorum Etruriae Ducum, quam FRANCISCUS & FERDINANDUS omnibus numeris abſolutiſſimam, profuſis immenſis opibus, reddiderunt. Florentinorum Artificum haec tota laus & gloria eſt, quorum nomina, quae nobis multa volumina non ſine magno labore inveſtigantibus innotuere, mox recenſebimus: quandoquidem de his nihil ſcripſit VASARIUS, de opificio vero ſatis perpauca poſteris reliquit. Prima

huius Artis veſtigia ſeu initia, ad remotiora tempora referri poſſunt, nempe ad Saeculum decimum tertium, nam tunc Domini Florentinae Reipublicae, quum Altare in honorem Beatae Mariae Virginis in Templo S. Michaelis in Horto, omnium quotquot ea tempeſtate erant, ſplendidiſſimum, ac ſumtuoſiſſimum, faciundum iuſsiſſent, Florentini Artifices totum lapillis, & variis peregrinis marmoribus incruſtarunt, & pretioſis lapidibus areas ſculptarum Imaginum Sacrarum diſtinxerunt. Perraris lapillis & leviſſimis marmorum cruſtis ornandum quoque erat, eorum iuſſu, Altare maius Baſilicae Baptiſterii Florentini, profecto magnificentiſſimum, ut oſtendit Archetypum ea tempeſtate delineatum, quod in *Stoſchiano Muſeo* nuper obſervavi. Poſtea ſecutis temporibus quantum in Sacris Altaribus & Sacellis excelluerit pietas & magnificentia Procerum Florentinorum, perpauca enumeraſſe ſufficiat, inſigniora nempe Sacella S. Mariae Virginis ab Angelo Annuntiatae, S. Mariae Novae, altare maius Eccleſiae Florentini Coenobii Carthuſianorum; item Sacella ſumtuoſiſsima Gaddiorum, Nicoliniorum, Salviatorum, atque illud ſtupendum Michelotiae Gentis, nunc Marchionis & Equitis Alexandri Capponii, quae Ara eſt maxima, ſimulacris quoque marmoreis ornata, in Florentino nobiliſſimo Templo Sancti Spiritus, quod artis portentum merito adpellari poteſt. Adde ornatiſſimum Sacellum Cardinalis, ut aiunt, *di Portogallo*, & marmorea moenia Chori, quae auguſtiorem reddunt Baſilicam S. Miniatis Martyris Florentini ad Montem, pretioſis lapillis, & ſculpturis condecorata. Si vero hanc Artem lapillos compaginandi ad altiora tempora, ut ſuſpicemur, inde aliquod exemplum manaſſe, referre velimus;

mus ; indicabimus admirandum opificio ac vetuſtate commendatiſſimum pavimentum , ſive Lithoſtroton , quod adhuc perennat in praelaudata Florentina Baſilica Baptiſterii S. Ioannis, cuius Presbyteris & numeroſo Clero praeſum ; in quo teſſellato , ac vermiculato opere parvi lapilli, ac nobiliora marmorum fruſta variis coloribus mira arte compaginata ſunt ; quae ſi una cum ſplendidiſſimis columnis, & capitellis ſolido auro contextis, & picturis omnibus e muſivo opere Saeculo XI. perfectis expolirentur , & illuminarentur , ſpectantium oculos miro fulgore complerent. Hoc ipſum Lithoſtroton paullo ante annum a reparata Mundi ſalute milleſimum compoſitum fuiſſe conſtat ; nam anno MXIII. ad eius exemplum , iisdemque cum ornamentis, alterum abſolutum eſt, quod ſpectatur in Baſilica S. Miniatis Martyris Florentini ad Montem ſita, quae profecto ſplendida eſt ac magnifica.

De Pictoribus Muſivariis nihil dico , quorum apud Florentinos agmen ducit celeberrimus IOCTUS, & plurima huiusmodi operum inſignia exempla Florentiae & Romae adhuc ſpectantur ; quae luculenter a VASARIO recenſentur , & laudantur . Hi teſſellato opere vitris teſſerarum forma quadris perparvis, omnibus coloribus infectis , inauratisque , picturas referebant . Nihil de Pictoribus Vitrariis , qui Eccleſiarum feneſtras coloratis vitreis lamellis Sanctorum Imagines condecorabant, & exprimebant, nunc loquor.

Primum egregiorum Florentinorum Artificum exemplum, qui Saeculo XVI. muſivo opere e pretioſis duris lapillis inter ſe apte diſpoſitis & compaginatis tabulas ita pictas perfecerunt, in Regio Florentino Muſeo oſtenditur , in quo Labronenſis Portus facies , &

pro-

prospectus exhibetur; sed in eo opere labor maximus, lapillorumque pretiosorum copia, non vero exquisita elegantia, explendescit. Mox gradatim alia opera ostenduntur, quae multo magis exercitis ingeniis, superatisque immensis laboribus, & artis aerumnosissimae difficultatibus, talem tantumque nitorem, & elegantiam ostentant, ut nihil supra desiderari possit. Horum opificiorum fama per omnem Europam circumsonante, nil mirum, si maximi Reges abacos, mensas, scrinia, arculas, & alia huiusmodi opera ab iisdem Florentinis Compaginatoribus & Lapidicinis in suis Conclavibus habere voluerunt. Multa ad hanc mirabilem artem historica monumenta scriptis suis commendavit praelaudatus P. Fr. Augustinus del Riccio, quae quum adhuc ignota sint, iisdem numquam pervulgatis, perlubet ea in lucem proferre. In Capite CXXiiI. ubi de *Coralliis* differit in Historia sua lapidum, haec memorat. (1) „ Usasi (*il Corallo*) in Firen-
„ ze da varj Maestri ne' tavolini di commesso; onde
„ fu portato alla Maestà del Re Filippo il bellissimo
„ Scrittoio, che fece fare il virtuoso Gran-Duca Fran-
„ cesco, cosa rara veramente in questo genere; poi-
„ chè io viddi tale studiolo con molto mio piacere e
„ contentezza. Similmente è stato mandato un bellis-
„ simo tavolino a mio tempo in Inghilterra; e di
„ continuo si fanno assai tavolini nella Città; ma og-
„ gi vi sono assai Huomini di virtù rara, che gli
„ fanno: & in vero questi adornano le belle Sale, e
„ vaghe Camere de' Signori e Gentiluomini; e di ta-
„ le usanza laudevole ne abbiamo a ringraziare il Sig.
„ Gio:

(1) Idem P. Riccius hunc Tractatum scripsit circa annum, ut alibi dictum a me est. MDXCVII.

„ Gio: Vittorio Soderini , che ſi puote dire , che
„ foſſe il primo della Città, che gli cominciaſſe a le-
„ gare (*parla di quelli lavorati con coralli*), e farli fare
„ ancora dal non mai a baſtanza lodato Maeſtro Giu-
„ lio Fiorentino, che in vero ne ha fatti aſſai ; e veg-
„ gendo poi gli altri hanno imbolato queſt' arte , &
„ hanno in vero fatto un furto honorato.

Sed quantum in his artibus excellerent hi Opifices, regnante Ferdinando Magno Etruriae Duce , qui ad abſolutiſſimum decus & elegantiam eos adſidua cura ſua evexit , idem Scriptor teſtis ſynchronus & oculatiſſimus, luculenter exponit in eodem Tractatu Cap. CXXVIII. ubi de variis *Achatum* generibus diſſerit, his verbis: „ L' Invittiſſimo Imperadore Ridolfo l' anno MD-
„ XCVII. ha ottenuto di veder fornito il ſuo belliſ-
„ ſimo Tavolino, quadro poco più che di due braccia
„ per ogni verſo ; opera non più ſtata fatta al mondo
„ dicono gli Amatori dell' anticaglie : (1) indi avvie-
„ ne, che detta Tavola è tutta di pietre dure e gioie ;
„ ma tutta appariſce d' un pezzo, e non commeſſa in
„ marmo o bardiglio , o in altra ſorta di marmo ; e
„ queſto Tavolino è ſtato condotto alla ſua perfezio-
„ ne da i più eccellenti Maeſtri, che foſſero giudicati
„ a tal bell' opera dal Granduca Ferdinando de' Medi-
„ ci. Le pietre che ho vedute in detta Tavola, tutte
„ ſon venute dallo Stato dell' invittiſſimo Imperadore
„ nominato, e ſono queſte, cioè: Agate belliſsime di
„ varie ſorti e colori ; alcune erano bianche e roſſe ;

E e altre

(1) Hunc abacum inveni in Libris ad hos Artifices, & eorum ſtipendia ſpectantibus , anno MDLXXXIX. incoeptum fuiſſe, curante, iuſſu Magni Ducis Franciſci, Nicolao Equite Gaddio, viro nobiliſſimo, omniumque elegantiarum aeſtimatore peritiſſimo, qui eosdem Opifices dirigebat, & adhortabatur : Hic Muſei Gaddiani auctor & conditor fuit laudatiſſimus, quod nunc venum datur.

„ altre lionate e gialle; altre avevano varj colori, e
„ ſcherzi, ch' erano in dette pietre, che ſarebbe co-
„ ſa tedioſa a dirle; tanto variavano dette Agate: ma
„ chi deſidera vedere tal bell' opera, vadia in Guarda-
„ roba, e vedrà queſto Tavolino dipinto con ſomma
„ diligenza dall' eccellente Miniatore M. Daniel Floſche
„ Fiammingo, con cui tengo amiſtà; e di più vi ve-
„ drà dipinto molte ſorti di Diaſpri belliſſimi, altresì
„ molte corniuole, che variano di colori e ſcherzi,
„ che fa la madre Natura in eſſe. Anchora vi ſono
„ una infinità di granatine, amatiſte, calcedonj, cor-
„ niole; e parte di queſte nomate pietre ſono ridotte
„ in augelli, in arme, & altre coſe, che ſi vedono in
„ sì bell' opera, che ſarei molto proliſſo in dirle &c.
Complures abaci maiores & minores commiſſis pretioſis gemmis, lapillis, ſectisque grandibus unionibus, & margaritis, ſpectantur in Regio Cimeliarchio Florentino, ne quid dicam de aliis, quibus Regiorum Palatiorum, Villarumque conclavia ornantur. (1) Spectantur etiam in Conclavibus Patriciorum Florentinorum, praecipue vero in Muſeo Gaddio, ubi ſcrinium valde magnificum pretioſis lapillis, & quidem rarioribus, ornatum, multa in admiratione eſt. Dicam etiam feneſtras ſpecularibus lapidibus, nempe ſubtilibus ſectis tabulis ex alabaſtro pellucidis contegi conſueviſſe; quae ſpecularia idem P. Riccius ita deſcribit Cap. CXXIX. ubi de Alabaſtris loquitur: „ Solo nominerò quei pez-
„ zi di alabaſtri, che ſono al Giardino de' Signori Ru-
cel-

(1) Horum operum accuratam deſcriptionem adfert pag. 64. & 65. Ioſeph Blanchinius Pratenſis in ſua Hiſtoria Magnorum Etruriae Ducum; cui hoc meum conſilium aperui, & plurima notatu digna communicavi, meque agente, Venetiis edita eſt ab honorabili laudatoque Typographo Io. Baptiſta Paſchalio, cum hoc titulo: *Dei, Granduchi di Toſcana della Reale Caſa de' Medici Protettori delle Lettere, e delle belle Arti, Ragionamenti Iſtorici* &c. In folio ſplendida editio anno M.DCC.XLI.

„ cellai in Via della Scala . Questi alabastri servono
„ all' onorata Casa per finestre, usanza laudabile e bel-
„ la ; laonde servono in cambio di legname e d' im-
„ pannata . Il medesimo si può dire delle finestre di
„ S. Miniato al Monte &c.

Memorandi insuper sunt & illi Artifices, qui tessellato opere abacos, scrinia, arculas, & monopodia elaborabant sectis incisisque conchis margaritiferis, vulgo *di madreperla*, quibus frondes, aves, animalia, & encarpia exhibebant . Integris conchis margaritiferis miro ordine dispositis ornata est interior tholi facies secretioris Conclavis octagoni regii Florentini Cimeliarchii, quod vulgo dicitur *la Tribuna ;* quod pulcherrimum ornamentum cum Horologio ad indicandos qualibet tempestate perflantes ventos, cognoscendosque ab iis, qui in ea Aula morantur , Franciscus Magnus Dux Etruriae fieri iussit . Cum his coniungendi illi Artifices , qui toto Orbe , praesertim ex Indiis conquisitis lignis pretiosis, qui in se nativos varios colores cuiuscumque generis continent, his historias, aves, corollas floreas, phrygia opera , encarpos , & alia huius generis ornamenta componunt, interseruntque tessellato opere, imitanturque hisce ligneis tesserulis praelaudatos Musivarios , & lapillorum ac Gemmarum conglutinatores ac Pictores . Praestantiora quaedam scrinia spectantur in regio Museo Florentino . Hoc opus, vulgo *di tarsia* , apud Florentinos antiquitus inventum in usu erat, de quo meminit antiquus Fabularum Etruscarum Auctor; & complura adhuc exstant huiusmodi Opera, & Valvae ianuarum figuris ita sculptae spectantur in Museo Bonarrotio, & apud me exstat Scrinium , in quo Xystus conspicitur, vulgo *Loggiato*, *Portico*.

CA-

CAPUT IV.

Nomina Compaginatorum celebriorum recensentur.

REgnante FRANCISCO I. Magno Duce Etruriae, quo auſpice & favente antiqua Muſivariorum ars, duris pretioſis lapillis verſicoloribus compaginandis revocata, inventa ac perfecta eſt, hi Artifices celebriores fuere:

Magiſter *Iulius Florentinus*, teſte Riccio.
M. *Sinibaldus Sinibaldius* Flor.
M. *Pompeius Studendolus* Flor.
M. *Ambroſius*
Stephanus
Chriſtophorus
Ioannes Ambroſius } Mediolanenſes.
M. *Ioſeph Marcheſinius Venetus* (Conciatore di Rubini.)

Pictores huiusmodi Operum.
Andreas Mariotti F. Minghius Flor.
Chriſtophorus Papius Flor.
Franciſcus Mercurii F. Ligozzius Flor.

Regnante FERDINANDO I. M. Etrur. Duce.
M. *Andreas Iuliani F. Santinius* Flor.
M. *Urbanus Simonis F.* Flor.
M. *Alexander Lotterii F. Davanzatius* Flor.
M. *Iacobus Ioannis F. Flacch* Alemannus.
M. *Dominicus del Taſſo* Flor.
M. *Bartholomaeus Erman* Alemannus (Ebaniſta)
M. *Daniel Floſch* Belga Pictor.
Bortolus Pauli F. Venetus (Miniatore)
Valerius Nicolai F. Marucellius Pictor.
Petrus Barthol. F. Paulius Aurifex Flor.
Michael Ang. Ioannis F. Palaius Flor.
Auguſtinus Bartholomaei F. Flor. Aurifex.
Antonius Sanctuccius Flor. (Lavoratore di Sfere)

Direttori degli Artefici *di commeſſo*, e delle loro Opere.
Bernardo Buontalenti Maeſtro delle belle Arti provenienti dal diſegno.
Matteo Nigetti Architetto della Galleria.
Coſtantino de' Servi, Pittore, Ingegnere ed Architetto, ſoprantendente di tutte le Maeſtranze.
Giovanni Bilivert, celebre Pittore per le invenzioni.

Ex his aliqui regnante etiam FRANCI-

cisco I. floruerunt, quod & in reliquis recensendis adnotandum est.

Regnante COSMO II. Mag. Etrur. Duce. Ex descriptis Artificibus, perpaucis exceptis, reliqui sub hoc Principe floruerunt.

M. *Camillus Octaviani F.* Flor.
M. *Petrus Paulus Ioannis Antonii F. Albertinius* Flor.
M. *Andreas Vincentii F. Borgognionius* Flor.
M. *Baccius Antonii F. Cappellius* Flor.
M. *Ioannes Cappellius* Flor.
M. *Iacobus Thomae F. Gattius* Flor.
M. *Ioannes Sebastiani F. delle Dame* Flor.
M. *Cosmas Iosephi F. Hener* Alemannus.
M. *Horatius Francisci F. Cangius* Flor.
Io. Baptista Balatrius Architectus.
Giovanni Bologna Scultore.
Piero Tacca Scultore.
Vincentius Nelli Aurifex Flor.
Ionas Falchius Aurif. Flor.
Cassianus Dominici F. Aurifex Flor.
Gaspero Mola Medaglista.

Regnante FERDINANDO II. M. Etrur. Duce.

M. *Ioannes Franciscus Comparinius* Flor.
M. *Iulianus Pandolphinius* Flor.
M. *Antonius Franciscus Martinius* Flor.
M. *Antonius Sorbius* Flor.
M. *Angelus Alberighius* Flor.
M. *Aurelius Vestrius* Flor.
M. *Antonius Capellius* Flor.
M. *Antonius Chener* Alemannus.
M. *Andreas Ghinghius* Flor.
M. *Sebastianus Focardius* Florent. (Fruttista)
M. *Baccius Cappellius* Flor.
M. *Christophorus Winchler* Aleman.
M. *Ferdinandus Migliorinius*, qui postea accitus Gallias petiit.

Non pauci ex his floruerunt etiam regnante Cosmo III.

Regnante COSMO III. M. Duce Etrur.

M. *Ioseph Bamberinius* Flor.
M. *Ioseph Bizzarrius* Flor.
M. *Ioannes Dominicus Bianchi* Flor.
M. *Ioannes Brogellius* Flor.
M. *Ioseph Vulpius* Flor.
M. *Ioseph Antonius Torricellius* Fl.
M. *Io. Baptista Montautus* Flor.
M. *Io. Baptista Zucconius* Florent. Neapolim abiit.
M. *Laurentius Bellius* Flor.
M. *Matthias Sorbius* Flor.
M. *Nicolaus Valorius* Flor.
M. *Octavius Ioannellius* Flor.
M. *Petrus Borghesius* Flor.
M. *Raphael Mussatius* Flor. Neapolim petiit.
M. *Sanctes Poggius* Flor.
M. *Thomas Vulpius* Flor.
Franciscus Ciaminghius Praecetor Graphices.

Ex iis plures etiam regnante Io. Gastone floruerunt.

Regnante IO. GASTONE Magno Etrur. Duce.

M. *Paulus Bottius* Flor.
M. *Antonius Ciollius* Flor.
M. *Antonius Franciscus Bottius* Fl.
M. *Antonius Franciscus Cionius* Fl. (Figurista)

M. *Benedictus Burchius* Flor. (Fruttista)
M. *Carolus Franciscus Bottius* Flor.
M. *Cosmas Formiglius* Flor.
M. *Franciscus Campius* Flor. abiit Neapolim.
M. *Philippus Violius* Flor. Neapolim abiit.
M. *Ioseph Minchionius* Flor. Neapolim abiit.
M. *Ioseph Montautus* Flor.
M. *Caietanus Ferronius* Flor.
M. *Matthaeus Pretolanius* Flor.
M. *Bartholomaeus Torricellius* Flor.
M. *Ferdinandus Migliorinius* Flor.
M. *Maximilianus Soldanius* Flor. (Bronzista)
Laurentius Veber Flor. Bronzista, & formarum cudendae monetae Opifex.

Regnante FRANCISCO Loth. & Barri D. Magno Etruriae Duce Imp. Caesare Augusto.

M. *Caietanus Torricellius* Flor.
M. *Franciscus Borghesius* Flor.
M. *Baccius Cappellius* Flor. nuper obiit.
M. *Paulus Bottius* Flor. nuper obiit; in eius locum successit
M. *Ignatius Babbuiatus* Flor.
M. *Antonius Franciscus Bottius* Fl.
M. *Gaspar Iacopuccius* Flor.
M. *Franciscus Iacopuccius* Flor.
Franciscus Conti Praeceptor Graphices.

Horum opificiis praeest *Ludovicus Syries* Gallus.

De Scalptoribus Gemmariis, qui floruerunt, & nunc florent, suo loco dicendum erit.

CAPUT V.

De Opificibus, qui in Regio Palatio & Museo Florentino vascula crystallina, aliaque e crystallo opera faciebant.

QUamvis in hac Historia primum de Glyptographicae artis initiis, progressibus, & conatibus absolutissimis mihi differendum propofuerim, tamen & adfines ac socias artes, clarosque in his Artifices in pretiosis lapillis secandis, compaginandis ac perpoliendis, qui & Musivarii dici possunt, nolui praetermittere. Cum his iungendos censeo Vascularios peritissimos, qui Vascula, aliaque permulta e crystallo montana mira arte conficiebant, atque etiam variis ornamentis, animalibus, avibus, pampinis, foliis, silvis, encarpis, figuris, oscillis, tropaeis, simbolisque atque emble-

emblematis variis ingeniose excogitatis ea condecorabant, atque interdum inaurabant; quorum aliqua non contemnenda in meo Museo, veluti huius eximiae artis prima specimina servantur. Primum eorum Officinae, ut diximus, in Palatio ad Templum D. Marci, vulgo *il Casino*, cum aliis Artificibus Gemmariis constitutae fuerunt circa annum CIϽ. IϽ. LXXXVII. primique Opifices, qui hanc artem exercuere, Florentini, mox Mediolanenses periti homines exstiterunt, qui permultos egregios alumnos educarunt atque instituerunt, quorum opera, quum accurate & luculenter descripta fuerint a praelaudato P. Augustino del Riccio Dominicano, satius erit eius verba, testimoniumque firmissimum atque oculatissimum adferre. Igitur Capite CXX. suae Historiae Lapidum & Gemmarum haec scribit: „ Del Cristallo di Calci, di Carrara; degli
„ Svizzeri, talvolta di peso di libbre 200. Di cotali
„ pezzi sovente i Maestri rarissimi Milanesi ne fanno
„ animali grandi, come oche grandi al naturale; ma
„ di più pezzi, & altri animali; come si vede nella
„ Tribuna della Galleria, che fece la fel. mem. del
„ Granduca Francesco al Palazzo vecchio de' Signo-
„ ri, non mai lodato quanto merita; poichè amava i
„ Virtuosi Forestieri, & in particolare il virtuoso Mae-
„ stro Giorgio Milanese, & i suoi figliuoli, altresì
„ i rari e virtuosi Maestri della medesima patria, cioè
„ Maestro Ambrogio, Maestro Stefano ambidue fra-
„ telli, & io con tutti tali Virtuosi sempre ho tenu-
„ to amistà, con tali uomini leali, e rari in lavorar
„ Cristalli, e fare animali, & altri lavori, come un'
„ altra volta si dirà con altra occasione; che il detto
„ Granduca quei e altri Maestri teneva al suo Palaz-

„ zo,

„ zo, che il fece per ſuo diporto, detto il *Caſino*, ch'
„ è appreſſo il noſtro Convento di S. Marco in Fi-
„ renze, dove io andava per mio ſpaſſo; poichè tan-
„ to era il contento, che io prendevo in veder sì gran
„ pezza d' uomini rariſſimi in molte arti, quivi lavo-
„ rar molte coſe &c." Memorat in eodem capite Cruces e cryſtallo ab his artificibus egregie elaboratas, quae magna cum pompa in ſacris Supplicationibus in pervigilio Nativitatis S. Ioannis Baptiſtae Florentinorum Patroni, per noſtram Urbem deferebantur; & Vaſcula cryſtallina ad ſervandas Sanctorum Reliquias, quae in gradibus arae maximae in Eccleſia S. Mariae Novellae, (atque etiam in aliis Eccleſiis) exponuntur, atque in Lipſanothecis ſervantur. Idem haec adnotat Cap. CXCII. „ L' uſo de' Criſtalli è più per far Vaſi
„ da bere; poſciachè a Venezia vi ſono sì bei bic-
„ chieri, e tazze di criſtallo, fatte a Murano, che in
„ vero ſono aſſai rari, e belli, & honorati, fatti in
„ tante fogge, & hanno diverſi garbi, che rallegrano
„ gli uomini ". Harum artium conditorem Florentiae fuiſſe FRANCISCUM Magnum Etruriae Ducem, non ſemel a me, numquam tamen laudatum ſatis, clarius confirmat Cap. CXCIV. his verbis: „ Quì voglio di-
„ re, come non è guari di tempo, come il Granduca
„ FRANCESCO fece venire più Maeſtri di vetro, & in
„ particolare quei, che lavoravano i Criſtalli, e meſſe
„ queſta laudevole uſanza nella Città di Firenze: co-
„ sì avrebbono a fare i Principi a tener cotal modo,
„ che le Città loro ripiene di Huomini virtuoſi in
„ tutti i generi & arti per decoro, e onore delle Cit-
„ tà, & anco per allevare i ſuoi ſudditi virtuoſi, e
„ non ozzioſi, come bene ha fatto il Gran Duca FRAN-

CESCO,

„ cesco, che apparò dal ſuo buon padre G. D. Cosi-
„ mo, che meſſe tant' arte in Firenze, & altresì eſal-
„ tava i virtuoſi, e quei ſovente egli premiava &c.“
De ornamentis, quibus cryſtallina Vaſcula decoraban-
tur, diſſerit idem Scriptor Cap. CCXXViiI. ita in-
quiens: „ Quì ſi puote ancora dire, che i Signori e
„ i Regi hanno vaſi fatti di criſtallo, ma a tornio,
„ come ſi lavorano i Vaſi di lapislazzuli, e così fan-
„ no intagliar detti Vaſi, o bicchieri di criſtallo, e
„ per entro ſi veggono arme, o animali, o ſelve.
„ Uno di queſti ne ho viſto al Caſino del Granduca
„ Francesco, coſa veramente degna d un ſimil virtuo-
„ ſo Granduca. Evvi adeſſo un gran Maeſtro in Gal-
„ leria, che disfa i Criſtalli, e con fuoco e fiato fa
„ tutto quel che ſi può deſiderare; coſa che non ſi è
„ più viſta in queſta Città; laonde merita, che ne ſia
„ fatto memoria da me nell' opera, che anderà fuora
„ ſopra le pietre in Lingua Latina, ſe harò vita.

Servantur adhuc in duobus ſecretioribus Cimeliis in Regio Conclavi, vulgo *Tribuna*, innumera Vaſa pretioſa, non ſolum cryſtallina, verum etiam ex integris praegrandibus Gemmis, e Chalcedoniis, Achatibus, Sardonychis, Helitropiis, & Cyaneis, vulgo *Lapislazzuli*, aliisque; quam inſignem ſupellectilem utinam Tabulis aereis optime delineatam videam aliquando, quod, ſi vires meae paterentur, id ipſum, regio Caeſaris permiſſu & favore, curare vellem.

Praeter hos Opifices, qui cryſtallina Vaſcula exquiſita arte elaborabant, laudat etiam Vaſcularios, qui vaſa, crateres, & cyathos e gemmis lapidibusque pretioſis in iisdem Mediceis Officinis perficiebant; de quibus pauca haec idem Riccius adnotat Cap. CXXV.

ubi agit de lapidibus Cyaneis , vulgo *Lapislazzuli* .
„ Di cotali pietre se ne fanno Vasi belli e bacini , &
„ altri lavori ; come si vede aver fatto il Gran Duca
„ Francesco a mio tempo al Casino ; che oggi di co-
„ tali Vasi , bacini , e nicchi , e altri lavori sono nel-
„ la Tribuna sul Corridore appò il Palazzo Ducale ;
„ & in essa Tribuna vi sono delle belle cose , ch' ab-
„ bia il Granduca in genere tale . Nota che io veddi
„ lavorare un nicchio , & altri Vasi , che si lavorano
„ per via di ruote : cose , che non puote fare se non
„ quelli che sono ricchi . “

His etiam adde Opifices illos , qui e succinis vascula , pateras , urceos , candelabra , icunculas , & alia huiusmodi egregio magisterio faciebant ; quamvis intermissa haec opera fuerint , statim ac Bohemica ad Mediceos Principes pervenere . Verum ex his non pauca in iisdem regiis Musei Conclavibus spectantur . Lancem eximiae magnitudinis ex hac materia cum urceolo ad aquam fundendam servat in Museo suo Cl. Baro Stoschius , multis figuris anaglyptico opere egregio exscalptum ; qui olim apud Serenissimos Mantuae Principes exstabat , & forsitan dono missus , ex his officinis prodiit .

Nihil dico , ne Lectorum abutar patientia , de Eborariis eximiis Sculptoribus , Statuariis , Vasculariis , quorum opera exquisitiori arte perfecta in hoc regio Museo Florentino conspiciuntur ; quae omnia , non aliunde advecta , sed in his Officinis Mediceis , & non pauca etiam Serenissimorum Principum manu , praesertim FERDINANDI Magni Etruriae Principis perfecta atque elaborata valde laudantur .

Artifices omnes in tres Classes distributi , singuli suis ope-

operibus accurate incumbebant. Alii deſerviebant aedificiis & ornamentis regii magnificentiſſimi Sacelli Principum in Ambroſiana S. Laurentii Baſilica; alii deliciis, luxui, ornamentisque Auguſtae Domus Mediceae praeſtandis inſudabant; alii pro regio Cimeliarchio, atque eidem addictis operibus, & rarioribus elegantiis, ut eleganti cultu explendeſcerent, laborabant. Inter, Sculptores memoratur egregius HERCULES FERRATA qui inſigniores Statuas marmoreas aliquibus in locis inſtauravit. Clariſs. FANCELLIUS Antonii F. ſedens Bacchi ſimulacrum, & alia antiqua monumenta, ut inveni in Libro O. anno CIↃ IↃ CXV. refecit. Laudatur MARIANIUS, Vincentii Vivianii diſcipulus, in cryſtallis teleſcopiorum conficiendis, aliisque vitreis orbibus ad Opticam pertinentibus Faber eximius, itemque eius alumnus, & ſocius COPPINIUS, qui & perſpicillis optimis fabricandis, aliisque machinis Mathematicis, & Aſtronomicis dabant operam. Celebris eſt IOANNES BAPTISTA FOGGINIUS Architectus & Sculptor, & alii Proſpectivae Magiſtri: alii item Plaſtae, archetyporum Fictores, Protoplaſtici, vulgo *Modellatori;* inter quos in ectyposi excellens fuit CIPRIANIUS, qui ex aere fudit Statuas omnes, quae in regio Conclavi, ſive Tribuna Cimeliarchii ſpectantur, iuſſu COSMI III. Magni Ducis Etruriae; in Fuſoria & Chemice alii praeſtantes. Legi etiam nomen ANGELI GORII Florentini, inter Pictores fama nominis operumque clari, (1) quem inter avos meos numero, a quo laquearia regii Cimeliarchii picta ſunt anno CIↃ. IↃ. CLV. & CIↃ. IↃ. CLXI. & LXIV. in ſpatiis novem; quas picturas nuper aereis

(1) In Lib. Litt. G. & I. ab annis praedictis ad annum MDCLXXIII.

reis Tabulis incisas in lucem protulit IGNATIUS URSINIUS, Socius Columbarius Florentinus, multis laudibus commendandus. Reliquos omnes, qui in iisdem regiis Officinis, vel alibi ad nutum Principis laborabant, ne quid peccem in recensendis, vernaculo sermone exponam. *Pittori di Fiori*, inter quos excelluit MICHAEL SCACCIATUS Florentinus; *di Frutte*, *di Figure*; *Miniatori*, *Vetrai*, *Sperai*, *Orefici*, *Argentieri*, *Bronzisti*, *Medaglisti*, *Maestri di filograna*, *Intagliatori di Sigilli*, *Oriuolai*, *Archibugieri*, *Balestrieri*, *Alabastrai*, *Cesellatori*, *Bulinisti*, *Smaltatori*, *Stipettai*, *Ebanisti*, *Spadai*, *Artefici di corazze*, *e di armadure militari*, *Fonditori di Artiglierie*, *Intagliatori di lime*, *Intagliatori in avorio*, *in legno*, *Tabacchierai*, *Cimbalai*, *o Instrumentai*.

His omnibus & illi addendi sunt adeo celebres, & praestantes Opifices, qui in Textrinis Mediceis prope Palatium ad Templum D. Marci sedulam operam in aulaeis texendis navabant; quibus paucis ab hinc annis hi subrogati sunt, qui excellunt in floridis sericeis vestibus mirabili textura conficiendis, & magnas opes publico bono conferre non cessant. Horum historiam aliis compingendam relinquo; ne extra choream vagari videar. Illud memorare mihi liceat, in Textrinis Reipublicae Florentinae olim floruisse Artifices & Pictores omnibus ingenii & peritiae laudibus ornatissimos. In Basilica Baptisterii Florentini servantur, & Hierothecas Sanctarum Reliquiarum exornant, picturae sacrae auro & coloribus ex serico textis, quibus condecorabantur Pontificalia indumenta, queis usus est IOANNES COSSA, olim Papa, cuius ossa magnifico in sepulcro in eadem Basilica condita sunt; quae Historiae miro artificio textae anno CIↃ· CCCCLXVI. exhibent

ortum,

ortum, vitam, gesta, & mortem Sanctissimi Praecursoris Ioannis Baptistae; quarum picta exempla dedit ANTONIUS Iacobi F. DEL POLLAIUOLO, eaque textrinis operibus expressere COPPINUS, IO. BRAMANTIS Flor. cum aliis, quorum nomina, Deo dante, in mea Historia Baptisterii Florentini proferam.

CAPUT VI.

Nomina praestantium Vasculariorum in Florentinis Officinis crystallinis & vitreis producuntur.

POstquam in hoc Adparatu historico multa a me praemissa sunt, quae ad eximios Florentinos Artifices generatim pertinent; nunc peculiari labore de inclytis Maecenatibus & Fautoribus Mediceis, ac de Opificibus singulis differendum. Primus omnium, ut diximus, ad Vascula crystallina & vitrea conficienda Officinas Florentiae in suis Aedibus, prope Templum D. Marci, mox prope vetus Ducis Palatium, condidit, publico litterarum atque artium omnium bono & gloriae natus, Serenifs. FRANCISCUS I. Magnus Dux Etruriae; cuius eximiae virtutes & merita nullis laudibus aequari satis possunt.

Inter primos Vascularios Opifices, qui recensentur in Codice expensarum, quem evolvi, in quo adnotata est littera C. qui incipit Kalendis Martii anni aerae Florentinae CIↃ. IↃ. LXXXVII. laudatur AQUILANTES BOTTARIUS, Antonii Filius, Florentinus, qui crystallis aedificandis, rotarumque ope perpoliendis, summa cum laude, sedulam dedit operam. Sub eo discebant, ac va-

ſcula elaborabant, Nicolaus Friderici F. & Paulus Nicolai F. Florentini. Inter Vitrarios Artifices laudatur etiam Baptista Venetus. Legi etiam in Libro notato lit. G. ad annum CIƆ. IƆ. XCVIII. nomina duorum Opificum Gallorum, qui ſpecularia exquiſita arte elaborabant, nempe Dominicum Coccer, & Bartholomaeum de Rach, qui tum cryſtallina, tum metallica, quae exſtant, parabant.

Sed quum ad aures eiusdem optimi Principis praeſtantium Mediolanenſium Opificum, qui opera e cryſtallo politiſſima egregie conficiebant, ingens fama percrebuiſſet, eos magnis praemiis propoſitis, oblatisque, ad ſe adcivit, ac praeſentes eximio honore ac benevolentia proſecutus eſt. Hi fuere Georgius cum filiis, & Ambrosius, ac Stephanus germani fratres, qui, ut ſupra vidimus, a P. Fr. Augustino Riccio e Dominicana Familia in ſua lapidum Hiſtoria laudantur, quam ſcripſit circa annum CIƆ. IƆ. XCVII. Sed, quod tacet, vel incuria praetermittit idem Riccius, in Codice Expenſarum, notato littera D. ab anno CIƆ. IƆ. LXXXIX. ad annum CIƆ. IƆ. XCII. praelaudati Georgii vel filium, vel fratrem nominatum quoque inveni Christophorum Mediolanenſem; Ambrosii vero fratrem Ioannem Baptistam, qui, ut mox dicemus, egregius fuit Gemmarum Scalptor. Ex eodem Codice didici etiam, eos patrem habuiſſe Hieronymum, qui e Familia Carrionia erant; nam *Carrioni* tum in hoc Codice, quamquam aliquando minus, ut videtur, accurate *Caroni*; tum in alio Codice, qui exſtat in ſecretiore Regio Archivio penes egregium Antiquarium Ioannem Baptistam Deium, ſocium Columbarium Florentinum, qui mihi ibidem legendum exhibuit, Carrioni, re-

ſte

ꝏte quidem, adpellantur. Hi praeſtantes Vaſcularii non ſolum vaſa, pocula, trullas, pateras, catillos, cyathos, & columellas ad ornatum ſcriniorum, aliaque opera e cryſtallo montana perficiebant, exſtruebantque; verum ea multo opificio ſeu diaglypho, ſive anaglypho inſculpebant, exhibebantque flores, corollas, aviculas, encarpos, ſilvas, animalia, figuras, eademque vaſcula aliquibus in locis inaurabant, vel encauſticis coloribus inficiebant; quidquid denique ſpectantium oculos exhilarare poteſt, eorumdemque operum elegantiam mirumque opificium augere, miro ingenio inventisque praeſtabant, ac perficiebant. Hi dicebantur honoris cauſa, quod ceteris praeſtarent, *Magiſtri*, & complures magiſterio ſuo ſubiectos alumnos accurate docebant atque erudiebant. Idem P. Riccius ſilet nomen illius Opificis, qui, ut ipſe ait, *disfa i Criſtalli, e con fuoco e fiato fa tutto quello che ſi può deſiderare*. Huius nomen inveni in praedicto Libro C. recenſitum inter ceteros vitrarios Artifices anno CIↃ. IↃ. LXXXVII. quod nunc palam facio; nempe is eſt Nicolaus Gandius Lucenſis, Vincentii F. ut ibidem ſcribitur, *Maeſtro di criſtalli a lume di lucerna*. His addendi Bernardinus Gaffarius Florentinus, Georgii F. cuius frater Chriſtophorus eximius fuit, ut mox dicam, Scalptor Gemmarius: item Christophorus Winchler Alemannus, in ſculpendis cryſtallinis operibus, cyathisque conficiendis laudatiſſimus; cuius nomen ſaepe occurrit, praeſertim in Libro K. ad annum CIↃ. IↃ. CLXIV. & L. CIↃ. IↃ. CLXVII. De Borgognonio infra non pauca. Negotiis rebusque optime dirigendis idem Princeps liberaliſſimus praefecit Iulium Caccinium, & Michaelem Caccinium Florentinos Praefectos genere & pul-

cra-

crarum rerum ſcientia nobiliſſimos. Complura nobiliora Vaſcula cryſtallina ab his Opificibus confecta ſervantur, ut dicebam, in ſecretioribus magnis Cimeliis, quae auleis occultantur in Regia Tribuna Medicei Imperialis Muſei, quae neſcio qua de cauſa, quove conſilio perpaucis oſtendantur, digna profecto cultorum omnium admiratione & laudibus.



CAPUT VII.

Inluſtres Principes, qui Glyptographicae ſtudia favore & opibus proſecuti ſunt, laudantur.

IN laudandis Inluſtribus Principibus, qui Glyptographicas artes favore, & munificentia ad ſummam dignitatis & gloriae praeſtantiam evexerunt, non diſcedam ab his, qnae egregius Eques Vasarius adnotavit in Vita Valerii Bellii Vicentini (1), in qua primus omnium non ſolum eximios Gemmarios Scalptores, quos vel noverat aetate ſua, vel eorum nominis famam temporibus eidem paene proximis audierat; verum etiam magnos Principes, quorum auſpiciis & liberalitate pulcherrima opera ipſi perfecerunt, recenſuit. Suſpicabar ALPHONSUM Regem, qui antiquorum operum amore ac ſtudio mirifice delectatus eſt, hac quoque laude non fraudandum. Verum neminem adhuc inveni, qui eum ad provehendas Glyptographicas artes adpuliſſe animum, bellorum negotiis diſtentum, adfirmet; quamvis Litteratos, & ſapientes viros multo in honore apud ſe

(1) Vide in Parte III. Vol. I. pag. 285.

ſe adciverit, atque ingentibus praemiis adfecerit. Laurentius Pignorius Lib. I. *Symbolarum Epiſtolicarum*, Epiſt. iiI. de eius Gemmarum ſtudio nihil adfert, qui haec de eo memorat: „Quod vero ad aetatem noſtram, „ aut paullo ſupra, attineret, Alphonſum Regem laudatum illum, & omni laude maiorem, Numismata „ Imperatorum, ſed Caeſaris ante alios, per univerſam „ Italiam conquiſita, in eburnea arcula aſſervaſſe paene religioſe, teſtis eſt Antonius Panormita: quibus, „ quoniam alia eorum ſimulacra, iam vetuſtate collapſa non exſtarent, mirum in modum ſe delectari, & quodammodo inflammari ad virtutem & gloriam inquiebat". Sed quae ſubdit, accurate mox expendam. „Studium Alphonſi (inquit) aemulata eſt „ Domus Medicea, illa Muſarum domus, an templum? „ cuius rei teſtem habemus oculatum Philippum Cominaeum Lib. ViI. Cap. IX. *Hiſt.* qui recenſet Numismatum aureorum tria millia, praeter Vaſa caelata, & argenti antiquitus ſignati magnam vim". Sed Medicei Heroes praeſtantiſſimi minime indigebant, quum domeſticis abundarent, exemplis ALPHONSI inclyti Regis; quum ipſi ſtudiis omnibus atque artibus fovendis amplificandisque ſuapte natura divinoque genio ita inflammati eſſent, ut alios ad aemulationem excitarent potius, quam excitarentur, atque aemularentur. Iam ſupra oſtendimus compluribus annis ante LAURENTIUM MEDICEM apud maiores ſuos inoleviſſe ſtudia conquirendi priſcas delicias, antiquas Gemmas, Numismata, & Vaſcula miris caelaturis operoſiſſima. Viguit & remotioribus Florentinae Reipublicae temporibus ars inſcalpendi Gemmas; nam & non pauca Sigilla obſignatoria vidimus ex argento & aere,

quorum characteres in ambitu ad Saeculum XIV. referuntur, in quibus in medio inserta est antiqua Gemma cum figuris, quibus eius possessor ad obsignandum uteretur; quorum ectypa in Collectionibus Societatis Columbariae Florentinae, & in meis quoque servantur; quae quidem ostendunt longe vetustum esse huiusmodi studium habendi, colligendique antiquas Gemmas. Sed exstat Florentiae peculiare atque aeternum huius praeclarae gloriae monimentum, ac testimonium, nempe Domus ipsa Mediceorum Principum, quam exstruxit Magnus COSMUS MEDICES, Pater Patriae, quae hodie Marchionum Riccardiorum est, in qua in metopis Xysti, supra columnas & arcus, anaglypha octo marmorea elegantissima orbicularis formae spectantur; quae Historias exhibent ex Gemmis antiquis Scalptorum Graecorum accurate desumtas. Ea perfecit immortali scalpro eximius Sculptor Florentinus DONATUS, cognomento DONATELLUS, quem VASARIUS insigniter laudat; qui primus omnium vetustis monumentis mirifice delectatus est, eaque imitari, ac probe exprimere in suis operibus adsidue studuit; quique, ut adnotavimus, auctor fuit, ut COSMUS MEDICES harum priscarum deliciarum studium omnibus colendum exemplo suo proponeret, & elegantiores hasce vetusti aevi reliquias undique conquireret, & sibi suisque compararet. In his marmoreis orbiculis primum spectandus occurrit, ab eo ad praestantiorum Gemmarum similitudinem accuratissimam egregie sculptus, Diomedes Palladio potitus, qui insidet basi encarpo coronatae. Huius Gemmae ectypum servo, quae post Cosmae obitum, quum Laurentio cum reliquis obtigisset, ipse singularem Graeci Artificis admiratus peritiam, ne sibi

surri-

ſurriperetur, in ea nomen ſuum ita declaravit, inciſis hiſce litteris, ut & in reliquis inſignioribus ſolebat: LAVR. MED. Prope hunc cernitur Hercules, ſub gravi Amoris, ſeu Cupidinis pondere, qui eius humeris inſiſtit, labore preſſus, fatiſcens; quod emblema in Mediceis Gemmis a me editis occurrit. In altero ſculptus Hercules in Hortis Heſperidum, qui ad arborem adcedit aurea poma decerpturus, adſtante Minerva adiutrice. Spectatur etiam Oraculum, ni fallor, Homericum, ad quod Heroes adcedunt. Hinc cernitur Cupidinis triumphus, comitantibus eius currum Geniis. Ariadnem in altero marmoreo anaglypho ſedentem in ſcopulo circumſtant Satyri, ceterique e Bacchi familia. Spectatur in altero faberrime ſculptus Centaurus, e pugna reverſus; in altero vero captivus ante Heroam, ſive Imperatorem paludatum, ſupplex, a duobus militibus deductus: quae omnia emblemata a Donato, Florentino Praxitele, ex antiquis praeſtantium Graecorum gemmis, & monimentis dubio procul deſumta ſunt. De his eximiis Donati operibus ſilent, qui admiranda huiuſce Urbis Florentiae deſcripſerunt, Franciscus Bocchius, & Ioannes Cinellius. Obiit Donatus Eidibus Decembreis anno CIƆ. CCCC. LXVI. aetatis ſuae LXXXIII. quum Laurentius Medices tunc ageret aetatis ſuae decimum octavum annum; quo, vel paullo ante, ab eo fundatae Glyptographicae Scholae epocham deſignavimus, quae tunc maxime florebat, eidemque optimi Artifices dabant operam; neque abſurdum eſt, ſed credibile, tunc iacta fuiſſe huius Gymnaſii fundamenta, ſtudiaque auſpicata, adhuc ipſo Donato vivente; quod etiam ex eo coniicere poſſumus, quum lectiſſimis iuvenibus alumnis Laurentius praefecerit, mo-

dera-

deratoremque & magiſtrum dederit BERTOLDUM DONATI diſcipulum, Florentinum, Sculptorem excellentiſſimum; forſitan quia DONATUS, invaleſcente ſenectute, laboribus fractus, quotidie his praeeſſe minime poterat. Hos iuvenes Scalptores, itemque Sculptores, Pictores, & Architectos magnificus Laurentius veſtibus, & ſtipendiis donabat, ac muneribus ditabat, excitabatque ad maiora exhibenda, ſuaque benevolentia & laude ornabat, menſaeque ſuae aliquando adcumbentes volebat, familiaribusque colloquiis dignabatur, praeſertim ſi quid admiratione dignum multo ſtudio & arte perfeciſſent; quae omnia luculenter VASARIUS pluribus in locis exponit (1).

Gradum nunc facio ad Pontifices Maximos PAULUM II. qui inſcalptis antiquis Gemmis mirifice delectatus eſt. Aliqui memorant etiam MARTINUM V. ſed Scalptorum Gemmariorum nomina, qui ſub ipſis floruerint, nondum in editis monumentis legi; quae ſi habentur, illud opto vehementer, ut in lucem quantocius proferantur. Iisdem regnantibus, in numismatis effingendis cudendisque egregios Opifices floruiſſe, multamque laudem conſecutos eſſe ex Hiſtoria Numismatum Romanorum Pontificum V. C. RODULPHINI VENUTI colligere poſſumus. Romae ſub IULIO II. Glyptographice vires coepit, auctaque magnopere eſt; ad exquiſitiorem vero praeſtantiam evecta, dum Eccleſiam Dei moderarentur LEO X. CLEMENS VII. PAULUS III. IULIUS III. atque etiam deinceps.

Mirum in modum Glyptographicis opificiis faverunt inclyti Principes LUDOVICUS Mediolanenſium, & AL-

(1) Vide in Par. III. Vol. I. in Vita Torrigiani pag. 52. & 53. Vide etiam in Vol. II. Par. III. in Vita Michaelis Angeli Bonarrotii pag. 718. & 719. edit. Flor.

ALPHONSUS Ferrariae Duces ; ſed longe his laudibus eminuere Hippolitus Medices, & Ioannes Salviatus, & Farnesius S. R. E. Cardinales. Gloriae ac laudis cupidiſſimus CAROLUS V. Caeſar magnis honoribus & praemiis nobilitavit Artifices Glyptographicos, a quibus imaginem ſuam ſculpi ſtudebat ; cuius inſigne monimentum exſtat, quod nuper obſervavi, in Mediceo Theſauro ; nam Gemma rariſſima eſt anaglypho opere utrimque ſculpta, quae & opificio, & magnitudine praeſtat, cum eius protoma in antica ; in poſtica vero Bellona Dea, quae armis inſidet. Inter Principes primam nominis gloriam, & incomparabilis liberalitatis palmam ac laudem ſibi vindicat FRANCISCUS I. Galliarum Rex Chriſtianiſſimus, qui ſtudiorum artiumque omnium orbem ſuis curis nobilitavit, atque amplificavit ; item HENRICUS IV. LUDOVICUS XIV. Gallici Regni ſidera ſplendidiſſima. Cum his coniungendi PHILIPPUS II. Hiſpaniarum Rex, RODULPHUS Imperator, ANDREAS GRITTUS Sereniſſimae Venetorum Reipublicae Dux celebratiſſimus ; Urbini Duciſſa, Mantuae Marchioniſſa, Isabella Marchioniſſa Estensis, & alii plures, qui a Vasario laudantur, quos & ego laudabo dum ſingulos Scalptores recenſebo, qui eorum ope & liberalitate profecerunt. Multis quoque laudibus extollam Caeſarum, ac maximorum Regum ac Principum eximia in Lithographos Gemmarios beneficia, curamque perpetuam, qua haſce Artes ad aeternitatem nominis ſui apud ſe florere, & regnis ſuis gloriam maximam parere ſtuduerunt. Id ut accurate faciam, perſpicuo ordine, ſervata temporum ſerie, quod nondum ab aliis praeſtitum eſt, ſingulos Gemmarios opifices recenſebo, qui in ſingulis Urbium

Scholis sive Accademiis, spatio fere quatuor saeculorum floruerunt, & adhuc ex his complures florent multa nominis laude probatissimi. Initia & progressus in Glyptographice ut facilius cognoscantur, atque etiam ad memoriae subsidium reperiantur, Scalptores omnes in septem SCHOLAS distribuam. Prima erit FLORENTINA. II. ROMANA. III. LANGOBARDICA. IV. VENETA. V. GALLICA. VI. ALEMANNICA. Postremo agam de SCHOLIS BRITANNICIS, HISPANICIS, DANICIS, BELGICIS, aliisque Transmarinis. Hoc ordine & serie perspexi, facilius intelligi, & legentibus nullo cum labore occurrere posse tum omnium Artificum nomina, tum etiam quarumlibet SCHOLARUM initia, conatus, progressus; adeoque ita facilius temporum varietates, eorumque defectus & incrementa melius cognoscentur.

Eversis Athenis, Italia barbararum gentium ignorantia & furore vastata, ac magnopere foedata, etsi pristinum artium decus & gloriam non omnino amisit, magnopere tamen obscuravit. Apud Asiae populos diu iacuit Ars Glyptographica; quae postmodum, vigente apud Turcas luxu & opulentia, paullisper caput erexit. Siquidem apud Arabas, Armenos, Turcas ea invaluit consuetudo, ut gemmae signatoriae, quas in aureis annulis insertus gerebant, peculiaribus nationum suarum characteribus insculperentur; qui characteres vel dictum aliquod, vel consilium, sive precationes & adclamationes continent, quod ex Gemmis huiusmodi tum meis, tum ex aliorum Dactyliothecis depromtis, ex peritis eorum Interpretibus didici. Hisce caelaturis aliquae vel Saeculo XIII. vel XIV. vel paullo post sculptae videntur. Quum igitur apud Italos scalpendorum lapillorum ab ea aetate ars perrara & intermissa esset,

hinc

hinc facile omnes intelligent, quanta laus tribuenda ſit Florentinis hominibus, qui auſpice & favente LAURENTIO MEDICE, viro magnificentiſſimo, eiusque Maioribus, tam arduum gloriae & claritudinis verticem omnium primi conſcenderunt, iterque omnibus feliciter monſtrarunt; quapropter nil mirum, ſi in hac Hiſtoria hos primos celebrandos eſſe cenſuerim: quemadmodum enim, ſi crebris exſtinctis facibus caliginoſa nocte, una tantum fax coruſcanti luce fulgeat, ſi ſingulae ad eam faces admoveantur, ſtatim accenduntur, ardent, atque omnia magno ſplendore conluſtrant; ita quoque per Florentinos homines, munifico LAURENTII lumine vigente atque exſplendeſcente, tum Glyptographice, tum etiam reliquae artes, quae Graphicen parentem habent, in priſtinam gloriam & dignitatem revocatae ſunt, atque auſpiciis fauſtiſſimis reſtitutae; quod nemo, niſi invidus, & veritatis oſor ſit, negare, ut opinor, audebit. Ab his igitur exordium ſumam.

CAPUT VIII.

De Schola Florentina Glyptographica ſub Laurentio Medice, ac Petro eius Filio, & Alexandro Med. Flor. Reip. Duce.

HIſtoricorum Florentinorum, aliorumque exterorum diſertiſſimis teſtimoniis conſtat, ut iam oſtendimus, MEDICEAM DOMUM refertam fuiſſe antiquis ſignis marmoreis, toreumatis, gemmis opificio inſignibus, vaſculis e ſardonyche, ceterisque gemmis, caelatis, Deliacis, atque Corinthiis, tabulis pictis, numis-

matis

matis auro, argento, & aere antiquo opere ſignatis; quae omnia (nihil dico de Graecis Latiniſque Codicibus) non ſupellectilem tantum pretioſiſſimam, ac Regibus invidendam, verum etiam opulentiſſimam Gazam, conſtituebant. Quum ex praeſtantioribus Gemmis aliquae temporum iniuria, vel foſſorum negligentia fractae eſſent, LAURENTIUS, ut antea monui, optimos Artifices Florentiam invitavit atque deduxit, qui labefactatas inſtaurarent, nomen ſuum in elegantioribus inciderent, atque interim alios in his opificiis erudirent. Hinc in LAURENTII mente praeclarum illud conſilium ortum eſt, ut *Scholam* primus omnium aperiret, conderetque circa annum CIƆ. CCCCLVIII. in qua delecti iuvenes ſub egregiis praeceptoribus Glyptographicas artes, atque etiam Picturam, Sculpturam, & Architecturam perdiſcerent, doctique patriam urbem, finitimaſque, ac totam paene Europam admirandis operibus ornarent atque implerent; quod his qui VASARII Hiſtoriam legerunt, probe exploratum eſt. Ea ipſa fuit quoque cura PETRI MEDICIS eius filii virtutibus omnibus tanto parente dignis praeſtantiſſimi (quo cum coniungendi IOANNES [mox LEO X.] & IULIANUS) qui favore maximo tum litteratos homines, tum Artifices omnes ornatiſſimos proſecuti ſunt, quorum laudes frequenter enumerat in ſuis ſcriptis ANGELUS POLITIANUS, horum Principum alumnus & cliens ingenio & doctrina celebratiſſimus. Laudantur etiam frequenter a VASARIO, qui iiſdem temporibus proximus fuit, hi Principes Viri, immo Heroes, omniaque encomia tum ab eo, tum ab aliis eximiis Scriptoribus edita, eo conlimant, ut oſtendant, eorum praeſidio, opibus, ac benevolentiſſimo favore veteres artes ac Palladis ſtudia

dia brevi ſpatio temporis adeo mirabiles progreſſus feciſſe, ut in priſtinum decus dignitatem & gloriam adſerta fuerint, & ferventi ſtudio ac labore exculta.

IOANNES FLORENTINUS, cognomento DELLE CORNIOLE. Saec. XV.

In nova Florentina Schola, ſive Glyptographica Officina Laurentiana, optimis praeceptoribus, quos Laurentius adcivit, in Graphice egregie inſtitutus eminuit IOANNES FLORENTINUS, qui propter excellentem in Sardis rubri coloris ſcalpendis peritiam (quae vulgo *Carniole*, *Corniole*, & *Corgniuole* adpellantur) cognomentum, quod & aliis eximiis in aliquo opificio hominibus contigit, honoris cauſa accepit; ideoque propter operum celebritatem ab omnibus nuncupatus eſt IOANNES DELLE CORNIOLE (1). Hic primus omnium in Gemmis ſcalpendis excelluit, aliorumque alumnorum ſuorum nomen obſcurum, ac multa oblivione obrutum reliquit; quapropter de reliquis, qui ea aetate florebant, nihil memoratum invenimus, ſcimusque; quae ſi ſciviſſet VASARIUS, minime ſilentio praeteriiſſet. Laurentio inſigniorum Gemmarum antiquarum exempla proponente, tanto polluit ingenio, ſtudio ac diligentia IOANNES, ut antiqua praeſtantium Graecorum opera aemulatus ſit; tantumque adſiduo labore & ſedulitate ac peritia profecit, ut Laurentio Medici ac Petro eius filio placuerit, & paene innumeros pulcherrimos lapillos inſcalpſerit, ut perhibet VASARIUS (2).

Inter omnes Gemmas ab eo peraccurate inſculptas, ea valde praecellit, magnitudine etiam inſignis; nam

Ll alti-

(1) Hunc laudat Cl. Auctor Differt. Glyptogr. Cap. XXV. pag. 80. ſed non primo loco.
(2) Vide in Vita Valerii Vicentini pag. 286. in Parte uI. Vol. I.

altitudine uncias duas aequat, quae Sarda, ſive *Carneola* eſt, in qua ab eo effiƈta eſt P. Fr. Hieronymi Savonarolae Ferrarienſis ex Ordine Praedicatorum imago, quae ſpeƈtatur in Tabula XXVI. num. I. in Florentino auguſto Cimeliarchio. Peƈtore tenus exſciſa eſt, exquiſita profundaque caelatura. Pallio teƈtos humeros habet, caput cucullo opertum; vultus oblique expreſſus eſt. In toto eius ambitu haec epigraphe ſcripta: HIERONYMUS FERRARIENSIS ORD. PRAED. PROPHETA VIR. ET MARTYR. Huiusmodi opus ab Ioanne perfeƈtum videtur poſt mortem Hieronymi, adeoque poſt obitum etiam Magnifici LAURENTII; ni ſuſpicari velimus epigraphen poſtmodum additam fuiſſe; imaginem vero inſcalptam dum adhuc viveret idem Laurentius, qui magnopere dilexit & coluit Hieronymum, a quo dum eſſet morti proximus, benedici, & leƈtulo ſuo eum adſtare voluit in Villa Caregia; cuius rei teſtis eſt ſynchronus ANGELUS POLITIANUS, qui eum inſignem ſanƈtimonia & doƈtrina virum, caeleſtisque doƈtrinae praedicatorem egregium adpellat (1). Nolo heic praetermittere, quae de hoc inſigni opere adnotat P. Fr. AUGUSTINUS RICCIUS in praelaudato ſuo Traƈtatu, ſive Hiſtoria Numismorum & lapillorum, Cap. CXXII. ubi de Sardis ſive *Carneolis*, ut aiunt, diſſerit: „ Si può vedere (inquit) una Corniola, ch'è nella Galleria Ducale; per „ entrovi vi è ſcolpito il P. Fra Girolamo Savonaro- „ li di Ferrara, Predicatore rariſſimo e dottiſſimo, & „ è ſcolpita tanto bene la ſua effigie, che il Grandu- „ ca Franceſco fel. mem. moſtrava cotal Corniola con „ gran

(1) Epiſtolar. Lib. IV. ad Iacobum Antiquarium pag. 43. memoratae editionis.

„ gran reputazione ai Principi come cosa rara, e del-
„ le belle cose, che avesse fra le sue cose rare e bel-
„ le. Non è maraviglia, che in sì bella Corniola vi
„ fosse ritratto sì gran Predicatore bene; posciachè i
„ suoi amorevoli l'hanno ritratto in più modi & in
„ più cose, come in porfido; poichè ci è la sua testa
„ al naturale fatta da Maestro Francesco Ferrucci, det-
„ to per soprannome *il Tadda*, uomo di bontà e sin-
„ golar valore, poichè egli fu il primo, che ritro-
„ vasse a' tempi nostri il modo e la tempera di lavo-
„ rare il porfido; & io l'ho vista questa testa fornita
„ col suo busto con mia gran contentezza; & è an-
„ cora ritratto in medaglie piccole, come in bronzo,
„ in piombo, in gesso, altresì in foglio; e poi da' Pit-
„ tori molte fiate in tele, in tavole d'asse; era fatta
„ la sua impronta talora grande, talora piccola".

Quoniam heic incidit mentio tam singularis & praestantis Sculptoris, nolo praetermittere sub eius Imagine porphyretica, quam ipse vivens exscalpsit, elogium sepulcrale, quod facile eius filii posuerunt in Aede S. Hieronymi in Faesulano Monte; ubi cum eodem parente optimo, filii quoque spectatissimi sepulti sunt; quod ipse oculatus testis exscripsi:

FRANCISCVS FERRVCCIVS FESVLANVS
QVI CVM STATVARIAM PORPHYRETICO
LAPIDE MVLT. ANN. VNICVS EXERCERET
EAQVE SINGVLARI VIRTVTE
COSMI MEDICES & FRANCISCI Filii MAGORUM
HETRVRIAE DVCVM STIPENDIIS AVCTVS ESSET
AD EXCITANDA SVI MVNICIP. INGENIA
PONI CVRAVIT ANNO D. MDLXXVI.

Ad

Ad huius Gemmae exemplum alteram Sardam, cum eiusdem Savonarolae effigie, ornatam quoque adſimili epigraphe, Romae olim ſibi comparavit Ill. Marchio ALEXANDER GREGORIUS CAPPONIUS; cuius ectypum e rubro ſulphure dono ad me miſit; quae Gemma cum reliquis antiquis operibus, ni fallor, hodie exſtat in Muſeo Collegii Romani, quae ei ex teſtamento reliquit. Alteram eiusdem egregii Concionatoris effigiem exſtanti opere elegantiſſimo, Achati Chalcedonio exſcalptam, memoratis paullo maiorem, ab eo tempore Florentiae apud ſe MARMII olim ſervabant, quae mortuo V. C. ANTONIO FRANCISCO MARMIO, Equite Ordinis S. Stephani, cum reliquis eius Cimeliis vendita eſt; primusque ab eius haeredibus hoc ipſum opus eximium accepi, & facile emiſſem, ſi aequiore pretio comparare potuiſſem. Penes quem nunc ſit, adhuc me latet. Hanc Gemmam ſi non ſculpſit idem IOANNES Florentinus, facile ex eius Schola, atque ab eius alumnis proculdubio prodivit in lucem. Hoc, ut aiunt, *Cameum* nulla epigraphe decoratum erat; ſed undique argentea coronide, & catenula ſuperne ornatum, ut ſuſpendi, vel collo adpenſum deferri poſſet (1). Nemo eſt in his artibus vel parum verſatus, qui neſciat, quam arduum ac perdifficile ſit penes Gemmarios Artifices (quod & apud Pictores & Sculptores contingit) perfectam, & prototypo longe ſimillimam effigiem inſcalpere; quapropter minime dubitandum eſt, IOANNEM Florentinum ſummam laudem, ſummamque nominis celebritatem aetate ſua adeptum eſſe, qui in Iconibus quoque accurate exprimendis primus omnium ingenio ſuo perſpica-

(1) Oſtendi illud ipſum Cameum Sociis Columbariis Flor. qui deſcripſerunt in Annali I. pag. 48.

ſpicaciſſimo , ſtudiisque & laboribus praeluxit , & veterem laudabilem conſuetudinem renovavit , genioque ſcientiſſimo Magnifici Viri LAURENTII Maecenatis ſui fecit ſatis.

Ex hac Laurentiana Schola & Officina complures prodiiſſe Gemmarios Scalptores memorat VASARIUS, ſed eorum nomina ſilet, quia ei quoque non ſatis perſpecta & explorata fuere . Inter recentiores Gemmas , quae exſtant in celeberrimo Mediceo , nunc Caeſareo Florentino Theſauro, ſpectantur in Tabula XXVI. Inluſtrium Virorum eiusdem aetatis Imagines; inter quas illa anaglyptice Achati pulcherrimo exſcalpta, quae protomam exhibet Cosmae Medicei Patris Patriae, & altera inſignis operis & magnitudinis, nempe trium unciarum Romani pedis, quae faberrime Achati e Chalcedonio vel Onyche exſcalptam imaginem eiusdem Magnifici Laurentii repraeſentat ; quas , eo auctore , vel ab ipſo IOANNE, vel ab eius alumnis diſcipulis effictas fuiſſe credibile eſt. Exſtat in Dactyliotheca Stoſchiana ſingularis Gemma, nempe Sarda, cuius ectypum apud me ſervatur, (1) in quo protome inſcalpta egregio opere Viri laureato capite, civicis veſtibus amicti, quem idem Cl. Baro DE STOSCH referre cenſet Ioannem Boccaccium , Oratorem & Poetam pereximium , Etruſcae eloquentiae parentem & Praeceptorem , ſupra omnem laudem eminentiſſimum . Caelaturam hanc ex eadem prima laudatiſſima Laurentiana Schola prodiiſſe non eſt dubium ; quamvis eius auctor nec a VASARIO, nec ab aliis declaretur . Profecto ea Medicea tempora his artibus auſpicatiſſima redolet , ac perſpicue refert ; nec

Mm erit

(1) Ipſum quoque dedimus Sociis Columbariis Flor. qui in ſuis Annalibus deſcripſerunt, & in Tabulis expoſuerunt.

erit abſurdum credere, & Dantis, & Petrarchae imagines, curante Laurentio Medice, a Florentinis Gemmariis Scalptoribus expreſſas fuiſſe in Gemmis, quum in Numismatis ex aere, quae apud me exſtant, inſculptas ea tempeſtate habeamus. Hae Gemmae vel adhuc latitant, vel omnino periere; quod etiam coniicere licet ex ſingulariſſimo Ioannis Boccaccii numismate, quod archetypum ſervo in meis Cimeliis, illudque amicis dedi, ut alia exempla ex eo ſingulari archetypo haberentur. In poſtica eius parte ſculpta eſt mulier ſtolata, dextra manu ſerpentem oſtentans; qui typus mire Boccaccio convenit, qui dum fraudes & vitia hominum in ſuis Fabulis aperit, prudentiam ex inſtituto, tanquam humanarum actionum ducem ac moderatricem, ſequendam docuit, iuxta Dominicum effatum: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes &c.*

Inter haec tempora prodiit in lucem Gemma elegantiſſima utraque in facie ſculpta; quam etiam e Florentinis Officinis acceptam aliqui cenſent. In eius antica exhibetur imago ſtrenui Ducis Bartholomaei Alviani, cuius caput caſſide, pectus vero militaribus ornamentis ornatum cernitur. In poſtica inciſa haec epigraphe:

B A R T
A L V I A N V S
G E N I O. S V O
D. D

Circa caſſidem quidam apices excurrunt, qui tamquam radii eam coronant. Profecto egregium opus, & multa laude dignum; quod ipſe Bartholomaeus dum viveret, ſibi a praeſtanti Scalptore incidendum curavit, & Genio ſuo dedicavit. Huius ectypum e ſulphure, olim

olim inter Cimelia Andreinia, apud me hodie exſtat; quod erudito Scriptori, qui eiusdem celeberrimi Ducis Exercituum Hiſtoriam parat, ut proferat, lubenter communicavi.

PETRUS MARIA PISCIENSIS
Saec. XV. & XVI.

Gemmarum ſcalpturam ad maiorem opificii atque elegantiae praeſtantiam evexit Petrus Maria Pisciensis, tunc celebri Oppido, nunc Civitate regalis Etruriae; e qua complures inluſtres viri optimis diſciplinis, armis, & artibus clari prodierunt. Hic adſiduo labore & ſtudio ſub laudatis Florentinis Gemmariis Scalptoribus mirum in modum profecit; primusque in imitandis antiquis operibus adeo excelluit, ut ſua tempeſtate neminem (teſte Vasario [1]) parem habuerit; quem regnante in Pontificatu ſuo LEONE X. floruiſſe, magnumque ſibi nomen peperiſſe ſcribit; nam, vita functo Magnifico Laurentio, relicta Florentia, eum Romam migraſſe, atque in eo pulcherrimarum artium & ſapientiae domicilio, multa opera confeciſſe, auſpiciis eiusdem Pontificis Maximi, Fautoris liberaliſſimi, ex Vasario colligimus. Ea potiſſimum tempeſtate, cura & ſtudio Raphaelis Urbinatis, quum Romae inventae eſſent antiquae Camerae, & Hypogea picturis ornata, hisque maxime, quae vulgo *Grotteſche* dicuntur, in quibus Pictorum veterum ingenia cum laude luxuriaſſe videntur; nam monſtroſas mulieres, & homines atque animalia tum terreſtria, tum marina, permixtis monſtrorum ex ingenio portentis, ut in arte luderent, exco-

(1) In Vita Valerii Bellii Vicentini in Par. II. Vol. I. pag. 286.

excogitarunt (1); hinc recentiores ea aetate Pictores huiusmodi inventum lubentissime amplexati sunt; quare in xystis, porticibus, cryptis, balneis ornandis & ipsi cum Gemmariis Lithographis certantes ea monstra expresserunt. Frequenter etiam ad varietatem in formis orbicularibus vel quadratis, figuris albo, area nigro, colore expressis, antiqua Gemmarum anaglypha opera vel diaglyphica repraesentarunt, videlicet venationes, piscationes, bacchanalia, Nereidas Nymphas, veterum Numina in aediculis, ac praecipue encarpia ex fructibus variis contexta, qualia in Admirandis Antiquitatum Herculanensium a me descripta, nuper edita sunt; corollas tum floreas, tum laneas, margaritarum uniones, aviculas & columbas volitantes, & alia emblemata ex antiquis Gemmis petita erudito ingenio pinxerunt, ne recentioribus Gemmarum Caelatoribus totam hanc gloriae spartam relinquere viderentur. De his plura habes apud Vasarium.

DOMINICUS POLI FLORENTIN. Saeculo XV. & XVI.

Multum gloriae sibi tribuendum esse existimarunt antiqui Gemmarum Scalptores, si in gemmis ipsis nomen suum, ac non solum patriam, sed etiam praeceptoris sui nomen inscriberent; quod non raro occurrit in praeclaro Stoschiano Opere, e quo e pluribus unicum adferam exemplum, desumtum ex insigni Gemma, quae Romae adservatur in Thesauro Excell. Ducis Salviati Columnae, in qua faberrime scalpta est integra facie, pectore tenus, Minerva; cuius operis praestan-

(1) His complures similes vide editas a Celeberr. Petro Sancte Bartolio in Libris, qui Cryptas, & Sepulcra antiqua, & eorum picta emblemata exhibent.

ſtantiſſimus Artifex ita nomen ſuum, patriae, & praeceptoris inſculpſit: (1)

ΕΥΤΥΚΗϹ
ΔΙΟϹΚΟΥΡΙΔΟΥ
ΑΙΓΕΑΙΟϹ ΕΠ

Scilicet:

EVTYCHES
DIOSCORIDIS
(Diſcipulus ſive Filius)
AEGAEVS FAciebat

Parentum loco diſcipuli Scalptores eximios Magiſtros ſuos habebant, atque in eorum Schola ſe profeciſſe honoris gratia ita teſtabantur, atque eorum filios in arte genitos ſe eſſe gloriabantur.

Multis ornatur laudibus a VASARIO (2) DOMINICUS, vulgo *di Polo*, Florentinus, qui inter diſcipulos praelaudati Ioannis Florentini *delle Corniole*, primum decus & nominis famam conſecutus eſt. Sardae gemmae pulcherrimae atque eximiae magnitudinis, quae altitudine pollicem excedit, incidit imaginem Alexandri Medices Ducis Reipublicae Florentinae; cuius ectypum e ſulphure ex Andreiniis Cimeliis in mea migravit. VASARIUS in eo laudando opere non excedit aut abundat in laude dum ſcribit: *ritraſſe divinamente il Duca Aleſſandro de' Medici*. In ectypo caput eius dextrorſum reſpicit. Vultus lineamenta, criſpati capilli, interioris tunicae collare, phrygio opere ornatum, chlamys ſive trabea humeros operiens, admirandum opus ac ſuſpiciendum te-

Nn ſtan-

(1) Vide in Stoſchiano Opere Tab. XXXIV. pag. 46. & 47.
(2) Loco ſuperius citato pag. 291.

ſtantur. Quod vero me rapit in his Glyptographicae primordiis, eſt exigua barba ſub genis & mento Ducis Alexandri innata, in qua effingenda, ſi eum vel aemulum, vel fortaſſe etiam parem Dioſcoridi conſummatae perfectionis Gemmario antiquo Opifici, qui Auguſti imaginem inſculpſit (1), adſeram, rem nec incredibilem, nec abſurdam me adfirmare credam. Iudicium eorum, qui conferre antiquum Dioſcoridis opus cum hoc DOMINICI POLI Florentini voluerint, teſtem adpello. Nec dubitandum eſt, valde placuiſſe Alexandro, qui gloriae cupidiſſimus fuit, ſuamque imaginem non ab eo ſolum, verum etiam & ab aliis Caelatoribus ea aetate praeſtantiſſimis, nimirum aere a FRANCISCO Hieronymi filio Pratenſi, ALPHONSO LOMBARDO, Sculptore Ferrarienſi (2), BENVENUTO CELLINIO Florentino, & a GEORGIO VASARIO picta tabula, cera, cretaque, marmore, aere in numismatis omni ſtudio accurate exprimendam mandavit. Altera imago eiusdem Alexandri adhuc exſtat, & ſpectatur adligata Tabulae XXVI. regii Cimeliarchii Florentini, ex Achate Chalcedonio exſciſa anaglypho opere exquiſitiſſimo ac probatiſſimo. Exſtat quoque altera eiusdem Alexandri Ducis imago cryſtallo inſculpta, opificio inſignis, quae adſervatur in Theſauro Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, quam profert in egregio ſuo Opere P. I. MARIETTE Tom. II. Tabula 120.

Excelluit etiam in numismatis flandis cudendisque, in quibus ſpirantes inluſtrium Virorum vultus & emblemata in poſtica parte egregio labore exprimere ſolebat; quod teſtantur numismata cum imagine Urbis Flo-

(1) Vide in Stoſchiano Opere Tab. XXV. & XXVI. pag. 32. & 34.
(2) Vide Vaſarium in eius Vita in Par. III. Vol. I. pag. 178. edit. Flor.

Florentiae, & illud cum typo Capricorni thematis auſpicatiſſimi Cosmi primi Florentinorum Ducis, quo ſe aemulum Auguſti, vel parem deſignavit, cuius imaginem exhibuit longe ſimillimam.

Eidem Dominico Poli Florentino, vel potius Nanni Proſperi filio, de quo mox dicam, tribuitur abſolutiſſima imago Ioannis, a turma Equitum ab eo conducta conſcriptaque, adpellati *delle Bande Nere*, quam eius filius Cosmus Florentinorum Dux Gemmae incidendam mandavit; cuius ectypum gypſo expreſſum apud me adſervatur. Gemma ovalis figurae duas uncias altitudine aequat. Prototypum ipſum nuper conſpexi in regiis Mediceis Cimeliis; ſiquidem anaglyptico opere ex Achate Chalcedonio pulcherrimo exſcalptum eſt. Capilli breves intorti, auris, vultus lineamenta, oculus tanta peritia expreſſi ſunt, ut nil ſupra deſiderari poſſit.

Ex eius Schola Laurentiana prodiere alumni in ſcalpendis Gemmis praeſtantes, eaque tempeſtate perfectus videtur aureus anulus, opere encauſtico eleganter ornatus, quem ſibi fieri iuſſit Pallas Stroza, vir nobiliſſimus, optimisque diſciplinis inſtructiſſimus. In eo Stroziae Gentis inſignia ſculpta ſunt in elithropio, quibus caſſis impoſita pinnis & criſtis ornata, cui imminet draco alatus, inflexo deorſum capite. In area ita inciſum maioribus litteris eius nomen, PALLAS STROZA. In aureo circulo naſcentes lunulae encauſtico opere expreſſae cernuntur. Servatur Florentiae (1) penes Excell. Principem D. Ferdinandum Strozam. Laudat Vasarius (2) Angelum Poli Florentinum, diſcipulum Andreae

(1) Hic anulus oſtenſus Sociis Columbariis Florentinis, eius ectypo cera rubra ſuſcepto, deſcribitur in Annali XVIII. pag. 34.

(2) In Parte II. Vol. I. pag. 485.

dreae Verrochii, qui in Plaſtice ſe exercuit, & multa opera fecit; de quo alii videant, an frater eius ſit.

NANNES Proſperi Filius Florentinus.
Saec. XV. & XVI.

Memoratur ac laudatur a VASARIO (1) NANNES, hoc eſt IOANNES, Proſperi filius, domo Florentinus, qui in Gemmis ſcalpendis adeo excelluit, ut ab iisdem gemmis, nempe Sardis, ſive, ut vulgo dictum, a *Carneolis* & ipſe cognomentum acceperit. Hunc Artificem, artis callentiſſimum, longe diverſum a praeſtantiſſimo IOANNE a Carneolis adpellato, qui primus Florentiae, ut diximus, Glyptographicam Scholam & officinam aperuit, fuiſſe, oſtendit idem VASARIUS, (2) qui in ſtudiis ſocium Franciſci Salviati fuiſſe narrat, nosque ei probe notum fuiſſe ſuſpicari poſſumus. Porro Franciſcus Roſſius, qui a Maecenate ſuo Cardinali Ampliſſimo Salviato cognomentum honoris cauſa obtinuit, quod eiusdem Purpurati auſpiciis, opibus, & liberalitate in pingendi arte magnam nominis famam ſit adeptus, & Franciſcus Salviatus adpellatus eſt, obiit Romae anno MDLXIII. aetatis ſuae quinquageſimo quarto: ex quibus monumentis diſcimus, quo tempore hic NANNES Florentinus floruerit. VASARIUM culpat PETRUS MARIETTUS, quod de eo ſubobſcure & aequivoce ſcripſerit, & ſe neſcire fatetur, utrum patri an filio cognomentum tribui debeat. Sed nihil heic cognomenti video; ſiquidem *Nannes* eſt nomen, quod ſignificat *Ioannes*. Pater NANNIS Proſper fuit; ipſe vero NANNES, nempe IOANNES *delle Corniole* dictus eſt, quod in huiusmodi Sar-

(1) Vide in Vita Franciſci Salviati Tom. III. pag. 78.
(2) In Vita Valerii Vicentini, loco ſupra memorato.

di Sardis rubro colore Gemmis *carneolis* ſcalpendis ſua tempeſtate nominis ſui & artis famam ſane praeclaram ſit conſecutus; & facile plurimarum Gemmarum Schemata delineata a Franciſco Salviato ſocio ſuo eum accepiſſe credibile eſt. Neque, ut arbitror, abſurdum coniicere, NANNEM noſtrum primum Florentiae ſub praelaudatis magiſtris, mox Romae in gemmis ſcalpendis plurimum profeciſſe, ubi Franciſcus Salviatus praeſtantiſſima opera eiusdem Cardinalis Salviati Fautoris ſui genio liberaliſſimo dedicabat. VASARIUS nulla huius Artificis NANNIS opera memorat; neque nobis in tanta monumentorum caligine, iactura, & paucitate declarari poſſunt, quum nomen ſuum in ipſis Gemmis ſcribere nec ipſe conſueverit, nec alii, qui primi apud nos Gemmariam artem reſtituerunt, atque in Italia intermortuam, ut ita dicam, ad vitam revocarunt.

BERNARDINUS
Scalptor Gemmarius, Saec. XVI.

Nominatur hic BERNARDINUS a VASARIO in Indice rerum memorabilium, praepoſito Volumini ſecundo Partis III. his verbis: *Bernardino Intagliatore di gioie*, pagin. 844. Sed quaeſitus a me in hoc loco atque in aliis, minime inventus eſt; quod typographi incuria falſus ſit citatus numerus. De eo nulla mentio in Diſſertatione Glyptographica.

CAPUT IX.

Gemmarii Scalptores in Florentina Schola clari, qui ſub Coſmo I. & Franciſco I. Mag. Etrur. Ducibus floruere, recenſentur.

FActis hiſce tam felicibus ac praeclaris in Glyptographico opificio fundamentis, quae Florentinam Scholam toto orbe celebrem effecerunt, nil mirum ſi ad eam exteri quoque ex Italicis urbibus Scalptores convolarint, ut Mediceorum Heroum favore ac patrocinio fruerentur, peritiamque ſuam & magiſterii ſcientiam, qua pollebant, vel pollere ſtudebant, in tanto praeclaro artium omnium theatro vel oſtenderent, vel acquirerent. Eximia illa laus, quam Horatius tribuit Auguſto, *veteres revocavit artes*, tribuenda quoque eſt COSMO I. Florentinorum Duci, qui hanc Urbem aureo illo ſaeculo florentiſſimam innumeris operibus laudatiſſimis Pictorum, Sculptorum, & Architectorum, qui tunc temporis gloriae verticem occuparunt, implevit ac locupletavit; quo auſpice & favente artes omnes ad ſummum praeſtantiae & laudis faſtigium auctas eſſe, cumulatiſſime toto opere ſuo immortali docet VASARIUS, RAPHAEL BORGHINIUS, & alii, qui de iiſdem ſcripſerunt. Sed ex his laudatoribus, qui paucis multa complexi ſunt, non praeteribo FRANCISCI ROBORTELLI, in Piſano Lyceo Eloquentiae Profeſſoris, elogium hoc, quo eumdem COSMUM exornavit. „ Optimo Duci „ Coſmo tota non modo Etruria, ſed univerſa etiam „ Italia, hac aetate quicquid ubique venuſtatis eſt ac „ nitoris in omni genere non ſolum ſcientiarum & ar- „ tium quae litteris continentur; verum & harum,

„ quae

„ quae aut pigmentis, aut aere, aut marmore (*gem-*
„ *misque*) opera effingunt posteris spectanda, acceptum
„ referre debent. Multos enim magno sumtu alit Ar-
„ chitectos, Aerarios, Fabros, Marmorarios, Picto-
„ res, qui antiquitatem illam non modo apte imitan-
„ tur, sed etiam adaequant & superant. Exstabunt igi-
„ tur passim in illius Urbibus praeclara monimenta,
„ quae annis permaneant innumerabilibus, & testatum
„ relinquant apud posteros, quam multae eius generis
„ artes, quae fere exstinctae videbantur, virtute illius
„ rursus excitatae, & singulari liberalitate sustentatae,
„ amplissimisque honoribus cohonestatae viguerint. “

COSMO non minor FRANCISCUS I. Magnus Dux Etruriae eius filius, qui artes omnes fovit, mirumque in modum amplificavit; qui incredibili novorum operum ardore flagravit, atque ea opificia, quibus Florentia carebat, invexit, & praestantissimos Artifices tum Florentinos, tum exteros insigni liberalitate aluit, ditavit, ac summa benevolentia prosecutus est; quae laudes iam superius expositae a me sunt, adlatis testimoniis synchroni Scriptoris P. Fr. AUGUSTINI RICCII, quibus & illae addendae sunt, quae a VASARIO & BORGHINIO frequenter inlustrantur. Illud nunc breviter notandum, eius munificentiae auspiciis, felici ausu, sed maxime difficili atque arduo, adamantes inscalpi coepisse. Quum enim augusto connubio eidem in sponsam obtigisset Regina Iohanna Austriae, filia Imperatoris Caesaris Ferdinandi, & Reginae Annae filiae & heredis Ladislai Regis Hungariae, quae ea de re Hungariae Regina adpellata est, iussum est ab eo magnanimo Principe, ut pronubus anulus, eidem Sponsae in nuptiis dandus, omnium pretiosissimus effingeretur; in

quo,

quo, inserto adamante valde prominenti, sed stupenda planitie, insignia suae Gentis sculperentur, primoque loco & quarto spatio stemma Hungarici Regni, in secundo & tertio illud Bohemiae, in centro illud Augustissimae Domus Austriae spectarentur. Quia vero regia superposita corona, quae in eo spectatur, haud radiata est, sed ad instar rosarum & unionum; probe hinc intelligimus, hunc adamantem stupendum inscalptum fuisse antequam Franciscus ad Imperium Etruriae conscenderet, adeoque ejus nuptiale pignus fuisse. Quum hoc opificium a Florentinis Scalptoribus feliciter perfectum fuisset, placuit Mediceis Principibus, ut alii adamantes pretiosi sculpturis edomarentur; quos, quia ad institutum meum pertinent, & eorum ectypa rubra cera expressa vidi & observavi inter Cimelia Societatis Columbariae Florentinae (1), describere atque hic recensere minime pigebit. Hi omnes inscalpti adamantes aureis annulis faberrimo opere insculpti inserti sunt. Post iam descriptum, cuius ectypum probe vidi, & observavi, secundus magnitudine eximius continet Stemma Domus Medicae a dextris, a sinistris vero Augustissimae Domus Austriae, cuius ductus excellentes ac valde profunde excavati stupentes oculos ad se rapiunt. Tertius demissiore caelatura Stemma tantum Mediceum exhibet. Quartus parvus idem stemma. Quintus Sacrum Christi Monogramma in ipso adamante ita incisum IHS. Sextus solam Crucifixi D. N. imaginem perparvam exhibet. Septimus duas Imagines sacras, pectore tenus, a dextris Deiparam Mariam Virginem, a sinistris Angelum, qui eam salutavit. Octavus litteratum

(1) Describuntur in Annali IV. pag. 265. & in Annali XII.

ratum ſphragisma Cosmi Magni Ducis Etruriae inſcalptum habet, quo pro nota, ſive, ut aiunt *Cifra* utebatur, ita expreſſa M. hoc eſt *Cosmus Medices*, vel forte etiam *Magnus Cosmus*. Nonus praefert cum regia corona Stemma Regis Luſitaniae & Algarbiorum, qui eum Cosmo III. in ſuo itinere donavit, dum Hiſpaniam peteret; & adamas unciam altitudine aequat.

Scio multos Scriptores hanc gloriam tribuere Clementi Birago Mediolanenſi, & arguere Abrahamum Gorlaeum, qui in ea excelluiſſe adfirmavit Iacobum Treccium Mediolanenſem, de quibus mox ſermo. Ex Florentinis monumentis, quae diligenter evolvi, eruitur aerumnoſiſſimam hanc artem caelandi incidendique adamantes, permultos annos antequam in Hiſpania ortum haberet, in Florentinis Glyptographicis Officinis ſumma cum laude, veluti ſingulare artis prodigium, viguiſſe, quae etiam regnante Ferdinando I. Magno Duce Etruriae perduravit; nam in Elenchis Gemmariorum Artificum & hi laudantur, qui in his adamantibus effingendis perpoliendisque valde excellebant, & honorifico ſtipendio per ſingulos menſes fruebantur. Teſtatur id perſpicue memoratus pronubus anulus, ornatus inaeſtimabili magno adamante, quo Franciscus I. manum lectiſſimae Sponſae ſuae Reginae Ioannae exornavit anno CIƆ. IƆ. LXV. eamque emenſo difficili itinere praeſentia ſua beavit. Credibile eſt Artificem in eo caelando multum temporis inſumſiſſe, ut immenſum opus mirabile, tanto Principe, pulcherrimarum artium Fautore, & aeſtimatore liberaliſſimo, dignum haberetur. Sed de Francisco I. quum multa ſuperius adnotata ſint, & de Officinis cryſtallorum ab eo conditis, atque etiam de Compoſitoribus ſive Compagina-

toribus pretiosorum lapillorum, qui veterum Musivariorum exemplo pictas tabulas conficiebant, diutius in his immorari supervacaneum censeo. Nunc Gemmariorum Scalptorum nomina proferamus.

BENVENUTUS CELLINIUS Florentinus Saeculo XVI.

Quamvis non constet Benvenutum Cellinium, qui in Sculptura, Fusoria, & Auraria arte praestantissimos omnes suae aetatis longe superavit, & veteres aequavit Opifices, gemmarum peritum Scalptorem fuisse; quia tamen & gemmas & pretiosos lapillos scitissime cognovit, conseruit, & antiquorum operum in lapillis sculptorum conquisitor & admirator fuit laudatissimus; id tantum mihi ad augendam patriae meae gloriam humanissime concedatur, ut honoris gratia eum inter inlustres Glyptographicos Opifices hoc loco recenseam; quo quidem consilio sequor Vasarii vestigia, qui eum cum laudatis eximiis Lithographis in fine operis sui perhonorificis verbis commendavit. (1) Multa sunt, quae in suspicionem nos adducere possunt, ut credamus eum gemmis quoque incidendis operam dedisse; nam se discipulum fuisse gloriatur Caradossi Mediolanensis; de quo Opifice Gemmario, itemque numismatum fictore excellentissimo, inferius dicemus. Praeterea in Vita sua scribit, se multo studio a quibusdam, ut vulgo dicitur, *Lombardis* excavatoribus, qui Romam stato tempore veniebant, ut vineas foderent, conquisivisse tum numismata antiqua, tum Achates, Plasmas, Sardas, sive Carneolas, Smaragdos, & lapillos anaglypho

(1) Pag. 292. Vol. I. Part. III.

pho antiquo opere faberrime ſculptos, quos deſcribit. In Smaragdo ſtupendi coloris, & mirae pulchritudinis ſcalptum fuiſſe a Graecis Artificibus memorat Delphini caput; & in Topatio, arte naturam aequante, inſcalptum caput Minervae; at in lapillo, ut aiunt, *Cameo*, ſculptus Hercules conſpiciebatur cum Cerbero vinculis ab eo revincto; quod opus immenſae pulchritudinis & elegantiae, ſtatim ac divinus BONARROTIUS conſpexit, obſtupuit. Conquirebat etiam puros lapides pretioſiſſimos ſculpturis vacuos, vel ut venderet, vel ut anulis aureis inſereret. Sed & illud memorabile, quod Franciſcus I. Galliarum Rex BENVENUTO ad ſe adcito oſtendit theſaurum antiquorum operum in Gemmis mirae magnitudinis, & vaſcula in regia ſacra Cappella recondita, quum eum horum operum aeſtimatorem peritiſſimum cognoviſſet. (1) Quod ſi BENVENUTUS non memorat ſe Glyptographicae arti operam dediſſe; id reor ab eo factum, quia, utpote gloriae & magni nominis cupidiſſimus, quum in ea ſe ſupra ceteros coetaneos Opifices excellere non poſſe cognoſceret, vel praetermiſit, vel abſtinuit. Verum in colorandis adamantibus neminem ſua aetate praeſtantiorem ſe habuiſſe adſeruit [quod mirum & abſurdum videtur; forſitan in auferendo colore ab adamantibus probabilius videtur] ubi complures egregios Aurarios Artifices, gemmarum cognitores praeſtantiſſimos recenſet, inter quos primam gloriam tunc occupabat MILIANUS TARGHETTA Venetus, eique proximi GAIUS Mediolanenſis, RAPHAEL DEL MORO Florentinus, & IOANNES, & CASPAR Romanus; quos coram Pontifice Maximo CLEMEN-

(1) Vide eius opus: *Trattato dell' Orifiseria* I. Cap. III. pag. 29. & 30.

MENTE VII. indicto certamine vicit omnes, & se in colorando adamante Pontificii anuli omnium eminentissimum fuisse, fatentibus ipsis aemulis, perspicue huius quoque artis peritissimus ostendit. (1) Complures in numismatis cudendis conficiendisque Artifices in hac historia, VASARIO facem praeferente, celebramus valde doctos, qui etiam in caelandis scalpendisque Gemmis magnam laudem promeruere, inter quos excelluit CARADOSSUS, CELLINII praeceptor, quare & de eo id suspicari non sine ratione aliqua, etsi incerta ac dubia, maluimus. Totus quoque est CELLINIUS in describenda exquisitissimi atque admirandi operis bulla, qua CLEMENS VII. in festis & pompis solemnioribus usus est ad coniungendum ante pectus pluviale; in ea enim adamantem eximiae venustatis, lucis ac magnitudinis conligavit; cui adamanti tanquam throno & orbi sedentem imposuit aeternum Patrem dextera benedicentem, cuius vestem ad auras expansam Angelorum capitibus ex gemmis, & aureis figuris & emblematis totum opus distinxit, subiectis & utrimque ad latera effictis ex auro Angelis thronum adtollentibus; quod opus maxime omnium eidem Summo Pontifici placuit. (2) CELLINIO non sine ratione tribuuntur multa toreumata, ad similitudinem antiquorum operum anaglyptice sculptorum, non quidem ex gemmis, sed ex auro inserto in pretiosis lapillis, inter quae illud profecto ceteris praecellit, quod spectatur in Tabula XXVI. regii Thesauri Florentini; siquidem in pulcherrimo cyaneo lapillo altitudinis fere duarum unciarum, qui vulgo *Lapislazzulo* dicitur, ex auro optimo, cum aurea

(1) Vide in eius Vita, & in Tractatu I. *dell' Orificeria*, Cap. I. pag. 13. & seq.
(2) Vide in eius Vita, & in Tractatu I. *dell' Orificeria*, pag. 47. & seq.

rea corona elegantiſſima encauſtice picta, inſerta eſt Mulier ſtans, in collo fovens nudum infantem, dextra vero manu tenens puerulum ſecum gradientem, quo typo Caritas, ſive proximorum Dilectio declaratur; quod opus egregia arte conſummatiſſimum ad antiquorum Graecorum praeſtantiam proxime adcedit, vel etiam aequat; quae omnia me impulerunt, ut ei quoque in Glyptographicis artibus hanc gloriam tribuerem. Ea etiam Cellinii aetate invaluit conſuetudo, ut Viri nobiles biretum, & torques, Matronae vero zonas, cinctoria, armillas, encolpia ornarent ſculpturis ex auro inter gemmas contextis, quae vel vultus, vel Hiſtorias referrent exquiſito opere elaboratas, in quibus conficiendis valde excelluit & laudatus eſt Cellinius.

FRANCISCUS FERRUCCIUS, cognomento il Tadda, Saec. XVI.

Quamvis Porphyrites lapis ex Oriente advectus, quemadmodum Gemmae, inter pretioſos non cenſeatur; tamen, quod ſingulare ſit exemplum, & ſumma celebretur in eo ſcalpendo praeſtantia Francisci Ferruccii Florentini, eius nomen, & opera egregia atque admiranda, quae ad hoc tempus ſuſpiciuntur, ſilentio minime praetereunda exiſtimavi. Si enim in imaginibus ad exemplum antiquorum, ut aiunt, *Cameorum*, mirifice excelluit Ferruccius, vulgo nuncupatus *il Tadda*, ex porphyrite duriſſimo & pertinaciſſimo exculpendis; quanto magis & facilius & expeditius tractare potuit lapillos, quod ſexcenti Artifices tum veteres, tum recentiores praeſtarunt? Laudatiſſimus Opifex porphyrarius diuturno labore, una cum filiis ſuis, egregia

complura opera absolvit, e porphyrite exscisa, nempe Iconem P. Hieronymi Savonarolae, Principum Mediceae Augustae Domus, Imagines Salvatoris & B. Mariae Virginis, item suam effigiem, seu protomam, quam Faesulis in S. Hieronymi Templo ad ornandum sepulcrum suum ponendam praecepit. Idem & Statuam porphyreticam & alias non paucas fecit, quae in Mediceis aedibus Florentiae spectantur. (1) Hic primus omnium ingenio suo, quo praeditus erat acerrimo ac feracissimo, vel, ut aliqui putant, a Cosmo I. excogitato, invenit artem, & secretiorem quamdam aquam, qua ita scalpra, & eorum mucrones temperabat, ut marmor eis cederet & obediret. Quamvis hic Artifex gratis & extra choream a me in hac serie numeratus videri possit; tamen mihi patriarum laudum studiosissimo temperare non potui, quin de eo mentionem facerem. Floruit multa nominis celebritate ab anno CIↃ. IↃ. LXVIII. ad annum CIↃ. IↃ. XCVII. maxime vero complura eximia opera in lucem protulit, vigente aureo Cosmi Primi Florentinorum Ducis inclyti aevo; & Francisci I. auspiciis & liberalitate eminuit; cuius laudes superius recitavimus ex synchrono auctore P. F. Augustino del Riccio. Epitaphium eius sepulcro adpositum heic non repeto, quum illud superius ediderim.

PASTORINUS.

Pastorinus Senensis his addendus est, qui novum, ut aiunt, *Cameorum* genus excogitavit, atque in eo magnopere excelluit, teste Vasario, (2) qui eum ita cele-

(1) Alia eximia opera laudat V. C. Ioseph Blanchinius Pratensis in suo Opere Venetiis edito anno MDCCXLI. cum titulo: *Ragionamenti Istorici dei Granduchi di Toscana*, pag. 28. & Baldinuccius ab eo citatus.

(2) Vide in Vol. I. Partis III. pag. 293.

celebrat: „ Paſtorino da Siena ha fatto il medeſimo
„ nelle teſte di naturale, che ſi può dire che abbia
„ ritratto un mondo di perſone, e Signori grandi, &
„ virtuoſi, & altre baſſe genti. Coſtui trovò uno ſtuc-
„ co ſodo da fare i Ritratti, che veniſſero coloriti a
„ guiſa de naturali con le tinte delle barbe, capelli,
„ e color di carni, che l'ha fatte parer vive; ma ſi
„ debbe molto più lodare negli acciaj, di che ha fat-
„ to conii di medaglie eccellenti". His addi poſſunt
Artifices, qui cera vultus egregie expreſſerunt.

IO. ANTONIUS ROSSIUS Mediolanenſis Saeculo XVI.

Vario modo cognomentum gentilitium huius eximii Artificis Gemmarii ſcribitur, nimirum *Roſcius*, *de Rubeis* (1), nobis vero placet *Roſſius*, quod Italicae adpellationi, *de Roſſi*, melius & propius aptetur. Quamvis natale ſolum ei fuerit Mediolanum, tamen Florentiae domicilium habuiſſe, miroſque in arte Gemmaria a teneris, ut aiunt, unguiculis hac in Urbe magnorum virorum florentiſſima, progreſſus feciſſe cenſendum eſt, quod & Clariſſimus MARIETTUS probabili coniectura adfirmat. Gemmis utroque opificio ſculptis inſcalptisque mirifice excelluit; ſed quod antea a nemine factum, Gemmas ſingularis adeo magnitudinis anaglyptico opere ita ſculpſit, ut curioſos harum elegantiarum cultores in admirationem rapuerit; quodque notatu dignum, in his tot imagines & figuras expreſſit, ut omnium opinionem & laudes eius virtuti atque ingenio praeſtantiſſimo debitas mirum in modum ſit ſuper-

(1) Vide Differt. Glyptogr. Cap. XXV. pag. 80. & Rodulphinum Venuti in Praef. ad Numism. praeſtant. Pontif. Romanor. pag. XXII. & XXIII.

pergressus. Multis laudibus a VASARIO (1) praestantium operum iudice peritissimo extollitur anaglyphum opus ex Gemma profecto insigni ac valde singulari, tertia cubiti parte quoquoversus protensa, cuius dimidia, quae superior est, pars Cosmum primum Mediceum Ducem, & Heleonoram Toletanam eius uxorem exhibet, manibus lancem sustinentes, cui Florentiae urbis imago insidet; reliqua vero dimidia pars inferior septem eiusdem Cosmi & Heleonorae filios ad vivum repraesentat, nempe Franciscum Etruriae Principem, una cum Cardinali Ioanne, & Garzia, Arnando & Petro; feminas vero Isabellam & Lucretiam; (2) quod opus perrarum quidem & stupendum, scitissime aptatis coloribus eximiae Gemmae, non solum Mediceis Principibus tanti Artificis fautoribus mirifice placuit, verum etiam ingentem ei nominis famam, honores & praemia contulit (3). De reliquis exiguae molis pretiosis lapillis ab eo caelatis nihil memorat, laudat tamen VASARIUS. Cl. VENUTUS non solum gemmis, sed etiam numismatibus, quae accurate describit, mira quadam, ac paene dixerim divina arte conficiendis Romae adlaborasse ostendit; additque elogium, quo eum honestavit Petrus Leo Casella (4), qui Atlantem ab eo Iaspidi miro ac raro artis magisterio inscalptum (5) ita celebrat:

Si Ro-

(1) Quem vide in Parte III, Vol. I. pag. 292. Flor. Edit.

(2) Huiusmodi opus insigne & laudatissimum servatur in Cimeliis secretioribus in regia Cimeliarchii, ut vulgo dicitur, *la Tribuna*, una cum Vasculis omnis generis tum prisci tum recentioris aevi pretiosissimis.

(3) Eius praecipua opera laudantur in Codicibus, qui ad Opifices spectant Mediceae Domus. Florentiae orsus est Gemmas inscalpere Kal. Martii anni MDLV. largo donatus stipendio.

(4) Pag. 164. edit. Lugd. 1606. in 4.

(5) Videndum num ille sit, qui a I. P. Mariette adfertur e Thesauro Christianiss. Galliarum Regis Tom. II. sui Operis Tab. LXXVIII. etsi antiquo opere Sardae inscalptum viderim in Stoschiana Dactyliotheca.

Si Roſcii inclyta manu,
Iaſpide in tantillula
Se ſculptum Atlas inſpexerit,
Non ovum in Ideae Ilio
Prolemve bimulam Hectoris
Ridebit imparem ſibi
Sed hunc gemellum & gemmeum, &
Excellere artis munere, &
Maiorem Atlantem Atlantium
Stellis opus mirantibus
Dictum probabit Hercule.

IOANNES BAPTISTA & IOANNES STEPHANUS CARRIONII, Mediolanenſes, Saec. XVI.

Miror VASARIUM ſilentio praeteriiſſe in recenſione clarorum Scalptorum Gemmariorum nomina CARRIONIORUM, qui ſub Coſmo I. & Franciſco eius Filio magnis Etruriae Ducibus floruerunt; quapropter ea & his, qui Glyptographicam Hiſtoriam ſcripſere, ignota ad hoc tempus fuere. Ex libris autographis, in quibus huiusmodi Artifices, aliique deſcribuntur, qui ſtipendiis munerati ſerviebant ditiſſimo Mediceo Cimeliarchio, IOANNES BAPTISTA CARRIONIUS occurrit, qui frater germanus fuit Ambroſii, quem in cryſtallinis Vaſculis, pateris, columnis, animalibus, iisdemque ſcalpendis & perpoliendis praeſtantiſſimum fuiſſe iam adnotavimus, adlato teſtimonio P. Fr. AUGUSTINI DEL RICCIO Dominicani. Eorum pater fuit Hieronymus Carrionius Mediolanenſis.

Huis iungendus alter germanus frater IOANNES STEPHANUS CARRIONIUS, qui in pluribus Codicibus ad ſumtus Artificum Mediceae Domus pertinentibus nuncupa-

tur *Intagliatore di gioie*. Ex eorum manibus prodiisse auguror insigne anaglyphum opus Chalcedonio albi coloris pulcherrimo exscisam protomen PII V. Pontificis Maximi, quem postea Sanctorum Fastis adscriptum colimus, qui solemni pompa Romae Cosmum I. a se declaratum Magnum Etruriae Ducem regio paludamento & Diademate suis manibus coronavit, *ob eximiam dilectionem, ac Catholicae Religionis zelum, praecipuumque Iustitiae studium*, &c. quae epigraphe in ipso regio radiato diademate multis gemmis pretiosissimis ornato, litteris vero consertis vulgo *rubini* elegantissimis, legitur. Hanc igitur Summi Ecclesiae Hierarchae Sanctissimi imaginem faberrime inscalptam his CARRIONIIS tribuendam esse fortasse non vanus augur puto. Insigne illud opus, de quo ante dicebam, spectatur in Tabula XXVI. regii Cimeliarchii; in qua etiam conspicitur imago eiusdem Cosmi atque Francisci eius Filii Magnorum Ducum Etruriae, & alia opera iisdem regnantibus exquisito artis magisterio anaglyptice pretiosis lapillis inscalpta; quae quum Artificis nomen inscriptum non praeferant, nihil certi de Opificibus statuere audemus.

DOMINICUS ROMANUS
Saec. XVI.

Inter celebres Gemmarios Lithographos numerandus est DOMINICUS ROMANUS, qui floruit imperante Cosmo I. Florentinorum & Senensium Duce, cuius triumphalem ingressum in Senarum urbem effinxit eximia arte in Achate Chalcedonio candido, cum area subobscura, opere anaglypho, quod aureo ornamento circumclusum adservatur in Florentino regio Cimeliar-

chio,

chio, quod multa cum voluptate vidi in Tab. XXX. num. 6. inter alia celeberrima Scalptorum recentiorum opera, quae in eo copia insigni & maxima adservantur, atque ostenduntur: quae omnia, si mihi Dominus meus Clementissimus, FRANCISCUS CAESAR Imperator Romanorum Invictissimus, ea qua solet liberalitate augere, ornare, atque amplificare bonas artes & litterarum studia, cuius in me non pauca sunt exempla, id demandaret onus, perlubenter sumerem, meisque vigiliis & laboribus nobili Commentario illustrarem, & pluribus aliis Voluminibus Florentinum Museum, pro quo absolvendo ingentes aerumnas passus sum, magnopere studerem nobilitare, & longe augustius, tantoque CAESARE dignius reddere. In eo igitur exhibetur Magnus Cosmus triumphali curru vectus, in quo sedet, cuius caput a Victoria post eum volitante coronatur. Currum praecedunt, & sequuntur Signiferi, Legionarii, aliique milites eum stipantur. Patet ei Senensis Urbis Porta; quae omnia quum magnam egregii operis difficultatem, peritissimumque Opificis ingenium ostendant, in sinistro eius latere nomen suum ita inscripsit, DOMINICUS ROMANUS; de quo mentionem ab aliis factam nondum inveni. Huiusmodi triumphalem ingressum Cosmi I. Magni Ducis Etruriae, qui Senenses imperio suo subiecit, in parietinis eius Palatii admirando ingenio & arte pinxit Franciscus Salviatus, atque in aereo anaglypho sub equestri eiusdem Principis Statua exhibuit Ioannes Bologna Belga, vulgo *Gian Bologna*, & Balthasar Franceschinius, cognomento *il Volterrano* a patria sua, nempe Volaterris, in Xysto regiae Villae *della Petraia*, pinxit, cuius pictas Historias in lucem primus aereis Tabulis incisas

cisas protulit Nobilissimus Andreas Marchio Gerinius, Patricius Florentinus, Urbis nostrae honori & gloriae natus. Tam insignis Victoriae, & adepti Senensium imperii & principatus monumentum nil mirum si inclytus Cosmus aeternum esse voluit, non solum illustrium Historicorum scriptis, verum etiam immortalibus hisce praestantissimorum Artificum publica luce dignissimis testimoniis, quae adhuc perennant & laudantur.

CASPAR & HIERONYMUS MISURONI
Fratres Mediolanenses,
Saec. XVI.

Plinius non paucos Graecos Artifices laudat, qui plastica & pictura, qui etiam caelandi simul & sculpendi arte, aerisque fundendi opificio valde excelluerunt. Italia quoque, ut vidimus, & clarius deinceps observabimus, non paucos habuit claros Opifices, qui & pingendi & scalpendi Gemmas peritia, simul atque in elaborandis numismatis summam laudem sunt consecuti. Inter hos laudatissimi fuere duo germani fratres, patria Mediolanenses, Caspar & Hieronymus Misuroni, qui non solum lapillos affabre scalpserunt, verum etiam in pretiosis vasculis, praesertim crystallinis cyathis, tum magnitudine, tum opificio admirandis, inter reliquos omnes emicuerunt. Placuerunt praeter modum Cosmo Mediceo Florentinorum Duci, ingeniorum omnium studiorumque excitatori, ac fautori praeclarissimo, cui inter caetera opera, quae dedicarunt, memoranda sunt Vascula quaedam, & inter haec duo illa, quae in Mediceis Cimeliis etiamnum visuntur, alterum ex Elitropio stupendae magnitudinis & caelaturae exquisitissimae; alterum vero ex lapide cyaneo, sive, ut

ve, ut aiunt, *lapislazzulo*, quae nunquam ſatis laudari poſſint; quae VASARIUS (1) miraculoſa adpellat, celebratque commendatione perampla atque ornatiſſima. Mira ac inaeſtimabilis Vaſculorum pretioſiſſimorum ſupellex adſervatur in Mediceo nunc Imperiali Theſauro, quae in ſecretioribus Cimeliis conlocata ſunt in ea Aula, quae vulgo *Tribunal* dicitur; quae utinam Auguſtiſſimi Caeſaris munificentia aliquando mihi referentur, ut in lucem edere poſſim, favente Principis clementiſſimi liberalitate, quod in votis diu eſt; neque enim ſine maximis impenſis aereis Tabulis inciſa eadem prodigioſa Vaſcula figuris, emblematis, ornamentisque operoſiſſima proferri poſſunt, quas privati homines vix ferre poſſunt. Sunt etiam in Sacrario Baſilicae Laurentianae Florentinae complura e pretioſis lapidibus gemmisve, tum ſtructura, tum figurarum varietate admiranda Vaſa eximiae elegantiae, tum antiqui operis, tum recentis, in quibus Sanctorum Lipſana recondita ſunt, quae etiam ſummis laudibus a VASARIO (2) celebrantur. Haec quoque conſilium proferre, ſi coeptis meis propitia aderit fortuna, nec obſtabunt invidi quidam homines, qui, quae cogitabam, ne perficerem, multis impedimentis nuper diſturbarunt.

---

(1) In Par. III. Vol. I. pag. 292. ita ſcribit: *Et Gaſparo & Girolamo Miſuroni Milaneſi, Intagliatori, de' quali ſi è viſto Vaſi, & Tazze di Criſtallo belliſſime, & particolarmente n' hanno condotti per il Duca Coſimo due, che ſon miracoloſi; oltre che han fatto in un pezzo d' Elitropia un Vaſo di maraviglioſa grandezza, & di mirabile intaglio; così un Vaſo grande di lapislazari, che ne merita lode infinita.*

(2) In Parte III. Vol. I. pag. 290.

CAPUT X.

Regnantibus Ferdinando I. & Cosmo II. Magnis Etruriae Ducibus, qui floruerint in Florentinis Officinis Gemmarii Scalptores declarantur.

CONCORS est sapientum hominum sententia, summam deberi laudem his, qui ingenio praeclaras artes vel inventas, vel intermortuas ad vitae lumen revocant, opemque suppeditant, ut excolantur; summamque eos quoque promereri cum elogiis benevolentiam, qui liberali cura, & adsidua solicitudine easdem artes & studia ita amplificant, ac propagant, ut novis auctae incrementis praeclariores fiant. Hae laudes profecto debentur Etruscorum Regibus FERDINANDO I. & COSMO II. qui maiorum suorum gloriosa vestigia non solum secuti sunt; sed splendore etiam suo locupletarunt, ac magis magisque coruscare fecerunt. Eas tantum laudes tangam, ac breviter perstringam, quae ad Graphices artes tantummodo pertinent, quibus iidem Principes valde periti fuere. Nullus, vel perpauci plane e Principum numero, comparandus est cum FERDINANDO I. qui miro Antiquitatis studio, & elegantiorum prisci aevi deliciarum exquisita cognitione praefulsit, atque incredibili amore flagravit. Mirum in modum auxit antiquae Eruditionis divitias, quas undique, ac praesertim Romae dum Cardinalitia purpura fulgeret, conquisivit & congessit. Simulacrum illud toto orbe celeberrimum, statuariae artis portentum, Veneris Mediceae, ipse Romae sibi comparavit, itemque Aprum Calydonium, & alias marmoreas statuas, & Cae-

& Caesarum Augustarumque e marmore protomas, quae sunt regii Cimeliarchii ingens decus & ornamentum. Florentiam lectissimis summorum Sculptorum signis, quae publicis in locis exstant, magnopere nobilitavit. Ad absolutiorem elegantiam evexit non solum Pictorum, sed etiam Glyptographicorum Artificum in suis Officinis opera, & Aram maximam regii Sacelli prope Laurentianam Basilicam opere magnificentissimo exornari praecepit, quod vulgo *il Ciborio*, quia summo atque exquisito labore perfectum est, adpellatur; quod ita accurate describit Cl. BLANCHINIUS (1), ut eius verba praeterire nefas ducam. „ Fu in quei primi tempi „ fabbricato un grande ricchissimo Ciborio, col dise„ gno di Bernardo Buontalenti, per doversi collocare „ in questa Cappella, il quale presentemente si ritro„ va nella Regia Galleria, fatto a foggia d'un Tem„ pio, d'ordine composito. Questo Ciborio è ricoper„ to tutto di Diaspri, Agate, Calcedonj, Lapislazzo„ li, & Ametisti; ornato con legature, basi, e capi„ telli d'oro, e con Rubini, Smeraldi, e Topazzi; „ ed è inoltre abbellito con figure rappresentanti Sto„ rie Sacre, e fatte di commesso Magistero, con Gem„ me e Pietre dure, per mezzo di un finissimo arti„ fizio, talmente che sembrano dipinte “. Compositores Gemmarii, qui hoc opus magnificentia & nobilitate praeclarissimum perfecerunt, supra iam a me enumerati sunt.

Parentem magnanimum, pulcherrimarum artium fautorem liberalissimum, egregie imitatus est optimus eius filius COSMUS II. qui non solum excelluit in studiis Gra-

(1) In praelaudato Opere *Ragionam.* III. pag. 65.

Graphices, verum etiam in Mathematicis diſciplinis tantam laudem conſecutus eſt, ut multa, & quidem admiranda ac difficillima diſcutienda Magno Galilaeio Mathematicorum & Aſtronomorum Principi in frequentibus cum eo aliisque ſapientiſſimis Viris conloquiis, quae frequenter habebat, propoſuerit; eiusque auſpiciis idem incomparabilis Florentinus Philoſophus nulli antea pervias Mediceas Stellas detexerit, cui eximio Maecenati adſiſuo *Nuntium Sidereum* dedicavit. Tanti Principis adſidua cura & vigilantia adeo creverunt Artes, & Artificum Florentinorum eximia opera, ita omnem Europam & Aſiam fama & celebritate implerunt, ut non paucos praeſtantes Opifices miſerit ad Ludovicum XIII. Galliarum Regem Chriſtianiſſimum, ad Philippum III. Hiſpaniarum Regem Catholicum, & ad Perſarum Regem, ut eorum iuſſu varia opera perficerent, & publicis in locis ponendas equeſtres ſtatuas immenſo opere elaborarent. Mirum igitur in modum eo imperante, & favente, floruere optima Scientiarum ſtudia, & Gemmariae artes in Florentinis regiis Officinis auctae ac perfectae ſunt, quod ex his quae nunc adferam perſpicue liquebit.

IOANNES BAPTISTA CARRIONIUS Mediolan. Saec. XVI. & XVII.

Cupiebam omnes Gemmas recentiorum Artificum, quae ſumma animi voluptate & admiratione ſpectantur in pluribus Tabulis regii Florentini Cimeliarchii plane ditiſſimi, atque opulentiſſimi, brevi deſcriptione recenſere; ſed quia labor hic fortaſſe a multis extra inſtituti mei rationem iudicari poterat, & maius otium ad id accurate praeſtandum poſtulabatur, hanc curam mihi

mihi magnopere iucundam praetermittere, invitus licet, coactus sum. In pluribus Gemmis anaglypho praesertim opere sculptis, Principum, Regumque icones spectantur, e quibus plures vel iam laudatis eximiis Lithographis tribuendae sunt, vel his, quos nunc recensebo, quorum nomina Auctoribus, qui de Glyptographicis artibus scripsere, ignota ad hoc tempus fuere; quae omnium primus erui ex saepe laudatis Codicibus & Libris, in quibus Artifices Mediceis Officinis addicti, & cum annuo, vel per singulos menses, tributo stipendio recensentur, & operum impensae computantur. Hisce Gemmariis Caelatoribus tribuendae imagines, quae in Mediceis Cimeliis observantur, Ferdinandi I. & Cosmi II. Magnorum Etruriae Ducum, itemque aliorum Regum & Principum, qui cum ipsis sanguinis cognatione coniuncti fuere.

Quia illud quod ait Horatius, *fortes creantur fortibus & bonis*, plerumque feliciter evenire solet, inter Glyptographicos Opifices egregiam laudem obtinuit, suisque laboribus sibi peperit IOAN. BAPTISTA CARRIONIUS Mediolanensis, qui & avum & patrem, patruosque habuit in scalpendis lapillis & crystallinis operibus praestantissimos. Eius nomen in memoratis Libris frequenter occurrit, praesertim in eo notato Litt. E anno CIↃ. IↃ. XCIII. & in alio Litt. G anno CIↃ. IↃ. XCVIII.

CHRISTOPHORUS & BERNARDINUS GAFFURII Fratres Florentini, Saec. XVII.

Glyptographicae Scholae Florentinae plurimum dignitatis & splendoris contulere egregii Fratres GAFFURII, CHRISTOPHORUS & BERNARDINUS, qui auspiciis eorumdem Magnorum Etruriae Ducum in Gemmis utro-

que opere ſcalpendis floruere ; quorum nomina mihi ex iisdem Libris Stipendiorum innotuere, in quibus ab anno CIↃ. IↃ. C. XIV. ad annum CIↃ. IↃ. C. XXIV. laudantur.

BARTHOLOMAEUS TORRICELLIUS Faeſulanus Saec. XVII.

Si nulla alia laude memorandus eſſet BARTHOLOMAEUS TORRICELLIUS, niſi ea, quia ipſe pater fuit Ioſephi Antonii Torricellii, avus Caietani, proavus Ioſephi Torricellii, de quibus mox diſſeram, tamen de optimis artibus Glyptographicis optime meritus eſſet. Verum & ipſe in Mediceis Officinis inter celebriores Magiſtros emicuit, clarusque fuit in tabulis compingendis ex conſertis pretioſis lapillis, atque etiam in Gemmis ſcalpendis, anaglyptico quoque opere effingendis excelluit. Spectantur in Florentino Sacello Mariae Virginis ab Angelo Annunciatae Hieroglyphica Sacra Lilii, Solis, & Lunae in magnis anaglyphis affabre ab eo ſculpta ; quae memorata legi in Libris praelaudatis litt. K anno CIↃ. IↃ. C. IV.

IACOBUS IOANNIS F. AUTELLIUS, cognomento il MONNICCA, Florentinus, Saec. XVII.

Vellem ut ſinguli Artifices ſive Pictores, ſive Statuarii, Architecti, & Gemmarum Scalptores, aliique qui in aliqua arte ex nobilioribus excellunt, Diarium ſibi pararent, in quo adnotarent ſtudia ſua, praeceptores, opera praeclariora, quae ſua aetate fecerunt. Huiusmodi Diariorum ope multa, quae nobis ignota ſunt, diſceremus, & plurimum Artium gloriae, & incremento, facili labore, ſed plane utili prodeſſe poſſent. Id

in

in caufa eft, ut nomina tantum, non vero opera clarorum Scalptorum Gemmariorum Florentinorum indicare poffim, quae non fine labore erui ex memoratis Stipendiorum Libris (1), in quibus, imperante Cosmo II. potiffimum excelluit hic Artifex, quem laudat Cl. Ioseph Blanchinius in laudato fuo Opere de Magnis Etruriae Ducibus ftudiorum & bonarum Artium Fautoribus. (2)

MICHAEL THADDAEI F. CASTRUCCIUS Florentinus, Saec. XVII.

Multa cum laude magifterii & Scalptoriae artis frequenter celebratur hic Artifex praefertim regnante Cosmo II. qui *egregio Intagliatore di gioie* (3) adpellatur.

ANTONIUS MOCHIUS Florentinus, Saec. XVII.

Egregiam laudem in fimulacris caelandis componendisque ex pluribus pretiofis lapillis, quibus colores vultus, capillorum, brachiorum, pedum, & veftium ad vivum referrentur, promeruit Antonius Mochius, qui pro Ara maxima ornanda regii Sacelli Mediceorum Principum prope Bafilicam Laurentianam, quoad vixit, ftrenuo labore & diligentia infudavit; cuius emblemata non pauca compofitis lapillis pinxit, & fimulacra duo Evangeliftarum in parvis aediculis conlocanda egregie elaboravit, quae adhuc in Mufeo earumdem Florentinarum Officinarum oftenduntur.

IU-

(1) Signat. Litt. N. five H. anno MDCXVI.
(2) *Ragionam.* IV. pag. 89.
(3) In Libris, vulgo *de' Salariati* o *Stipendiati*, praefertim anno MDCXXII.

IULIANUS PERICCIOLIUS Senensis, Saec. XVII.

Senae, Inclyta Urbs Etruriae, frequenter protulit, tum litteris, tum armis, & pulcherrimis artibus praestantes Viros, e quorum numero egregios Artifices laudat VASARIUS Pastorinum, & Ioannem Baptistam Sozinium (1). His addendus IULIANUS PERICCIOLIUS, qui in Gemmis scalpendis enituit, memoraturque in laudatis Codicibus anno praesertim CIↃ. IↃ. C. XLVII. cui, ne quid detrimenti caperet eius familia, permissum est ut Senis, acceptis stipendiis, pretiosos lapillos utroque opificio elaboraret, qui pro Medicea Augusta Domo ei demandabantur.

CAPUT XI.

Scalptores Glyptographici, qui in Florentinis Officinis regnantibus Ferdinando II. Cosmo III. & Ioanne Gastone Magnis Ducibus Etruriae claruere, recensentur.

FLorentinae Officinae & Scholae Glyptographicae ea laus peculiaris, & praecipua est, quod exceptis Mediolanensibus Magistris, qui Florentiam adciti sunt a Francisco I. ut opera crystallina conficerent, reliqui omnes Florentini fuerint, & ab Ioanne Florentino eius celebritas & magisterii laus exordium duxerit. Mediolanenses adciti, quum Florentiae domicilium sibi condidissent, eos filios, quos in hac Florentina Urbe genue-

(1) Vide in Vita Valerii Bellii Vicentini circa finem pag. 293. in Vol. I. Part. II.

nuerunt, Glyptographicis artibus operam dare voluerunt ſub optimis Opificibus ac Praeceptoribus Florentinis; quod etiam dicendum de Compoſitoribus pretioſorum lapillorum, qui ſuperius laudati ſunt. Praeclarum hoc fuit Mediceorum Principum conſilium omni ope & liberalitate ſuis civibus ſibi ſubiectis prodeſſe, magnisque favoribus & benevolentia proſequi ſuos & exteros quoque, qui in Officinis ſuis clareſcere vellent. Medicea Domus non ſolum litteratis Viris, verum etiam egregiis Artificibus cuiuscumque generis patuit ſemper; illudque adſidua providentia & liberalitate curatum eſt, ut artes omnes, quae vel antea intermortuae erant, vel ignotae, a Florentinis ingeniis publico bono excolerentur, & perfectae toto orbe celebrarentur; Artificesque ita excellerent in opificiis, ut a magnis Regibus ac Principibus ad ſe adciti, gloriam tum patriae, tum ſibi parerent ſempiternam. Id facile evenit, quum Gemmariorum, & Compaginatorum Artificum exquiſitiora opera dono a Principibus Mediceis ad alios Principes cognatos & adfines ſuos mitterent; qua regia munificentia ceteros antecelluerunt FERDINANDUS II. & COSMUS III. eius filius. FERDINANDUS primi aevi reliquias mirifice auxit, iisdemque regium Muſeum ſuum locupletavit. Artificum omnium Medicearum Officinarum auxit numerum, magnisque ſtipendiis & largitionibus exornavit. Miro quoque pulcherrimorum operum & veterum elegantiarum amore flagravit praeſtantiſſima eius uxor VICTORIA ROBOREA, ultimi Urbini Ducis Neptis, quae compluribus Antiquitatis eximiis monimentis non ſolum nobilitavit Mediceum Cimeliarchium, verum & ſibi domeſticum compluribus antiquis operibus, ſignis ex aere lectiſſimis inſtruxit, quod ad-

huc exſtat, & iucundiſſime ſpectatur in conclavibus Villae, quae *Imperialis* dicitur, ad primum fere ab Urbe miliarium. Paternorum exemplorum ſplendorem auxerunt atque amplificarunt COSMUS III. & Sereniſſimus LEOPOLDUS, Princeps, & S. R. E. Cardinalis praeſtantiſſimus; eius quoque optimi filii omni praeconio maiores, quorum laudes cum in *Florentino Muſeo* celebraverim, heic ſilentio invitus praetereo, ne lectorum abutar patientia. COSMI III. filius IOANNES GASTO Mediceos Opifices liberalitate & clementia ſua magnopere fovit recreavitque; & rarioribus Gemmis antiquis, hisque praeſertim, quae Artificis nomen adſcriptum habent, comparata inſigni Dactyliotheca Andreinia, regium Cimeliarchium ad ſummum opulentiae, dignitatis, ac ſplendoris culmen evexit; opesque eruditae Vetuſtatis omnes in eo conditas, ut in *Muſeo Florentino* in lucem a me proferrentur, curantibus nobilibus Sociis Florentinis, benigniſſimo favore aperuit, ac patefecit.

Sed ut ad inſtitutum meum revertar, heic Lectorem monitum volo, me in hoc Opere eos tantum Opifices ſive Gemmarios, ſive lapillorum Compaginatores, quos & Muſivarios adpellavi, recenſuiſſe, qui Magiſterii honore donati ſunt; his praetermiſſis longe pluribus, qui eorum Diſcipuli fuerunt, nec ad tantum in arte decus pervenerunt. Hi enim in laudatis Codicibus, in quibus tum eorum opera, tum ſtipendia adnotata ſunt, Magiſtri, reliqui vero diſcentes, & alumni iisdem ſubiecti, nuncupantur.

GERARDUS VALDER, Saec. XVII.

Laudatur GERARDUS VALDER in Libris impenſarum Litt. M. qui exſtant in Archivo Medicearum Officinarum,

rum, florebatque anno CIϽ. IϽ. C. LXX. ſed eius patria non indicatur. Forſitan oriundus ex Belgio fuit, & in Florentinis Scholis Glyptographicis tum in aere, tum in Gemmis ſcalpendis peritia ac diligentia excelluit; nam adpellatur *Gerardo Valder Intagliatore*. Exſtat apud me orbiculare vitrum, vulgo *Paſta*, ſmaragdinei coloris, altitudine aequans uncias tres Romani pedis, latitudine duas, quod ectypum Gemmae anaglyptici operis videtur, in quo egregio valde opificio inſculpta eſt protome Michaelis Angeli Bonarrotii viri praeclariſſimi, qui cognomento *Divinus* adpellatus eſt. Sub ea protome legitur eximii Caelatoris nomen, nimirum GERARD. (1) quam puto ab eo ſcalptam fuiſſe ex imperio Ferdinandi II. Magni Ducis Etruriae, initio ſui regiminis, ut eius ectypa dono daret Accademicis Florentinis *del Diſegno*, ut ipſi eximium Picturae, Sculpturae & Architecturae Parentem & Magiſtrum, eiusdemque Accademiae Principem, ſibi imitandum proponerent.

ANDREAS VINCENTII F. BORGOGNONIUS, Florentinus, Saec. XVII. & XVIII.

In regiis Florentinis Glyptographicis Officinis, imperantibus Ferdinando II. & Cosmo III. Magnis Etruriae Ducibus, celebre fuit nomen, ingenium, artes, peritia ANDREAE BORGOGNONII, VINCENTII F. Florentini, qui cognomento ab omnibus *il Borgognone* nuncupabatur. Huius egregii Artificis cognomen tantum innotuit Clariſsimo Viro Petro Andreae Andreinio, Fautori

(1) Hanc Gemmam protuli in principio meae Praefationis ad Vitam eiusdem M. A. Bonarrotii ab Aſcanio Condivio eius diſcipulo ſcriptam; quam multis Adnotationibus & Tabulis aere inciſis ornavi Florentiae editam anno 1746. in fol.

tori studiorum meorum ornatissimo, qui mihi saepe in familiaribus sermonibus eum laudabat; nam aetate sua (diu enim ipsi vitam egerunt) eius officinam frequentabat, atque eximiam eius in Gemmis scalpendis, aliisque operibus perficiendis peritiam admirabatur. Apud eum reperit insignis Gemmae singulare ectypum, quod cum aliis praestantissimis servavit in suis Cimeliis; verum post eius obitum singula in mea migrarunt; quod ectypum ostendit Musae Lyristriae integram imaginem, cui adscriptum percelebre Cronii nomen, hac epigraphe: ΚΡΟΝΙΟϹ. ΕΠ. hoc est, Κρόνιος ἐποίει, *Cronius faciebat*: quod opus perrarum ac perinsigne primus in lucem protuli in Vol. I. *Inscriptionum Antiquarum*, quae in Etruriae Urbibus exstant, Tabula I. num. I. Huius operis mentionem feci, ipsumque BORGOGNONIUM laudavi in Columbario Libertorum & Servorum Liviae Augustae & Caesarum a me illustrato pag. 155. ex iis quae ab ipso ANDREINIO didiceram. Meis verbis ac testimonio eum laudavit praeclarus FRANCISCUS Eques Commendatarius VICTORIUS, Auctor Dissertationis Glyptographicae (1), atque ex me quoque laudavit PETRUS MARIETTUS. Sed ad hoc tempus eius nomen, pater, & patria latuere. Pervolventi mihi, ut luculentiorem hanc meam Historiam Glyptographicam ederem, Codices omnes expensarum, qui in Archivo Officinarum Regii Cimeliarchii Florentini adservantur (2), eum non semel recensitum inveni, atque non uno in loco opera ab eo facta mihi descripsi, quae nunc innotescunt. In his Codicibus ornatur *Magistri* munere, ac nomine, hoc modo, *Maestro Andrea di Vincenzio Bor-*

gogno-

(1) Cap. XXV. pag. 89.
(2) Vide praesertim Codicem notatum Litt. A. anno MDCXXXVII.

gognoni Fiorentino, adeoque & alumnos habuisse perspicuum est.

Multa fecit egregia opera, quae adhuc exstant in Regiis Cimeliis, & valde laudantur. Primum Gemmas aliquot ab eo inscalptas, quae in iisdem Libris recensentur, enumerabo. Iussu Serenissimae Magnae Ducissae Victoriae Roboreae duo hominis calvaria, ad mortis memoriam, fecit in Gemmis, vulgo *Rubini*. Ad ornandum Horologium, Solem radios emittentem, egregiis anaglyphis operibus e crystallo montana exscalpsit, & columnas ex alabastro pulcherrimo Orientali adiecit. Simulacra duo Evangelistarum ad ornandam sacram aediculam, quae vulgo dicitur *il Ciborio*, Arae maximae pro Mediceorum Principum Sacello in Basilica Laurentiana, miro opificio ex integris selectis lapidibus absolvit. Deiparam Virginem ab Angelo salutatam, in parva tabula compluribus pretiosis lapillis exstanti opere expressit, adiectis architectonicis ornamentis. Ad ornandum regium Scrinium e Chalcedonio exscidit caput elegantissimum, quod in protoma e Cyaneo lapide, vulgo *di lapislazzulo*, inseruit; opus antiquis proximum ac valde laudatum. (1) Excelluit etiam in Vasculis ex Iaspide atque e crystallo aedificandis, quae mira arte insculpebat, ornabat, perpoliebatque. Lapillos quoque multicolores egregie compaginavit conligavitque, ut ruris amoenitatem, Villarum, arborum, silvarum, fontium, montium, & domorum prospectus pictis tabulis, quas permultas fecit, elegantissime referrent; quae opera in laudatis Libris acceptarum & expensarum pecuniarum enumerantur. Excelluit etiam in formis cudendis, quae imagines inlustrium Virorum referrent,

(1) Vide ibidem Librum notatum litt. K. anno MDCLXIV.

& pro monetis in pecuniae uſum vulgandis; nam ipſe, ut in Libro ſignato litt. G. anno CIϽ. IϽ. C. LV. legitur, e chalybe formam fecit cum protoma Ferdinandi II. Magni Ducis Etruriae in antica; in poſtica vero exhibuit roſarum faſciculum, emblema eiusdem optimi Principis, cum epigraphe: Gratia Obvia. Vltio qvaesita. Eidem Artifici in tot opificiis ſtrenuiſſimo tribuitur Iaſpis utraque facie eleganter inſcalptus, aureo in anulo ita incluſus, ut utrinque verſari poſſet; quo ad obſignandum uſus eſt Coſmus III. Magnus Dux Etruriae, cuius altera facies pro ſphragismate continet ſtemma, ſive inſigne Mediceae Domus, altera vero emblema eiusdem Principis; nimirum conſpicitur navis in mari, ſuperne fulgentibus quinque ſtellis, ea ſpecie, qua eas invenit Maximus Galilaeius, cum epigraphe: Certa fvlgent Sidera; quae omnia eius egregia ſtudia & ingenii aciem, & laborum praeſtantiam clare oſtendunt.

IOSEPH ANTONIUS TORRICELLIUS
Florentinus, Saec. XVIII.

Regnante Cosmo III. Magno Duce Etruriae omnibus Muſei Medicei Officinis & Opificibus praefuit Ioseph Antonius Torricellius Bartholomaei filius, cuius parentes Faeſulis eum genuere. Primus ſub tanto Principe fuit lapillorum ſelectorum Sculptor, Compaginator, Caelator, & Scalptor valde peritus atque eximius. Hic ſcripſit Tractatum vernaculo ſermone de pretioſis lapillis, deque lapidibus omnigenis, quibus Artifices Compaginatores utuntur tum in Officinis regii Muſei, tum etiam in his pertinentibus ad ornandum Mauſoleum Principum Mediceae Domus Auguſtae,

in quo

in quo ſepulcra eorum poſita ſunt, quae vulgo dicitur *Cappella di S. Lorenzo*, quia cum Ambroſiana S. Laurentio Martyri dicata Baſilica coniuncta eſt. Huiusmodi Tractatum idem TORRICELLIUS ſcripſit anno MDCCXIV. ſatis accurate locis omnibus patefactis, e quibus Etruſci & peregrini pretioſiores lapides eruuntur; & hoc amplius de eorum natura, & de arte eos ſecandi, ſculpendi, poliendique diſſeruit, adiectis in fine Tabulis VIIII. quae diligenter delineata exhibent inſtrumenta, rotas, machinas, quibus in his opificiis Florentini Scalptores utuntur. (1) Hunc ipſum Tractatum non ſemel laudat, atque ex eo multa adfert Vir Clariſſimus IOHANNES TARGIONIUS TOZZETTIUS, arcanarum Naturae rerum Scrutator & Interpres doctiſſimus in ſuis in lucem editis per Etruriam itineribus, qui haſce Torricellianas lucubrationes perhumaniter mihi legendas exhibuit.

In eius fine multa de ſe TORRICELLIUS ſcribit, quae non ſolum nolo praetermittere, verum etiam ipſis eius verbis exponere, ut hinc etiam eluceat, quanta eius peritia & praeſtantia fuerit in pretioſis lapillis Gemmisque incidendis, & in aliis operibus conficiendis, quae Cosmus III. ad varios Principes Europae, & Hoſpitibus genere & virtute praeſtantiſſimis Florentiae eum inviſentibus dono mittere, & honoris & memoriae cauſa largiri ſolebat. Ita igitur de ſe ſcribit: „Ho „ ſervito la Caſa Reale quaranta anni non ſolo in varj „ luoghi a far delle provviſte per la Reale Galleria; ma

(1) Titulus hic eſt: *Trattato delle Gioie, e Pietre dure e tenere, che ſi adoprano nella Real Galleria, e nella Cappella di S. Lorenzo; contenente la notizia de' Luoghi d'onde ſi cavano, la loro natura, e il modo di lavorarle: coll' Aggiunta in fine dei Diſegni degli Strumenti a tale Arte neceſſarj: Opera di Giuſeppe Antonio di Bartolommeo Torricelli da Fieſole, primo Scultore di pietre dure della ſuddetta Galleria.*

„ ma ho lavorato d' intaglio, e ſcultura non ſolo figu-
„ re, e baſſi rilievi, e Ritratti di più ſorte; ma an-
„ che un Naturale, che la maſchera era una palla di
„ quelle, che ho detto delle noſtre Maremme di Vol-
„ terra, che peſava 84. libbre, e la riduſſi colle ruo-
„ te a ſei libbre; portando gli occhi per di dentro,
„ e maneggiato tutto il buſto ſotto delle ruote; e cre-
„ do, che ſia il primo Ritratto grande quanto il na-
„ turale, che ſia ſtato fatto di duro; che lo feci per
„ impegno, conoſcendo non eſſer fatica per un uomo.
„ Ho fatto anche de' Vaſi, Bicchieri, Tazze, e Ta-
„ bacchiere ſerrate a vite; che ne ſono ſtato io l' in-
„ ventore di queſte ſerrature a vite in pietra dura,
„ che non ſi coſtumava; nè mi ſi è reſo difficile di
„ fare tutto quello che ho intrapreſo; e con ferri e
„ con mazzuoli ho lavorato di quadro, d' intaglio, e
„ di Scultura tutte le pietre che ho nominato (*in que-*
„ *ſto Trattato*), e quelle che non ho potuto lavorare
„ con ferri, l' ho fatto colle ruote, fino le gioie, e
„ per venticinque anni di travaglio colle ruote, e d' in-
„ cavo, e di baſſo rilievo, e di rilievo quanti duri
„ ho detto ſon paſſati per le mie mani; e non ſolo
„ ho vedute le Miniere, ma fatt' anatomia, come diſſi
„ in principio, dell' oſſa di queſto mondo. E quì fi-
„ niſco. "

Chalcedonio exſcalpſit Cupidinem, quem omnes vere carneum cenſebant, quum lapidem illum a natura ita factum inveniſſet, qui carnem referret. Perfecit etiam in Achate Orientali imaginem ſimillimam Magni Etruriae Principis Ferdinandi, Cosmi III. Filii, quae valde probata fuit.

In Ginoriano Muſeo plurima exſtant eius opera, nem-

pe

pe capita Caesarum, Heroum, atque Inlustrium Virorum anaglyptico opere sculpta. Agens aetatis suae annum LVII. Florentiae obiit VI. Nonas Martias Florentinae Aerae tunc in usu MDCCXIX. De eius Filio & Nepote Scalptoribus, & Lapidicinis mox dicam.

CAIETANUS TORRICELLIUS Florentinus, Saec. XVIII.

Egregio patre Iosepho Antonio, de quo dictum est, ortus est egregius filius CAIETANUS TORRICELLIUS, qui ab eo Glyptographicas Artes didicit. In Graphice prima rudimenta a Thoma Redio Pictore Florentino; Sculpturae praecepta a Ioanne Baptista Fogginio Statuario & Architecto celeberrimo accepit. A Patre Romam missus sub praeceptoribus Benedicto Luti Pictore eximio, & Le-Gros Sculptore valde instructus postmodum Florentiam commigravit anno CIↃ. IↃ. CC. XIII. Vita functo eius patre initio anni CIↃ. IↃ. CC. XX. inter Magistros Medicearum Officinarum cooptatus est. Ex antiquis lectissimis praestantium Scalptorum operibus multas Gemmas anaglyphico, & diaglyphico opere exquisito studio & diligentia elaboravit; inter quae spectabiliora recensetur Tiberius cum Livia, Antoninus Pius, Lacoontis nex cum filiis, Pyrrhus Epirotarum Rex, Cleopatra, Minerva in Achate flavi coloris, quod opus V. C. Nicolao Equiti Gabburrio dedit. Spectantur inter Cimelia Ginoriana multa eius opera, exstantibus imaginibus exscisa.

Paene innumera sunt ea opera, quae perfecit, tum vivente patre, tum eo vita functo, Crucifixi Iesu imagines ex Chalcedonio, ipsumque mortuum iacentem, simulacra Sanctorum Petri Apostoli, Ignatii, Petri Cae-

leſtini , Caietani , atque alia non pauca , quae in regio domeſtico Sacello in Palatio, vulgo *de' Pitti*, conſpiciuntur. Pro regio Sacello ad S. Laurentium ſimulacra SS. Apoſtolorum Iacobi, & Pauli elegantiſſima effinxit , & anaglypha duo , in quorum altero eminet Abrahami ſacrificium. Coſmum III. cum tropaeis ante templum Pacis , adſtante Etruria cum leone , anaglyptico opere effinxit elegantiſſimo. Arculas plures perfecit ornavitque cryſtallis , & pretioſis lapillis eleganter a ſe compoſitis, qui picta veluti emblemata praeferebant . Vir ingenio , ſedulitate , & peritia clarus , qui obiit menſe Octobri elapſi anni CIↃ. IↃ. CC. LII. & Ioſephum filium , quem ipſe erudivit , virtutis & gloriae haeredem reliquit, de quo mox dicam.

FRANCISCUS GHINGHIUS Florentinus
ANDREAE PHILIPPI F. Saec. XVIII.

Senas patriam & natale ſolum agnoſcunt Ginghii , qui poſtea corrupta adpellatione GHINGHII dicti ſunt. Primus qui Florentiae domicilium poſuit, fuit Ioſeph Sebaſtiani filius Ghinghius cum uxore ſua Hyacintha Vincentii Quatrinii filia; cuius filius Vincentius in Officinis Mediceis compaginandis conſerendisque pretioſis lapillis operam dedit, ſed paullo poſt Mediolanum petiit, ubi mortuus eſt. Alter eorum filius fuit Andreas Philippus Ghinghius, Florentiae natus anno CIↃ.IↃ.C.LXII. pater FRANCISCI, de quo ſcribimus. Andreas in locum Vincentii fratris ſui in iisdem Officinis ſuffectus eſt , probe in Lythographicis artibus inſtitutus a Stephano Mochio Florentino, egregio praeceptore, ea aetate valde celebri ac famigerato . Eo e vivis erepto , in eius locum Andreas ſucceſſit , & Magiſterii munus

egre-

egregia cum laude ſuſcepit. Hic ſigna, anaglypha, & varia ex fructibus, & floribus ornamenta elegantiſſima perfecit. Optices & Mechanices ſtudioſiſſimus fuit, multaque nova inſtrumenta a ſe excogitata confecit. Connubio honeſtiſſimo ſibi copulavit Hortenſiam Silveſtri F. *del Ghianda*, qui filium unicum genuerunt FRANCISCUM GHINGHIUM natum anno CIↃ. IↃ. C. LXXXIX. qui ſacro Fonte ablutus, dictus eſt *Franciſcus Maria Caietanus*. Puer litteris operam dedit optime in Florentino Societatis Ieſu Collegio inſtitutus. Ingreſſus XV. aetatis annum, a patre tirocinium in Florentinis Mediceis Officinis adgredi coactus eſt, didicitque Graphices inſtitutiones in Schola Franciſci Ciaminghii Florentini, Praeceptoris in iisdem regiis Officinis; Plaſticen vero didicit ab Ioanne Baptiſta Fogginio celebri Sculptore & Architecto Florentino, a quo mirifice amabatur. Cerea Schemata & alia a ſe manufacta dabat Andreae Philippo patri ſuo; quae adeo laudata ſunt, ut, auſpice Fogginio, a Ferdinando Magno Etruriae Principe Coſmi III. Filio ſtipendium obtinuerit, ea conditione, ut Gemmis utroque opificio ſculpendis exſcalpendisque operam daret, ad quam artem crebris etiam largitionibus ab eodem Principe omnium Artium fautore liberaliſſimo excitatus eſt. Primum arduus ac valde aerumnoſus hic labor ei fuit, quod veteres Gemmarii Scalptores Medicei omnes mortui eſſent; tamen a patre ſuo aliquo modo inſtructus, qui iam viderat Stephanum Mochium parva capita in anaglyphis elaborantem, multumque ingenio ſuo alacri, & gloriae cupiditate excitatus, adeo inſudavit, ut Gemmas cum Iconibus praeſtantium Virorum anaglyptico opere inſculpſerit; primumque eius opus fuit F. Hieronymi Savonarolae imago,

go, quam ex alio exemplari recentis operis excepit. Hinc ſtudio & labore difficultates omnes evicit, & mox Hadriani & Traiani Capita ex antiquis exemplaribus anaglyptice effinxit. Effigiem Cosmi III. Magni Ducis Etruriae Chalcedonio Volaterrano pulcherrimo bicolori exſcalpſit, quae, auſpice Marchione Attilio Incontrio, qui eam eidem Principi obtulit, adeo placuit, ut & praemia, & ſpem maiora obtinendi perceperit. Mortuo Marchione Incontrio, & mox Ferdinando Magno Principe Etruriae, concidit animo GHINGHIUS, quum longe maiores difficultates ſuperandas eſſe intelligeret ſi daret operam Gemmis diaglyphico opere incidendis; quare anceps Romam petere meditabatur. Sed a Fogginio optimis conſiliis recreatus, ne parentes relinqueret, Florentiae in eius Schola manſit, multumque in Glyptographica profecit, brevique tempore adeo in Armis, Inſignibus, Stemmatis, & Iconibus ad viventium ſimilitudinem egregie inſcalptis excelluit, ut fama eius omnium aures pervaſerit, ut fere omnes tum Exteri, tum Florentini nobiliores Cives certatim eius opera expetiverint, & habere voluerint. Annulos huiusmodi obſignatorios inſcalpſit Emin. Card. Zondodario, Senarum Archiepiſcopo, multisque aliis Inluſtribus Viris, ac praecipue D. Odoardo Marchioni De-Silva, cui plurima Inſignia, & anularem Gemmam cum Hiſtoria Sacra accuratiſſime expreſſit. Sardae inſcalpſit egregia arte Imaginem Clar. V. Philippi L. B. de Stoſch, in qua primum nomen ſuum ita adpoſuit: ΓΙΝΓΙΟC ΕΠΟΙΕΙ. quod poſtea & in aliis praeſtantioribus a ſe ſcalptis lapillis fecit. In contemplandis antiquorum Graecorum Gemmariorum operibus ab eodem Stoſchio adiutus excitatusque mirifice profecit, a quo ectypa ra-

pa rariora ſuppeditabantur. Adceſſit eius Fautor praeſtantiſſimus Petrus Andreas Andreinius, Nobilis Florentinus, Antiquariae Artis praeclarum decus & ornamentum, a cuius latere, conſiliis & inſtitutionibus numquam diſcedebat Ghinghius, a quo etiam magnopere diligebatur, & in exquiſitioribus Glyptographicae artis arcanis opificiis, patefactis antiquis exemplis, & obſervationibus, adſidue erudiebatur. Frequentes occaſiones ei dabat Andreinius, ut gemmas omnium elegantiſſimas pro exteris nobiliſſimis viris inſcalperet. Multum etiam profecit Ghinghius benevolentia, ope, conſiliis Sebaſtiani Blanchii, regii Medicei Cimeliarchii Cuſtodis, qui ei omnem Gemmariam Gazam patefecit, eumque cognitum fecit paene omnibus exteris Viris Britannis, Gallis, Alemannis, qui frequenter Mediceam antiquariam ſupellectilem perluſtrabant. Inſigne opus obtulit Blanchius Ghinghio, ut egregiam ſuam peritiam oſtenderet Eminentiſs. Cardinali Gualtherio priſcarum elegantiarum aeſtimatori praeſtantiſſimo. Quum enim Romae effoſſus eſſet Amethyſtus ingentis magnitudinis, nempe ponderis librarum decem & octo, ſtatim ac emit, Florentiam miſit, orans Cosmum III. ut in ſuis Officinis informem Veneris protomam, quam exhibebat, abſolutiſſimo opificio aliquis Scalptor redderet conſummatiſſimam. Cosmo III. Ghinghius a Blanchio propoſitus eſt, qui paulo ante eiusdem Principis imaginem Chalcedonio Orientali faberrime inſcalptam obtulerat. Artificem probavit Cosmus, & Ghinghius difficillimum opus adgreſſus, ſpatio decem & octo menſium Veneris protomam ita perfecit, ut omnium admirationem, multorum quoque Artificum invidiam ſuperaverit. Eminentiſſimo Cardinali Gualtherio mirum in modum placuit

tam insigne ac perfectum opus, superatis feliciter omnibus lapidis huiusmodi difficultatibus, qui Cosmo III. gratias egit uberrimas, & GHINGHIO quadraginta duplos aureos numos pro praemio adsignavit ac dedit. Vita functo Eminentissimo Gualtherio, devenditum est eius opulentissimum Museum; hanc vero protomam Veneris ex Amethysto sibi comparavit Augustus III. Poloniarum & Saxoniae Rex invictissimus, qui in suo Cimeliarchio omnibus spectandam proposuit & conlocavit. Fama nominis ubique notus GHINGHIUS, Gemmas complures utroque opificio inscalpsit praecipue pro regiis Principibus; nam duas imagines effinxit Ferdinandi Magni Etruriae Principis; Smaragdo inscalpsit caput Cosmi III. pretiosis aliis lapillis effinxit vultus Electoris Palatini ad Rhenum, iussu Annae Aloysiae Electricis, & Ioannis Gastonis tunc Magni Etruriae Principis. Eadem Anna Aloysia iubente complures Gemmas sacris emblematis ornatas ei expressit; & Sardae Iacobum Regem Stuardum faberrime effinxit. In vultibus ad prototyporum maximam similitudinem exprimendis omnium maxime excelluit GHINGHIUS, & antiquas imagines tanto studio tantaque solertia elaboravit, ut plerumque pro iisdem antiquis haberentur. Etruriam ingresso Carolo Borbonio Hispaniarum Regio Infante, qui Florentiae diuturnam moram egit, GHINGHIUS ei notus fuit, quem in Officinis regii Musei variis insignioribus gemmarum sculpturis cum aliis Artificibus operam dantem videre voluit, & singula eorum opificia observavit. Pro Duce & supremo Hispaniensium Exercituum Duce Montemario complura sphragismata cum insigniis, & pro Aulicis nobilioribus Proceribus fecit. Ioanne Gastone Magno Duce Etruriae defuncto, quum multa praesidia sibi de-

bi defutura ominaretur Ghinghius, infciis parentibus, Romam profectus eft; mox Neapolim evocatus, Aulicorum favore & praefidio, regiorum Opificiorum cura ab eodem utriusque Siciliae Rege ei demandata eft, adfignato honorifico ftipendio. Multi Artifices Florentini, quum Ghinghium ad hoc fortunae faftigium evectum audiffent, Neapolim ftatim convolarunt; quibus Rex Palatium loco, qui dicitur *alle Mortelle*, octo menfium fpatio aedificari iuffit cum Officinis, quas fingulis artibus, & Artificibus adfignavit, iisdemque egregiis Profefforibus Ghinghium Moderatorem praefecit. Celebratis regali pompa nuptiis fuis Rex Ghinghio praecepit, ut Infignia regia tum fua, tum auguftae Coniugis Chalcedonio Orientali operofiffime infcalperet, quod obfignatorium Sphragisma valde placuit ac probatum eft. Mox Rex iuffit, ut abaci & monopodia regia compaginatis lapillis pulcherrime picta, ac ftrata omnium ornatiffima elaborarentur, quod factum eft, & adhuc fit iuxta delineationem & inventionem eiusdem laudatiffimi Inftitutoris Ghinghii, qui & has artes a patre fuo peritiffimo didicerat. Imperatum eft eidem Ghinghio ne Gemmas infcalperet nifi pro Rege & Regina; quae ftatim fibi e lectiffimis pulcherrimis lapillis iuffit ut fieret facrum anaglyphum, quod referret Virginem Mariam ab Angelo falutatam. Mox infignis magnitudinis Opus (vulgo *Cammeo*) ab eo exquifitiffima arte factum eft cum Imagine Regis; & Regia Stemmata Hifpaniarum fimul coniuncta cum Regis infignibus, adiecta per ambitum epigraphe. Nunc Artifices in quarto abaco ornando compingendoque graviter adlaborant. Vivit adhuc Ghingius annum agens aetatis fuae LXIV. qui docto ingenio fuo Artificnm

opera

opera adſidua cura, labore, & gloriae ſtudio dirigit ac moderatur. Sub tanto praeceptore nunc Neapoli ſtudet, & caelandis Gemmis dat operam Ioannes Mugnaius Florentinus, filius Caroli Mugnaii egregii Opificis in regiis Textrinis, vulgo *Arazzeria*, qui multa & ipſe promittit, quum docilis ſit & alacris ingenii.

CAPUT XII.

Glyptographicae Scholae Florentinae regnante Franciſco M.D.E. Imperatore Caeſare ſemper Auguſto, qui nunc florent Scalptores Gemmarii, eorumque egregia opera recenſentur.

FLorentinae Glyptographicae Scholae ea omnium laudum maxima mihi videtur, quod faventibus Principibus Mediceis, nunc etiam auſpice & volente Magno Duce Etruriae FRANCISCO Lotharingo, Romani Orbis Imperatore, Caeſare, Pio, Felice, Auguſto, trium fere ſaeculorum ſpatio adhuc vigeat ac mirifice floreat, eosque egregios Scalptores etiam nunc habeat, qui cum veteribus de praeſtantia & gloria certare poſſint. Horum nomina & opera declaranda ſunt, ne quid ad hanc meam Glyptographicam Hiſtoriam deſit. Poſt regni conſilia, haec prima Providentiſſimi noſtri Principis cura fuit, ut optimae diſciplinae, & artes antiquum ſplendorem non ſolum retinerent ac ſervarent, verum etiam augerent, mirumque in modum omni conatu, ſuis praeſidiis amplificarentur. Statim ac Florentinam hanc Urbem fideliſſimam eidemque obedientiſſimam, ſuſcepto Etruſci Regni Imperio, ingreſſus eſt, Genius eius ſemper auguſtus regium Cimeliarchium

prae-

praesentiae suae luce ac maiestate non solum implevit, sed Conclavia omnia avidissime non semel lustravit, omnes Artificum Officinas invisit & observavit, eorum opera vidit, probavit, & ad maiora praestanda vehementer excitavit, ac validissimo patrocinio suo eorum progressus se amplificaturum omnibus praesidiis liberaliter ac feliciter promisit. Quum antiquorum operum, & praestantium opificiorum cognoscendorum eximia scientia polleat, eorumque studio atque observatione mirifice delectetur, non solum varia opera ex variis pretiosis lapillis musivo opere elaborata ad se mittenda iussit, atque identidem iubet; verum etiam ut absens delicias suas frequentius ante oculos suos habeat, universum Regium Florentinum Museum in pluribus Tabulis delineari accuratissime iussit; quod sollicite faciundum curavit magnarum rerum capaci mente Inclytus Comes de Richecourt, qui lectissimis Pictoribus id munus demandavit. Illud etiam in mea laude pono, quod sex Voluminibus iam editis rariora omnia regii Thesauri monumenta antiqua, Gemmas, Statuas, numismata praestantiora in lucem produxerim, eique labores meos beneficiis eius excitatus & recreatus, consecraverim. Alia permulta antiqua opera ex eodem ditissimo Cimeliarchio proferenda supersunt, nimirum marmoreae Caesarum, Augustarumque Protomae, & Philosophorum Hermaea Signa, Deorum ex aere Simulacra, & rariora alia, quibus idem refertum est, paucis nota, monumenta, quibus inlustrandis iam diu omnem operam dedi, & Adversaria diuturno labore paravi. Illud unum regii Thesauri insigne, decus, & ornamentum vehementer percupio, ut Etrusca omnia monumenta, ahenea Signa, Vasa picta, Urnae tum mar-

moreae, tum fictiles, atque etiam Sacrificalia ac Militaria rariſſima inſtrumenta, eximia belli pacisque decora, in unum collecta, accurato ordine in perampla Aula ad id facta, quae ornari tantum deſiderat, diſponantur; quod opus & conſilium erit Etruſcorum Rege omnium maximo, eius animo, cura, & ſtudio digniſſimum, totoque terrarum orbe laudatiſſimum. Haec Aula referta tot inſignioribus monumentis, veluti totidem Voluminibus omnium oculis patentibus, oſtendet, quanta Etruſcorum noſtrorum fuerit religio, in bellis gloria, ſacrorum rituum ac caerimoniarum, a quibus Romanum Imperium ſuas accepit, concordia & conſtantia; novisque obſervationibus, detectisque luculentis notitiis inchoatum, nondum perfectum, Etruſcarum Antiquitatum Theſaurum, pro quo adhuc laboro, augebit, praeclariorem & abſolutiorem reddet; quod a Caeſare Invictiſſimo ac Beneficentiſſimo, aliquando a tot curis quieſcente, ſperandum eſt, ac pro eius in optimas artes ac ſtudia flagrantiſſimo amore, & regia liberalitate quamprimum facile obtinendum. Toto orbe huic collectioni Etruſcorum monumentorum omnis generis, nulla alia vel ſimilis, vel par, meo iudicio, erit, ſuppeditabitque tum Florentinis, tum Exteris Antiquitatum Cultoribus ad haec magis magisque dilucidanda occaſionem valde facilem atque opportunam. Adſit Deus, & vota doctorum hominum, & mea potiſſimum ſecundet; & Clementiſſimus atque Humaniſſimus Imperator quam diutiſſime cum perpetua Auguſta Sobole ſua, & Auguſtiſs. Coniuge, vivat, floreat, imperet Etruriae bono & Chriſtiani Orbis beneficio.

LU-

LUDOVICUS SIRIES, natione Gallus, nunc Florentinus Civis, Saec. XVIII.

Rerum omnium & mirandorum operum Opifex Deus homines ingenio ita praeſtantes identidem creat, ut quidquid arduum eſt, ſtudio & ſolertia ſua vincant, & ad omnia eos factos cuncti mortalium ſtupentes agnoſcant. Ex his unus eſt Ludovicus Siries, natione Gallus, qui diuturno apud Florentinos domicilio, ſuſceptaque ſobole, Florentina civitate donatus haberi iure & merito poteſt. In eximiis permultis artibus, quae a Graphice pendent, adeo excellit, ut paene nihil arduum, nil operoſum, & maxima cura dignum in rerum natura habeatur, quod ipſe adſecutus non ſit, & adhuc adſequi non poſſit. Innumera paene opificia rariſſima, quod tam cito perfecerit, complures mirantur; ego vero non miror, ſed laudo; quum ipſe hiſce duobus cardinibus omnem artis ſuae praeſtantiam, & immenſas aerumnas eum ſtatuiſſe intelligam, in laboris ſumma patientia, & in ſeveriore temporis cura & pervigili cuſtodia, ne ulla non modo hora, verum etiam momentum ſine linea decurrat. Nunquam otioſum, niſi dum de inuſitatis rebus inveniendis cogitat, nunquam genio indulgentem, ſed ſemper in laboribus tum mente, tum manu parandis conficiendisque in regiis Officinis Magni Ducis Etruriae, quibus praeeſt, diſtentum adſidue omnes, qui ad eum adcedunt, inveniunt. Quae ante ſeptem abhinc annos in eo artis portenta cenſebantur; opera nempe omnia, quae Auraria, ac caelandi ars perficit, ne quidem Horologiis rarioribus exceptis, ea nunc eius ingenii alacritate & praeſtantia minora habentur; nam aetate, quod mirum

eſt,

est, valde provecta, atque in senium, vegetum tamen, vergente, Glyptographicae Arti totus adeo incubuit, ut intra septennium plurimas Gemmas utroque opere anaglyptico, & diaglyptico inscalpserit, quarum emblemata vel ipse ingenio suo feracissimo excogitavit, vel ex aliis operibus, praesertim antiquis, excepit. In his vero inscalpendis duplici eminet laude, qua veteres omnes Gemmarios Opifices longe superavit; nempe in perfecta areae planitie conficienda, quod nemo tam absolute, & feliciter praestitit; nihil enim in planitie Gemmarum eius figuras ambiente nisi perfecte planum, & mira arte laevigatum adparet; quod non cernitur in antiquis Gemmis, praesertim in his anaglyptice sculptis, quae communi vocabulo *Cammei* dicuntur. Alterum quoque decus Gemmis a se inscalptis addit Ludovicus Siries, antiquis Scalptoribus ignotum, quod artis miraculum dici potest; nempe in extrema Gemmae ora coronidem elegantissimam adponit, quae opus ipsum magis rarum & singulare reddit, & novo splendore condecorat. In his novis adcessionibus, quas primus omnium excogitavit, ac feliciter molitus est, neminem vel facile paucissimos pares nunc, & in posterum habebit hic Artifex sagacissimus, novorum inventorum scrutator & perfector perspicacissimus.

Primum opus, quod anno CIↃ. IↃ. CC. XLVII. adgressus est, sua arte & peritia usus, fuit Crux Dominica e secto lapide Cyaneo, qui *lapislazzulo* dicitur, qui aegerrime rotas, viriculos, & alia artis instrumenta patitur. In ea Cruce undique, tum in antica, tum in postica facie, egregie secta, & coronide ornata, ex integro lapide, Christi in ea adfixi imaginem exhibuit. Mox ex eodem lapide, aerumnosissimo opere anaglypho,

pho, Gemmam exſcalpſit, in qua Naturae, Scientiarum & Artium portenta ad utilitatem humanae Societatis & commercii, ingenioſiſſime expreſſit. Pectore tenus Onychi tricolori pulcherrimo poſtmodum anaglyphice effinxit imaginem Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Ludovici XI. Zodiaci ſignis circumornatam, quam eidem Regi dono obtulit ac dedicavit. De his pauca ſcribo, quum haec opera erudito Commentario deſcripta in lucem prodierint cura & ſtudio Cl. V. IOANNONIS DE S. LAURENTIO. (1) Alia quoque ſilentio praetereo, quae in Novis Litterariis Florentinis, praeſertim hoc anno fuſius deſcribuntur. Protomas Auguſtiſſimorum Coniugum Franciſci Imperatoris Caeſaris, & Mariae Thereſiae Reginae Hungariae, & Bohemiae ex Onyche ſe mutuo reſpicientes exſtanti opere laudatiſſimo exſcalpſit, quod iisdem dedicavit. Mirabilem fecit Solis quadrigam cum Zodiaci ſignis pulcherrimam Gemmam ambientibus. Omnium operum ſuorum ſulphurea, vel gypſea ectypa SIRIES Sociis Columbariis Florentinis dono dedit, & mihi quoque inſigniora exhibuit, quae omnia ſi accurate deſcribere vellem, non parvam huius Voluminis partem occupare facile poſſem. Dum haec ſcriberem, Gemmas elegantiſſimas & operoſiſſimas a ſe inſcalptas mihi oſtendit, & ectypa ſulphurea dedit. Has intra paucos menſes felicibus auſis abſolvit; quarum praeclariores breviter recenſere lubet. Hae Gemmae vel e Chalcedonio Sapphyrino, vel e Sarda, atque ex Onyche elaboratae ſunt; omnium maxima propter magnitudinem, exhibet Herculem Antaeum conficientem; altera Phaetontis caſum; reliquae oſten-

(1) Volumen hoc prodiit Florentiae anno MDCCXLII. in 4.

oſtendunt Diomedem Palladio potitum; Herculem cum armis ſuis gradientem; Pentheum in odium Bacchi vineas exſcindentem; Aeſculapium baculo ſuo anguifero innitentem; Mercurium infantem Bacchum ad Nymphas deportantem; Aurorae & Cephyſi fabulam; Achillem in ſella moerentem; duo Herculis iuvenis capita eximio plane opere & antiquis perſimili perfecta. Antiquorum monumentorum effoſſionem in Sarda vel Achate aurei coloris multo labore expreſſit, quam Gemmam dono obtulit Cl. L. B. De Stoſch, ut eius ſtudia & aviditatem in eruendis conquirendisque priſci aevi deliciis deſignaret; in parvula Gemma tauri ad aram immolandi ſacrificium, adſtantibus ſeptem miniſtris, effinxit; in altera Diogenem in dolio latentem, qui Alexandrum Macedonem adloquitur; praeter alia plurima opera, quae a memorato anno uſque ad hoc tempus incredibili ſtudio ac labore faberrime inſcalpſit, quae centeſimum numerum excedunt. Hae omnes Gemmae, in parergis adiecto eius nomine vel integro, vel per ſiglas L. S. denotato, tum coronide admirandi operis, tum planitie abſolutiſſima perfectae ſunt aerumnoſo artis magiſterio; quod peritioribus contemplandum atque expendendum relinquo.

Dum haec adſiduo opere excogitat, & feliciter molitur ſagaciſſimus Siries, Artifices omnes qui in Officinis Imperialis Muſei operantur, ſuperius a me memoratos, dirigit, & nova ſemper eis conficienda proponit, quae digna ſint ſcientia & Maieſtate Auguſtiſſimi Caeſaris FRANCISCI, Domini mei Clementiſsimi, Magni Ducis Etruriae. Nuper ad eum miſſae ſunt octo Tabulae, quae Scientiarum & Artium inventa exhibent, compaginatis lapillis picta, multis figuris ornata, quae

quae vix credi poteſt , quanta elegantia , & veritate praeniteant, Arte Naturam ipſam paene vincente. Miſsi etiam abaci, & arculae utroque opere ex conſertis perpolitisque multicoloribus lapillis pretioſis exornatae.

Fama quoque nominis celebris eſt Violantes eiusdem LUDOVICI SIRIES filia, quae innumeras Tabulas pinxit, & adhuc parenti ſimillima nullo unquam labore victa, ſexum atque aetatem ſua virtute & ſtudio longe ſuperans pingit. Prima patris ſtudia ſequitur Cosma eius filius, qui in pluribus manu factis operibus laudatur. Muſeum quoque ſibi inſtruxit locupletiſſimum idem LUDOVICUS SIRIES, comparatis inſigniorum Pictorum Tabulis, veterum Sculptorum ſignis, vaſculis, anaglyphis ex ebore, numismatis, Gemmis antiquis; quae omnia apud eum maximo in pretio ſunt. Proſpera valetudine, integris viribus, & quidem vivaciſſimis, annum nunc agit aetatis ſuae, ut plures volunt, ſeptuageſimum, alii etiam excedere eum arbitrantur.

Praecipui in Regiis Officinis Magiſtri, ſuperius a me laudati, quibus Caeſaris iuſſu praeeſt nominatiſſimus LUDOVICUS SIRIES, hi ſunt; qui ſibi ſubiectos alios complures alumnos & Artifices habent, qui lapillis in abacis, arculis, & ſcriniis compaginandis, & pictis Tabulis exhibendis adſidue dant operam. *Franciſcus Conti* Florentinus Graphices Praeceptor. = *Antonius Franciſcus Bottius:* = duo fratres *Io. Baptiſta*, & *Franciſcus Iacopuccii* = *Franciſcus Borgheſius* = *Caietanus Sorbius* = *Ignatius Rabbuiatus:* = qui operibus ex hebeno inſudant, *Caietanus Donninius*, & *Zenobius Magnolfius;* qui opera ex aere conficiunt, & auro condecorant, *Petrus Binius*, & *Ferdinandus Nicciolius*. = Picturas parat muſivo opere durorum lapillorum exprimendas *Ioſeph Zocchius* Florentinus, fama nominis & multorum operum percelebris.

FELIX

FELIX BERNABE' Florentinus, Saec. XVIII.

Felix Bernabe', qui in Imperialibus regii Florentini Musei Officinis Gemmis scalpendis sedulam nunc navat operam, multa pollet peritia, & studio ac diligentia nulli secundus habetur; nam in imitandis antiquis celebriorum Graecorum Opificum sculpturis laudem sibi magnam atque immortalem comparavit, & adsidue pro Florentinis Proceribus, & pro exteris harum deliciarum cultoribus laboravit, atque in praesentiarum strenue laborat, suaque comitate, & benigna naturae facilitate omnium laudes & benevolentiam sibi conciliavit. Natus est Florentiae ex Ioanne ditionis Lunensis honesto incola, & nunc trigesimum tertium aetatis suae annum feliciter inchoavit. Prima Glyptographices rudimenta a celebri Florentino Gemmarum Scalptore Francisco Ghinghio, superius a me laudato, in Regiis Officinis Florentinis anno CIↃ.IↃ.CC.XXXVI. accepit; Graphices vero praecepta ab egregio Pictore Ignatio Usfordio, Florentiae morante, multo studio accuratissime didicit; quibus praesidiis instructus mirandum non est si in Gemmis caelandis magnopere excellit, quarum ectypa etsi non omnia, multa tamen, mihi nuper dono dedit. Nihil dico de Stemmatis, Insignibus, aliisque Gentilitiis emblematis, quae plurimis Gemmis primum, antequam ad imagines se conferret, fabermime inscalpsit; ea tantum opera describam, quae vidi, & memoratu digna censentur, & quidem eo ordine quo ab eodem absoluta sunt. Primum pro Excell. Comite Emmanuele de Richecourt admirandum illud Symplegma Amoris & Psyches, quod marmoreum in regio -

regio Muſeo exſtat, quodque a me editum & inluſtratum eſt in *Muſeo Florentino* inter antiqua Signa, & Statuas Tab. XLIII. & XLIV. pulcherrimo Chalcedonio ſcitiſſime inſcalpſit. Amor Pſychen amplectitur & oſculatur; quo opere cum induſtria & ſtudio elegantia valde certat. Hyacintho eximii coloris & lucis mox inſcalpſit eam ſtatuam, quam imperitum vulgus *l' Arrotino* adpellat, quae in Conclavi eiusdem regii Theſauri ſpectatur; qua, ut alibi oſtendi, (1) procul dubio ille Scytha exhibetur, cui Apollo demandavit, ut devicto Marſyae pellem e corpore cultro detraheret. Hanc caelaturam fecit rogante Abbate Vernaccinio Hiſpaniarum Regis Miniſtro. Singularem illam Gemmam, quae exhibet Herculem amplectentem Iolen, Teucri opus eximium, a me editam Tab. V. inter praeſtantiores Gemmas *Muſei Florentini*, adeo archetypo ſimilem fecit, ut nomen ſuum tum primum ita inciderit ΒΕΡΝΑΒΕ ΕΠΟΙΕΙ. Praemiis & laudibus illectus, ad maiora praeſtanda excitatus eſt; quare pro D. Henry Viro Nobiliſſimo primus omnium in Sarda altitudinis unciarum duarum ex marmorea perinſigni & rariſſima Protoma, quae in Regio Florentino Cimeliarchio exſtat, inſcalpſit Alexandri Magni imaginem, in qua Gemma operoſiſſima ita nomen ſuum ΦΗΛΙΞ inſcripſit. Quum Eminentiſs. Princeps Cardinalis Alexander Albanus praeſtantiorum operum peritiſſimus aeſtimator, & conquiſitor laudatiſſimus, inſignis Gemmae magnitudinis unciarum duarum, ultra dimidium, anaglyptico opere inſcalptae exemplar ad Cl. L. B. Stoschium miſiſſet, ſed foſſorum iniuria & oſcitantia fractum, Stoschius antiquis propoſitis exemplaribus curavit, ut integrum opus a noſtro Scal-

(1) In eodem Volumine Tab. XCV. & XCVI.

ptore inſculperetur in Gemma , in qua duas feminas, & militem, ſeu potius Heroam adiecit. Ea exhibet Achillem ſedentem , moerore confectum , Patrocli mortem deflentem , integris ſex figuris ; in qua Gemma, quod non fecit , nomen ſuum adponere poterat . Homericam Hecatomben Sardae expreſſit , rogante Marchione Manfredio Maleſpina Patricio Florentino, veterum ac recentiorum elegantiarum cupidiſſimo ac ſtudioſiſſimo ; quod emblema ab archetypa admirandi operis Gemma, quae exſtat in Gavianis Cimeliis, accepit ; in qua ſcalptus Heros ſtans ad aram immolaturus bovem a militibus adductum ; in eius exergo ita nomen ſuum declaravit Β. Φ. Ε. (1) Pro eodem Sardonychi pulcherrimae inſcalpſit Plautillae imaginem ad archetypi exemplum , quod exſtat in Florentino Cimeliarchio, adiectis iisdem litteris. Eiusdem Marchionis Maleſpinae vultum bis inſcalpſit ; primum Sardae, adiecto in poſtica eius Gentilitio Stemmate , & Β. Φ. deinde Chalcedonio nitidiſſimo triangulari , cum ſiglis eius nominis, vulgo *Cifra* , & Stemmate nobiliſſimae Gentis ſuae , eiusque nomine, ΜΑΝΦΡΙΔΙΟΣ ΜΑΛΑΣΠΙΝΙΟΣ. Bacchi triumphum Chalcedonio inciſum dedit Marchioni & Equiti Bernardino Riccardio ; aliis imaginem Herculis iuvenis, itemque Meduſae caput ex mirandis Stroziae Dactyliothecae prototypis. Pro D. Rendorpio Hollandico miro opificio inſcalpſit Antinoi Caput , ad exemplum marmoreae antiquae incomparabilis Protomae, quae ſpectatur in Medicea Gaza. Homeri Caput Chalcedonio exhibuit, deditque Marchioni Equiti Camillo Bor-

(1) De hac Gemma diſſerui in Florilegio Noctium Corythanarum inter Symbolas meas edito Cap. VI. pag. *66*. & de eiusdem Ill. Marchionis numiſmate max. moduli, Cap. III. pag. 39.

Borbonio *del Monte* Patricio Florentino. Herculem Farnesianum accepit eius frater Marchio Philippus, Apuanae, sive Pontremulensis Ditionis Gubernator. Silenum cum scypho & thyrso sedentem Chalcedonio expressum cum eius nomine sibi comparavit D. Scioe Viennensis Canonicus. Nuper Ithyphallicum triumphum undecim cum figuris egregio opere perfecit, rogante D. Comite Hohman, iuxta exemplum autographum Musei Gaddii, delineatum pictumque peritissima manu Francisci Salviati Pictoris XVI. saeculo celeberrimi, sed obsceno schemate. Ex his tanquam ex ungue leo dignosci potest.

IOSEPH CAIETANI F. TORRICELLIUS Florentinus, Saec. XVIII.

Si IOSEPH TORRICELLIUS inter claros huius temporis Gemmarios Artifices recensendus solis laudibus, & meritis nitesceret avi sui, & patris, qui, ut superius adnotavimus, excellentes Lithographi fuere, multum sane laudis & gloriae sibi tribuere posset; verum & suis peculiaribus animi dotibus, modestia, honestate, & caelandi peritia valde gloriari potest, quibus apud Florentinos & exteros summos Viros egregiam benevolentiam atque existimationem consecutus est. Florentiae in Collegio Scholarum Piarum humanioribus litteris, & Philosophicis disciplinis institutus est; sed iisdem relictis, decimo nono aetatis suae anno Gemmis incidendis se totum dedit, magisterio patris sui Caietani probe edoctus. Prima eius opera fuere Arma, & Stemmata Gentilitia, quae valde probata sunt. Adsiduo studio, & antiquorum operum accurata meditatione brevi tempore ita excelluit, ut non pauci eius operum

cupi-

cupiditate flagraverint. Anaglypticam ſculpturam praecipue dilexit, eique ſe addixit. Fauni caput ex antiquo exemplari Achati exſcalpſit multa cum elegantia, quod Ill. Marchio Caietanus Maccheranius ſibi comparavit. Diſcendi multoque magis proficiendi deſiderio exardeſcens, frequenter adire coepit Eruditiſſimum L. B. De Stoſch, a quo multa quae tum cavenda, tum ſequenda ſunt in Glyptographice percepit, oſtenſisque praeſtantioribus Scalptorum antiquorum operibus, optimis praeceptis & regulis locupletatus eſt; pro quo Bacchae ridentis protomam Onychi pulcherrimo inſcalpſit. Apollinis caput anaglyphum pro Equite Britannico Olyns egregie exſcalpſit; atque etiam Agrippae caput ex Onyche miro artificio ac diligentia ad antiquorum exemplarium ſimilitudinem. Exſtat in Florentino Theſauro ex marmore Hermaeum ſignum Solonis Legislatoris cum Graeca epigraphe, cuius imaginem Topatio ſcitiſſime inſcalpſit, rogante ac proponente D. Henry. Antinoi quoque caput ex legitimo antiquo numismate maximi moduli egregie in Sarda pro eodem expreſſit; alterumque anaglyptico opere ſculpſit ex Chalcedonio ad ſimilitudinem marmoreae protomae, quae ſpectatur in eodem regio Florentino Theſauro. Epicuri caput Sardae inſcalpſit, diligenter imitato antiquo prototypo marmoreo Romae invento, & in Muſeo Capitolino repoſito; cuius ectypum gypſeum in Stoſchiano Muſeo obſervavit. Herculem cum Cupidine eius humeris innitente Achati cryſtallineae; Sabinam Auguſtam Chryſolitho, Hippocratem Sardae, rogante Barone Rendorphio, Fauſtinam Iuniorem Sardae pro D. Henry faberrime inſcalpſit; quae opera multo ſtudio atque opificio elaborata, mihi perhumaniter oſtendere conſuevit,

ſem-

ſemperque eum hortatus ſum verbis amantiſſimis, ut maiorum ſuorum gloriam non ſolum aemularetur, verum etiam patientiſſimo ſtudio & diligentia ſuperaret, & Graecis antiquis Scalptoribus proxime adcedere adſiduo labore, & accuratis obſervationibus curaret; quod ut praeſtet remis velisque ſatagit, & multam adhuc iuvenis nominis celebritatem conſecutus eſt.

STEPHANUS PASSAGLIA, Saec. XVIII.

Huic egregio Gemmarum Scalptori niſi adverſa fortuna, quae diu eum conturbavit, atque agitavit, obſtitiſſet, multa enumerare poſſemus eius opera, quae in Florentinis Officinis edidit; nam non pauca vidi, & ſi voluiſſet, maiora etiam praeſtare potuiſſet, quum ingenio & ſagacitate multa polleret.

FRANCISCUS BORGHIGIANIUS Florentinus, Saec. XVIII.

Ad artis gloriam ſtrenue nunc nititur Franciscus Borghigianius, qui multa egregia opera Gemmis inſcalpta edidit digna ingenio ſuo, & praeceptore ſuo in Graphices arte Ignatio Hugford; quae enumerarem ſi me adire aliquando voluiſſet.

LAURENTIUS MARIA DEWEBER Florentinus, Saec. XVIII.

Etruſco caelo, praeſertim Florentino, eam laudem multi non ſine ratione tribuunt, ut homines cum optimis diſciplinis, tum eximiis artibus dediti, praeſtantes ſupra ceteros quam feliciſſime evadant. Quamvis multos in exemplum proferre poſſim, hac laude profecto ornatiſſimi cenſentur duo fratres Laurentius Ma-

RIA & ANTONIUS PHILIPPUS DEWEBER, quorum pater fuit Ioannes Zenobius, Viti filius natione Alemanni, qui Florentiam advenit e Suevia, & militaribus artibus instructus, in Cohortem Cataphractorum Equitum adscitus est a Ferdinando II. Magno Duce Etruriae, & gradum Stratoris obtinuit, qui, eo vita functo, ad filios regio munere pervenit. Ioannes Zenobius Deweber quum Florentiae domicilium suum posuisset, connubio sibi iunxit Mariam Angelam Laurentii Biscionii iam mortui filiam, germanam sororem Clarissimi Viri Antonii Mariae Biscionii S. Th. D. nunc Canonici, & Regii Bibliothecarii Mediceae Laurentianae, quae Familia Biscionia civicis honoribus praefulget. Ex his laudati fratres orti sunt qui iisdem artibus operam dedere. LAURENTIUS MARIA, de quo nunc scribimus, Florentiae natus est Prid. Eidus Decembr. ann. CIↃ. IↃ. C. XCVII. natu maior. Utrique optimae indolis, moribus pares, quum frequenter patruum suum Antonium Mariam Biscionium in Claustris Basilicae Laurentianae inviserent, ac saepe numero eum in tabulis pingendis relaxandi animi gratia sedulo vacantem invenirent, magno Graphices desiderio incensi, eidem sedulo incumbere, eo duce, coeperunt, primaque rudimenta ab eo acceperunt, & brevi tempore ita profecere, ut ad naturae imitationem, quidquid vellent, peraccurate delinearent. Anno CIↃ. IↃ. CC. XV. Laurentius quum Mediceas Officinas frequentaret, sub Iacobo Marianio Florentino, in iisdem Officinis Magistro egregio, Geometriam practicam didicit, itemque ab eo Prospectivae, Architecturae, & Icnographiae praeceptis institutus est. Mathematicas disciplinas una cum fratre accepit a Cl. Ioanne Bottario Florentino, nunc Sanctissimi Pontif. Max.

BENE-

BENEDICTI XIV. Capellano, & Vaticanae Bibliothecae Praefecto, doctrinae fama celeberrimo. Graphices artes ab Ioanne Baptista Figginio cumulatissime didicerunt; & anno CIↃ. IↃ. CC. XX. sub eximio Praeceptore Maximiliano Soldanio Monetarum publicarum Cusore, atque aerario Sculptore Florentino, omnibus ingenii nervis hisce studiis vacantes operam adeo praestantes evaserunt, ut optime delinearent, effingerent, omnesque regulas Graphices, & Chalcographiae, & rationes disponendarum figurarum, & Anatomiae mirum in modum callerent. Laurentius ex eo tempore in numismatis effingendis, cudendorumque formis inscalpendis totus incubuit; quapropter in hoc munere, petente Soldanio, optionis locum a Cosmo III. obtinuit anno CIↃ. IↃ. CC. XXII. Sequenti anno mirum illud opus anaglyphum e chalybe, tanquam maximi moduli numisma, protomam exscalpsit Annae Aloysiae Electricis Palatinae ad Rhenum, quod etiam multis parergis & ornamentis condecoravit, quod cum conspexisset Cosmus III. numquam se opus tantae raritatis vidisse adstanti Aulico suo dixit. Hoc numisma, veluti *Cameum*, ut aiunt, maxime singulare idem Auctor apud se servat. Persimili aerumnosissimo studio & arte e chalybe exscalpsit Dionysiacam pompam, quam aurea coronide cum pampinis & uvis ornavit. Effinxit quoque e chalybe exstanti opere in magno numismate effigiem Violantis Beatricis Vindelicorum, Etruriae Magnae Principis, & in postica parte ex eodem metallo emblema perfecit, ut eidem Principi Senarum Gubernatrici obsequeretur, cum duobus Fluminibus Arno, & Arbia, duobusque leonibus regiam coronam sustinentibus, aliisque ornamentis, & epigraphe GRATA VICE locupletatum.

E cha-

E chalybe etiam caput fecit integro opere, quod dedit Ill. Nicolao Panciaticho. Caelandi scalpendique arte peritissimus non pauca simulacra parva ex aere & argento perfecit, inter quae laudatur Simulacrum argenteum cubitale S. Francisci de Paula, quod Florentiae in eius ara festis diebus exponitur, donarium ex voto Cl. Senatoris Ioseph Ginorii, cuius basim sacris emblematis eius praeceptor Soldanius ornavit. Marmoreas protomas labefactatas affabre instauravit. Aereum Symplegma, & equestrem statuam, iubente Ioanne Gastone Magno Etruriae Duce, fecit, quam Carolo Borbonio Regio Hispaniarum Infanti dono dedit. Protomas multas tum ex aere, tum plastico opere effinxit exemplis longe simillimas. Lipsanothecam ex laminis argenteis miro opere, pulcherrimisque caelaturis & ornamentis perfecit; itemque Horologium Solare, universo orbi aptissimum, iuxta exemplar, quod a Cl. Benedicto Brescianio Mathematico Florentino acceperat; sed, eo monente, amplioris magnitudinis fecit. Inter complura numismata, quae absolvit, profecto elegantissima, ea numerantur, atque praecellunt perfecta in honorem Friderici Augusti Electoris Saxoniae, itemque Clementissimi nostri Magni Ducis Etruriae Francisci Caesaris Imperatoris Augusti, cuius aversa pars exhibet in eius adventu triumphalem arcum a Florentinis erectum, quod adhuc extat; & Augustissimae eius Coniugis Theresiae alterum pereximium numisma; ne quid dicam de ceteris, ac praecipue de duobus numismatis maximi moduli, in quibus effigiem patrui sui Clar. Antonii Mariae Biscionii, & diversa emblemata pulcherrima expressit. Monetarum aurearum & argentearum formas cudit, in quo munere adhuc excellit.

Sed

Sed ne quid ad eius laudes desit, hac ipsa tempestate, Gemmis scalpendis incidendisque dat operam; in quolibet difficili opere securus perpetuae laudis, atque existimationis, quum agat annum aetatis suae circiter quinquagesimum sextum. Eius frater Antonius Philippus, eius curae & tutelae relictis non paucis filiis, repentino morbo raptus est, elapso superiore anno.



CAPUT XIII.

De Romana Glyptographica Schola, qui in ea, restitutis Artibus, floruerint Gemmarii Scalptores indicantur.

SCriptorum incuria, nescio quo fato, nobis haud nota sunt in Romana Schola Glyptographicae Artis initia. Fateor in Vitis Romanorum Pontificum, qui saeculum decimum quartum praecessere, frequenter recenseri, ac memorari Gemmas, quibus ornabantur Sacra Altaria, Cruces, Sanctorum Imagines, vela, & sacrae vestes, quae in solemnioribus festis, & pompis adhibebantur; verum eas puras fuisse liquet; vel si his aliquae sculpturis ornatae intermixtae sunt, antiquo quidem aevo eas caelatas fuisse constat, quod iam ostensum est in Vol. III. mearum *Symbolarum*, in quo de Cruce gemmata, mitrisque Pontificum pretiosis pertractatum est. Sunt nonnulli, qui censent Gemmariorum opificia Romae florere coepisse sedente MARTINO V. Pontifice Maximo; sed, ut ante monuimus, hi nec Auctorum synchronorum adferunt testimonia; neque certis argumentis, aut saltem idoneis coniecturis, utuntur. Constat eumdem Pontificem Florentia Romam ad-

civisse Victorem Pisanum Veronensem, in cudendis tum suis, tum aliorum Principum numismatis ea aetate praestantem. Magnum de Romanis Lithographis silentium in Historia eorum temporum occurrit in Summis Ecclesiae Hierarchis qui eidem successerunt, atque etiam in Vita NICOLAI V. qui litterarum studia in pristinam dignitatem, decus, & cultum, adsidua cura & maximis sumtibus, restituit; qui etiam, VASARIO teste, egregios Artifices ad ornandam aeternam Urbem, & sacras aedes adcivit, atque humanissime complexus est. Tanti nominis gloria divino consilio servata est PAULO II. Veneto, Pontifici Maximo ac magnificentissimo, quo favente Ars Glyptographica caput extulit, & quodammodo revixit; nam, ut antea monuimus, servatur in Florentino Cimeliarchio Sarda, gemma insignis magnitudinis, quae eius imaginem praefert, cum Regno, & Pontificalibus indumentis operosissimam, quae ab egregio Opifice Gemmario nobis adhuc ignoto insculpta est anno CIƆ.CCCC.LXXV. quo sacrum Iubileum indixit. Florentina Schola Glyptographica a Magnifico Laurentio Medice fundata circa annum CIƆ.CCCC.LXVI. iam nonum originis ac nativitatis suae annum tunc numerabat. Nolo, ne Florentinis ingeniis nimis addictus videar, suspicari, aliquem e Schola Laurentiana forsitan hanc Gemmam cum imagine PAULI II. caelasse; suspicio tamen haud absurda, & incredibilis est; quum eadem Gemma, cum aliis plurimis pretiosis lapillis, iterum ad Laurentium pervenerit, quam ipse suis sumtibus sibi comparavit. Memoratur in Vita (1) eiusdem PAULI II. accuratissime edita atque

(1) Huius Operis hic titulus: *Pauli II. Veneti Pont. Max. Vita ex Codice Angelicae Bibliothe-*

que etiam perraris obſervationibus, & Vindiciis contra Platinam exornata a Sapientiſſimo S. R. E. Cardinali Bibliothecario Angelo Maria Quirinio, Brixienſis Eccleſiae Pontifice vigilantiſſimo, Litteratorum Parente doctiſſimo, Paulum Iordanum eius Artificem fuiſſe, qui gemmas auro coronabat; ſed de eius peritia in pretioſis lapillis ſcalpendis non conſtat. Auguror regnante IULIO II. P. M. Glyptographicen Romae florere maioribus viribus coepiſſe; praeſertim cum ad eam adceſſiſſet, mortuo Laurentio Medice, Petrus Maria Piſcienſis, qui, eo auſpice, in Gemmis caelandis in Florentina Schola mirifice excelluit; qui facile abeundi occaſionem tunc adripuit, quum ea tempeſtate, nempe anno CIↃ. IↃ. V. Florentia fame maxima laboraret; audiviſſetque ab eodem providentiſſimo Principe Romam ſeditionibus fameque liberatam fuiſſe. Hic eximius Artifex Gemmarius, qui neminem ſibi parem tunc habebat in imitandis antiquis Graecorum operibus, Romanae Scholae Glyptographicae vires, dignitatem, ac nobilitatem dedit, & facile etiam regnante LEONE X. ampliora ac firmiora iecit fundamenta, ſibique ſimiles alumnos educavit. Audiendus VASARIUS, qui haec pauca de tanto viro memorat: „ Accrebbe poi in maggiore eccellenza queſt' Arte nel Pontificato di Papa „ Leone Decimo, per la virtù e opere di Piermaria „ da Peſcia, che fu grandiſſimo imitatore delle coſe „ antiche: & gli fu concorrente Michelino, che valſe „ non meno di lui nelle coſe piccole & grandi, & fu „ tenuto un grazioſo Maeſtro: Coſtoro aperſono la via a queſt'

---

bliothecae deſumpta, praemiſſis ipſius Sanctiſſimi Pontificis Vindiciis adverſus Platinam, aliosque obtrectatores. Romae MDCCXL. quod Opus miro ardore & celeritate Pontificiorum Comitiorum tempore perfecit & edidit.

„ a quest' Arte tanto difficile; poichè intagliando in ca-
„ vo, ch' è proprio un lavorare al buio, dacchè non
„ serve ad altro, che la cera per occhiali a vedere di
„ mano in mano quel che si fa; ridussonla finalmen-
„ te (a tal segno) che Giovanni da Castel Bolognese,
„ & Valerio Vicentino, & Matteo dal Massaro, & al-
„ tri facessino tante bell' opere, che noi faremo memo-
„ ria ". Habes hic cunabula, conatus, progressus, & absolutiora huius mirandae Artis Glyptographicae incrementa, quae divinis tot Opificum ingeniis aequa lance tribuenda sunt.

PETRUS MARIA Piscienſis, & MICHELINUS Romanae Scholae Glyptographicae primi praestantiores Auctores, Saec. XV. & XVI.

Utinam VASARIUS patriam MICHELINI nobis indicasset, ut summis laudibus eam celebraremus, quae eximium Gemmarum Scalptorem protulit, qui tam fulgenti face aliis praeluxit, ut valde proficerent, atque aeterno nomine in opificiis sculpendorum lapillorum commendarentur! Is longe, ni fallor, alius ab altero Opifice Gemmario, adsimilis nominis, nempe MICHELETTO, quem laudat, ut mox dicam, BENVENUTUS CELLINIUS, qui senex Romam advenit facile, ut arbitror, regnante CLEMENTE VII. P. M. De PETRO MARIA Piscienſi iam nonnulla adnotavimus, agentes de Schola Glyptographica Florentina. Heic solum nomen, eumque in condenda Romana Schola inter principes Scalptores numerandum, memorasse sufficiat.

MAR-

MARMITA Pater, & ALOYSIUS MARMITA F. Parmenſes, Saec. XVI.

Marmitae Patris nomen ſilentio praeterit Vasarius, qui eum multa laude celebrat, atque inter egregios Glyptographicae Artis inſtauratores recenſet. Floruit in principio Saeculi XVI. Glyptographicen docuit filium ſuum Aloysium, qui eum longe ſuperavit. Romae, ubi diuturnam moram fecit, ad egregia opera in lucem proferenda excitatus eſt liberalitate & honorificentiſſimo hoſpitio Ampliſſimi Cardinalis Salviati. Eius iuſſu ad ornandam pulcherrimam arculam, ſive thecam argenteam, mira arte inſcalpſit quatuor cryſtallinos orbes, quos elegantiſſimis hiſtoriis locupletavit; quae theca poſtmodum Illuſtriſſimae Dominae Heleonorae de Toleto Coſmi Ducis Florentinorum Coniugi dono data eſt. In exprimendis antiquis operibus, praeſertim in rariſſimis numis antiquis repetendis cudendisque, novo ſuo mirabili opificio excelluit maxime, ingentemque pecuniam ſibi comparavit. Eodem ſtudio, exquiſitaque arte uſus eſt in Gemmis anaglyptico opere caelandis; idque unum artis callentiſſimus, ac patientiae & ſolertiae ſtudioſiſſimus potiſſimum praeſtare ſatagebat, ut antiquorum imagines, quas ſcalpebat, priſca prototypa peraccurate referrent, & ſui opificii dignitas, decus, animi vigor, ſtudium, ac diligentia eminerent. Inter haec laudat Vasarius Socratis imaginem ab eo praeſtantiſſime exſcalptam in lapillo exſtanti opere. His adde perſimili opificio expreſſam imaginem Achati Orientali Commodi Antonini, Herculis ſpecie, tecto capite Nemaei leonis pelle, quam nuper inluſtravimus in *Dactyliotheca Zanettiana* Tab. XXV. In alio lapide adſi-

mili in eodem opere adlato Tab. LXXV. integro extanti opere exſcalpſit imaginem illuſtris ea aetate feminae, ſive matronae, cuius capiti Gratias omnes Veneresque circumfudit; quae exempla, licet pauca, ſufficiunt, ut eum inter famoſos ſui temporis Gemmarios Artifices praeſtantiſſimum, omnique laude dignum praedicemus.

IOANNES MARIA Mantuanus, IACOBUS TAGLIACARNE Ianuenſis, LEONARDUS Mediolanenſis, Saec. XVI.

Quum ingenuae Artes Fautorum munificentia, & cura maxime vigeant, atque effloreſcant; nil mirum ſi LEONE X. potiſſimum regnante eximia praeſtantium virorum ingenia eius praeſidiis & favore ita excitata ſunt, ut omnem laudem tum in litteris, tum in artibus ſint conſecuta, quae eas ad priſtinum decus, dignitatem, & gloriam pro viribus inter ſe de tanto honore certantes revocarunt ac reſtituerunt. Praeter memoratos Gemmarum egregios Scalptores, qui Glyptographicen in Romana Schola docuerunt, celebrati ſunt hi tres Lithographi Ioannes Maria Mantuanus, Iacobus, aliter Tagliacarne, & Leonardus Mediolanenſis, qui ſynchroni fuere; quorum nomina ignoraremus, ſi Cammillus Leonardus in ſuo *Speculo Lapidum* (1) non memoraſſet, & ſuo aevo multa laude in gemmarum ſculptura celebratos nobis non indicaſſet, ut adnotat Auctor Diſſertationis Glyptographicae in priſcis monumentis ſcrutandis inluſtrandiſque accuratiſſimus. (2) Hos igitur Gemmarios Opifices ſimul laudare voluimus, quos

(1) Lib. III. cap. 1I. pag. 168. edit. Pariſienſis. (2) Cap. XXV. pag. 81.

quos aetas, & ſtudia mutuo foedere coniunxerunt. Laudat VASARIUS ſculpturis celebrem LEONARDUM Mediolanenſem, (1) quem alii videant ſi idem ſit ac Gemmarius iſte Artifex ſuperius memoratus, quod haud improbabile crediderim.

SEVERUS, ſive, ut alii volunt, SILVESTER Ravennas, Saec. XVI.

Inter Artifices clari nominis, & multae famae, qui Ravennatum gloriam auxerunt, memorandus eſt SEVERUS, quem alii, ut arbitror melius, SILVESTRUM Ravennatem nominant, (2) qui Saeculo XVI. floruit. Pulcherrimum elogium conſecutus eſt a POMPONIO GAURICO, eiusque amicis ſummis viris, qui ita eum extollit. (3) „ Severum Ravennatem ideo ad extremum diſtuli, ut plenius laudarem; qui [miror] ad me hodie cur non venerit. Is quidem mihi videtur Statuariae numeros omneis adimplere, Sculptor, Scalptor, Caelator, Defector, Plaſtes Pictorque egregius. Nam ſi me heic nunc rogaretis, qualem Sculptorem velim, talem nempe ipſum velim, qualem, modo litterae adeſſent, Severum eſſe novimus “. Poſt huiusmodi elogium haec ſubdit Cl. VICTORIUS (4) „ Quare Gemmarium etiam Caelatorem fuiſſe ſuſpicari licet; nec immerito aliis eiusdem artificii peritis adnumerari debere “. Ni meus me fallit animus, quum POMPONIUS GAURICUS eidem coaevus eum non ſolum Sculptorem, ſed & Scalptorem appellet; ad Gemmarum opificium id referen-

(1) Vide Vol. II. Partis III. (2) Vide Petrum Mariettum in ſuo Tractatu.
(3) De Sculptura Cap. XVI. pag. mihi 118. edit. Antuerp. ann. 1617.
(4) In Cap. XXV. Diſſert. Glyptograph. pag. 85. at in Indice Rerum pag. 126. mox inter *incertos Gemmarum Scalptores* cum Flaminio Natalio, neſcio quo pacto, recenſet.

ferendum, neque hanc ei laudem denegandam credide-rim.

CARADOSSUS Mediolanensis, & DONNINUS Parmensis eius discipulus, Saec. XVI.

Exploratum est Benvenuti Cellinii testimonio, Caradossum Mediolanensem Romae, regnante praesertim CLEMENTE VII. P. M. in imaginibus auro & aere in numismatis immenso opere exhibendis, in gemmis compingendis, & in picturis encausticis, omnes tum aetatis suae Opifices, tum etiam veteres superasse; nam primum, confectis e cera prototypis exemplaribus, tam accurato diuturnoque studio omnia ad exquisitissimam elegantiam perficiebat, ut pauci eius cunctationem & moram ferrent; inter quos Hispanus ille nobilis vir memoratur, qui morae impatiens, ut in numismate expressum suum vultum ab eo obtineret, ira percitus ei dixit: *Sennor Caraduosso, porque non me acabais mi medallia?* Qua adpellatione cum ipse valde gloriaretur, obscurato eius nomine & cognomine, quae adhuc ignota sunt, ex tunc Caradossus ab omnibus dictus est. Mariettus eius cognomentum gentilitium memoravit *il Foppa*. Benvenutus Cellinius in laudandis sibi coetaneis Artificibus, qui praecipue in Auraria arte eminebant, parcus est; sed in laudando Caradosso, quem Romae praeceptorem habuit, effusus maxime, & iure quidem ac merito est. Pomponius Gauricus Neapolitanus post antiquos Gemmarum Scalptores omnium longe praestantissimos, Pyrgotelem, Apollonidem, Cronium, Dioscoridem, & M. Canuleium Zosimum Libertinae conditionis, qui Clodiana caelatura Romae omnes evicit, & Caradossum Mediolanensem mox laudat

inter

inter recentiores, qui sua aetate virebant magni nominis Artifices; sed in editis exemplaribus typothetarum incuria pro *Caradossus*, scriptum est *Pharadoxus*. Floruit Romae sub Iulio praesertim II. Pontifice Maximo, quem inter Gemmarum scalptores recenset clarus Autor *Dissertationis Glyptographicae* (1), & Ticinensem scribit, quum ex CELLINIO tum in ejus Vita, tum in Tractatu de Arte Auraria constet Mediolanensem fuisse (2). Iisdem auctoritatibus fultus & PETRUS MARIETTUS eum inter praestantissimos Gemmarios Opifices recensuit, & verosimile est & in Glyptographica excelluisse.

Tanto praeceptore dignus habitus est DONNINUS Parmensis, quem laudat idem CELLINIUS (3).

Post Caradossum, Franciscum Furnium Bononiensem laudat idem POMPONIUS GAURICUS Aurificem, & hunc propter egregia opera insignem.

MICHAEL cognomento MICHELETTUS, patria forsitan Florentinus, Saec. XVI.

Inter primos egregios Gemmarios Opifices a VICTORIO recensetur MICHAEL, quem vulgo dictum fuisse *Michelino* adfirmat (4). Hic facile (etsi haec nec ab eo nec a MARIETTO adnotantur) ille esse potest, qui laudatur a BENVENUTO CELLINIO in Vita, quam ipse de se scripsit (5). Senem eum multi nominis eximium lapillorum Scalptorem, & Aurificem praestantissimum Romam adcessisse CELLINIUS memorat, dum Florentia

(1) Vide in fine pag. 126. laudatque superius Cap. XXV. pag. 85.
(2) Trattato dell'Orificeria Cap. V. pag. 39. & in Vita quam de se ipse scripsit pag. 30.
(3) In Vita sua quam ipse scripsit pag. 73.
(4) Differt. Glyptogr. Cap. XXV. pag. 80.
(5) Edita est Neapoli in 4. sed in fronte, quasi prodierit *Coloniae typis Petri Martelli*, scriptum est. De Micheletto plura videsis apud eum pag. 60.

Caesaris armis & militibus cincta obsidebatur; hisque laudibus eum ornat: *Era venuto a Roma un certo Micheletto, molto valentuomo per intagliar Corniuole, ancora era intelligentissimo Gioielliere ec.* Patriam ejus nec CELLINIUS, nec VASARIUS indicant, qui de eo, si idem ipse est, honorifice meminit, eumque aemulum fuisse, ac de gloria & artis praestantia cum Petro Maria Pisciensi in gemmis scalpendis certasse adfirmat. Suspicor Florentinum fuisse, & facile dixerim discipulum Dominici Mediolanensis, qui adeo excelluit in lapillis exstanti opere scalpendis, ut cognomentum ab ipsis acceperit, & *Domenico de' Cammei* ab omnibus appellatus fuerit; nam VASARIUS de MICHELETTO post Dominicum, paucis interiectis versibus, meminit his verbis: *Et gli fu concorrente* (di Pier Maria da Pescia) *Michelino, che valse non meno di lui nelle cose piccole & grandi, & fu tenuto un grazioso Maestro*. MICHELETTUS cum praelaudato Dominico Mediolanensi, & Petro Maria Piscienst, VASARIO teste, triumviratum illud constituit, qui sub Leone X. P. M. Glyptographicem ad maiorem praestantiam suis egregiis laboribus evexerunt.

PHILIPPUS SANCTACRUCIUS Urbinas, Saec. XVI.

Laudat hunc Opificem operum suorum varietate, & materiarum diversitate mirabilem Cl. VICTORIUS (1). Diminuto vocabulo nuncupatus est *Pippo*, quod ceteris suae gentis cognomentum fuit. Sculpsit Ebur, Corallium, Gemmas, & primus, ni fallor, omnium cerasorum

(1) Differt. Glyptogr. Cap. XXV. pag. 82. ex Raphaele Soprano &c. *Le Vite de' Pittori e Scultori &c.* pag. 303. & 304. De cognomine Pippi vide ibidem pag. 196. in Vita *Matthaei & Fratrum Sanctacruciorum*.

rum nucleos, in quibus, licet minimis, varias Hiſtorias, tum ſacras, tum profanas eleganter expreſſit. Natura eum ad ſculpendum efformaverat, ars ad praeſtantiam evexit; nactus optimum Maecenatem Comitem Philippinum Doriam, qui in arvis Ducatus Urbini paſtorem lignis dolandis inſculpendisque incumbentem deprehenderat: qui eius ingenii dotibus captus, Romam ſecum duxit, exactoque ſub optimis praeceptoribus abſolutioris Graphices tirocinio, auſpiciis ſuae liberalitatis Ianuam adcivit, ubi tanquam in benefico iucundoque ſuae virtutis portu manſit, genuitque filios complures, qui Sculptores & Statuarii evaſerunt. Ex elogiis SOPRANI in Vitis Pictorum Ianuenſium, apud quem haec fuſius narrantur, diſcimus, in Gemmis ſcalpendis Philippum laudatiſſimum fuiſſe, multosque alumnos feciſſe. Hanc artem ſcalpendi toreumatico opere nucleos fructuum ab Aſiaticis Artificibus ad Italos profluxiſſe arbitror; nam inter mea Cimelia exſtant nautili figuris, caſis, arboribus, aliisque phrygiis operibus affabre ſculpti, quae figurae auro ſuperfuſae ſunt, exſtanti opere, adhibitis inſtrumentis ad caedendum aptis, & viriculo; area vero retinet argenteum ſplendorem; quare pulcherrima haec opera ſpectantium oculos magnopere oblectant. Exſtant etiam nuclei nucum Indicarum, qui anaglyphis venuſtiſſimis decorantur, iisdemque pro potoriis vaſculis eos uſos eſſe arbitror; in quibus animalia terreſtria & volatilia, & variae hiſtoriae ſculptae ſumma cum iucunditate cernuntur. His adde interiores conchas argenteas anaglyptice ſculptas, quae quum ſacras Hiſtorias, & vultus & imagines virorum & mulierum, praeferant; atque hos inter divinum Salvatoris noſtri Praeſepe, quod opus ſaeculo, ut mihi videtur, XV. confectum

fectum (nam apud me exstat) ab Asiaticis ad Italos has scalpendi artes propagatas, ut dicebam, suspicari possumus.

ANTONIUS DORDONIUS Buxetanus, Saec. XVI.

Quamvis Scriptores, qui de pulcherrimis Graphices artibus scripserunt, & ad hoc tempus in lucem editi sunt, non laudent ANTONIUM DORDONIUM Buxetanum; tamen saeculo XVI. eum eximium fuisse Gemmarum Opificem, ac Romae, in qua aeterna Urbe nonnisi praecellentes homines in admiratione sunt, & laudantur, eminuisse, disertissimum illud profero testimonium, nempe emortualem epigraphem, quam Auctor *Dissertationis Glyptographicae* (1), nec non MARIETTUS silentio praetermiserunt. Exstat in pavimento Aedis Aracoelitanae, in qua situs est.

D. O. M.

ANTONIO DORDONIO NICOLAI FILIO
E CIVITATE BVXETI VIRO PROBO
AC IN INCIDENDIS ET SCULPENDIS
IMAGINIBUS IN OMNI GEMMARUM
LAPIDUMQUE PRETIOSORUM GENERE
EXIMIO ATQUE PRIMARIO QUI CUM
ANNUM AGERET ÆTATIS SUÆ LVI.
AD SUPEROS REDIIT XVIII.
KL MAII MDLXXXIIII.

Hic sculpta sunt insignia Dordonii.

SIL-

(1) Vide cap. XXV. pag. 84.

Silvia Poppia Vsvfrvctvaria
Viro svo Benemerenti P.

Hic duae hominis tibiae decussatae, vittaque in medio religatae.

In gemmis dignoscendis aestimandisque peritum fuisse Consalvum Pignuscam Cordubensem, testatur eius Epitaphium, quod excerptum ex Romano sepulcreto C. V. Aloysii Galletii Cassinensis Monachi, Florentinae Abbatiae Bibliothecarii, ab eo accepi; exstat in Ecclesia Montis Serrati.

Consalvus Pignusca natione Hispanus
patria Cordubensis qui Λ Λ Λ *in quaslibet*
figuras pingendi gemmasque
dignoscendi haud ultimus in Urbe
Gratiis litavit. quem cum tribus parvulis
Filiis quos suo tempore natura vitae
dederat una proh dolor pestilenti morbo
limes una mors nullo servato ordine
nulla ratione omnes avarissime eripuit
hic situs est ubi rei p. Confraternitatis huius
Collega religiosissime consulebat
Vixit annos LVI. *menses* VII. *dies* XXV.

Franciscus Martinius

Testamenti Exequtor amico dulcis.
dolens posuit die XV. *Iulii* MDXXVII.

FLAMINIUS NATALIS Leidensis, Saec. XVI.

In Gentilitiis Insigniis faberrime scalpendis in gemmis, atque in novis artificiis inveniendis, multa cum laude Romae versatum Flaminium Natalium docet sepulcralis

titulus marmoreus, quem protulit Cl. Victorius (1); cuius priores ſex verſus olim integri legebantur, reliqui vero deleti ſunt atque extriti frequenti pedum itu redituque; quum in ſolo ſeu pavimento poſitus eſſet Sacrae Aedis S. Petri Apoſtoli, ut aiunt, in Montorio.

D. O. M.

FLAMINIO NATALI
Insigni insigniorum effectori
Novorumque Artificiorum
Foecundissimo atque
Excellentissimo Inventori &c.

Suppleti verſus memorant eum obiiſſe die V. Octobris anno CIↃ. IↃ. XCVI. aetatis ſuae LV. Leidenſem natione, & conſanguineum fuiſſe Michaelis Natalis, celebris Chalcographi, cujus pater, Flaminii coetaneus, Monetarum cuſor fuit Principis Leidenſis, Coloniae Electoris, ſuſpicatur Petrus Mariette, ad quem Lectorem mitto.

Per complures annos deſiderantur ſincera monumenta, quibus probemus Glyptographicas Artes Romae nunquam ceſſaſſe. Verum haec etſi nobis deſunt, de perenni tamen earum gloria dubitare vix poſſumus. Nam complures Sacras Gemmas habemus; exſtatque eximia illa in Theſauro Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, quae imaginem exhibet SIXTI V. Pont. Max. Amethyſto inſcalptam, quae peritiſſimam Gemmarii Artificis manum, qui ea tempeſtate florebat, perſpicue redolet. Beatiores fuere Pictores, Statuarii, & Architecti, qui innumeros laudatores obtinuerunt, qui eorum vitam

(1) Diſſert. Glyptogr. Cap. XXV. pag. 85. & 86.

vitam & nomina Hiſtoriis ſcriptis in lucem mandarunt; inter quos eminet Eques GEORGIUS VASARIUS, qui mira induſtria, ſummo labore eorum opera inveſtigavit, vidit, deſcripſit; quod ſi quis poſt noſtros labores id ipſum praeſtabit in inveſtigandis, proferendisque aliis inluſtribus Gemmarum Scalptoribus, rem faciet optimam, omni laude & plauſu digniſſimam. Pro modulo meo id ipſum & ego adgreſſus ſum, & multos claros Lithographos, qui in tenebris deliteſcebant, erui, & ab oblivione vindicavi.

ADONIUS ROMANUS. Saec. XVII.

Memoratur a VICTORIO (1) ADONIUS, qui circa finem Saeculi XVII. Romae innoteſcebat; cuius inſtitutum peculiare fuit, manus invicem iunctas in Cameis exprimere, quod huiusmodi opellae non raro venumdarentur, emerenturque ab iis, qui matrimonio iungebantur, in fidei ſymbolum; quod & apud Antiquos in more fuit. Complures namque exſtant Gemmae antiquae amaſiorum, quae invicem donabantur, vel litteris inſculptae, qualis illa a me edita, TV MEA VENVS; tum figuris ad amorem in puellis excitandum inſcalptae; quarum ingentem copiam olim aeneis Tabulis incidendam curavit vir mihi amiciſſimus, de Antiquitate optime meritus, FRANCISCUS FICORONIUS; quae tamen nondum in lucem prolatae ſunt.

N. FAREIT Anglus, Saec. XVII.

Floruit FAREIT Anglus Romae ſaeculo decimo ſeptimo, ſedente Urbano VIII. Pontifice Maximo, ac praeſer-

(1) Diſſert. Glyptographicae Cap. XXV. pag. 89. & 90.

ſertim animalibus ſcalpendis in gemmis ceteros antecelluit. Ignotum ad hoc tempus fuit eius nomen, quod quidem omnes, qui de recentioribus Lithographis ſcripſere, ſiluerunt. Mihi innotuit, dum haec ſcriberem, ex epiſtolis doctiſſimi Principis Friderici Caeſii, quas miſit ad ſummum atque immortalem Philoſophum, Mathematicum, & Aſtronomum Galileum Galileium (1), non Florentiae ſolum, ſed Italiae atque Europae praeclarum lumen & ornamentum. Quum enim Caeſius Academiae Linceorum Conditor & Inſtitutor munificentiſſimus, ſingulis Academicis anulum aureum donaret, tanquam teſſeram benevolentiae ſuae, perpetuumque ad arcana ſcientiarum omnium detegenda & amplificanda monumentum, inſertos lapillos ſmaragdineos incidendos curabat ab hoc Opifice, plane inter egregios non cenſendo, qui Academiae inſigne, nimirum Lyncem, perſpicaciſſimum animal, gradientem inſcalpſit, adiecto tum ſuo, utpote Maecenatis, tum Academici illius nomine, cui anulus aureus circumquaque encauſtico opere pictus donabatur. (2) Singuli igitur Academici, qui complures fuere, iidemque ingenio, doctrina inſignes, & fama nominis toto orbe clari, anulis hiſce inter ſe ſimillimis, tanti Principis Litterarum & Litteratorum Fautoris liberaliſſimi munificentia decorabantur. Vidi paucis abhinc annis aureum anulum ab eodem magnanimo Principe Caeſio dono datum Galileio noſtro, quem Socii Columbarii Florentini deſcripſerunt, & e gemma caelata ectypa exceperunt; item-

(1) Epiſtolae Principis Caeſii & Galileii, multaque eius ſcripta, nondum edita, exſtant Florentiae apud Nob. Virum Ioannem Baptiſtam Nellium, qui publica luce ut donentur, curabit, vel ipſe in lucem proferet.

(2) Principis Caeſii Epiſtolae, in quibus memoratur Fareit Anglus, Gemmarum Scalptor; Romae ſcriptae ab eo ſunt Galileio noſtro anno MDCXII.

itemque alterum antea oſtenſum deſcripſerunt. Is fuit Theophilus Molitor Lynceus, Erneſti filius, Herdifaldenſis, anno CIƆ.IƆ.C.XI. aetatis ſuae XXXV. adſcriptus, uti legitur, in eorumdem Lynceorum Catalogo, edito a Dominico Vandellio, Sereniſſimi Ducis Mutinae Mathematico, Antiquario, & Geographo praeſtantiſſimo.

FLAVIUS SIRLETUS, eiusque Filii FRANCISCUS & RAYMUNDUS Romani, Saec. XVIII.

Romae diuturno tempore intermiſſum Glyptographicae ſcientiae opificium revocavit, ac feliciter reſtituit Flavius Sirletus, Aurifex, Gemmarius, & Caelator inſignis; cuius nomen famigeratiſſimum quoque eſt, quod inter agnatos ſuos praeſtantiſſimum Guillelmum Cardinalem Sirletum S.R.E. Bibliothecarium, quod accuratius expendendum eſt, connumeret. Occaſionem, ut Gemmas inſcalperet, ei ſuppeditavit CLEMENS XI. Pontifex Maximus, qui quum in pulcherrimo Smaragdo in digitis ſuis praeferendo, cuperet ut egregio ſtudio Gentis ſuae Inſignia Pontificiis ornamentis condecorata inſcalperentur, opus Flavio Sirleto Aurifici eximio perhonorifice demandavit anno CIƆ. IƆ. CC. XV. Erat tunc Romae, antiquorum operum aeſtimator & cultor egregius, Philippus Baro Stoſchius, quem de hoc opificio conſuluit Sirletus; a quo didicit, ſola cuſpide adamantis, gemmam perfricando, & ſcalpendo, oleo guttatim infuſo, & ſmiridis pulvere infecta gemma, diligentia ſua huiusmodi opus perfici poſſe. Id cum feciſſet, anulum Pontifici Summo obtulit, quod & probavit. Mox rotas ſibi advehendas curavit; quibus omnibus artis adiumentis inſtrumentisque inſtructus, ad-

miranda ſui praeſtantis ingenii monimenta, opificio antiquis Graecis Scalptoribus proximo, perfecit. Inſigniora non pauca enumerat eruditiſſimus VICTORIUS; inter quae principem obtinet locum Laocoon, cum filiis ſerpentium horrifico nexu vexatus & interfectus perſpicue paene cum dolore & fletu, in gemma Amethyſtina, quam *Milord Duca di Beauford* ſecum in Angliam deportavit; indicato in ea duabus litteris Graecis Φ. Σ. nomine & cognomine ſuo. (1) Praeſtantiſſima Deorum & Caeſarum ſimulacra, ſigna, protomas, eximio opificio in gemmis non paucis expreſſit; nempe Herculem Farneſianum, Apollinem Aedium Vaticanarum illuſtre ornamentum, vulgo *di Belvedere*; Mercurium arieti inſiſtentem in Aedibus Iuſtinianaeis ſpectatiſſimum; & ſignum laudatiſſimum Antonini, cognomento Caracallae, caput ridentis Fauni oblique expreſſum, hederacea corona redimitum, ac pelle caprina circa collum affabre diſpoſita, ſiglis hiſce adpoſitis Τ.Φ.Σ. ſcilicet ΤΟΥ ΦΛΑΒΙΟΥ ΣΤΡΑΕΤΟΥ. quae anularis carneola ſervatur in Muſeo Victorio. Rogante Auguſtino Maſuccio, celebri in Urbe Pictore, Caroli Marattae Pictoris Clariſſimi effigiem anulari gemma caelavit, quo munimento gloriae praeceptoris ſui ſe quoque honeſtaret. Tantarum laudum plenus SIRLETUS anno CIↃ. IↃ. CC. XXXVII. vita functus eſt XVIII. Kal. Septembris.

Reliquit SIRLETUS & ſui deſiderium, & plures filios ex Anna Ciollia coniuge ſua; quorum duo idem ſcalpendi gemmas inſtitutum ſunt ſequuti FRANCISCUS & RAYMUNDUS. Hic paulo poſt deceſſit matrimonio iunctus: alter cum laude ſe ſe eodem ſtudio quotidie Romae exercet, patris famam adſequuturus.

IOAN-

(1) Huius inſignis Gemmae ectypon ſulphureum in meis Cimeliis exſtat.

IOANNES CONTSTANTIUS, eiusque Filii CAROLUS & THOMAS Romani.

Quod apud Veteres his qui in palaeſtris certabant contigiſſe ſcimus, ut multis quinquertii gloria compluriumque palmarum plauſu famoſis, alii maximis viribus & artibus exercitatiſſimi ſuccederent, qui vel ipſis pares eſſent, vel interdum etiam eos ſuperarent; id & in Glyptographicis conatibus eveniſſe non paucis exploratum eſt; nam artes artibus, & adſiduis ſtudiis ita quotidie perficiuntur, ut hi qui hoc ipſum inſtitutum pertinaci labore ampleƈtuntur, ceteris facilius ſummum occupent gloriae faſtigium, & nominis ſui claritudinem obtineant ſempiternam. Memorandi nunc ſunt paribus meritis CONSTANTII CAROLUS & THOMAS. Horum pater IOANNES adhuc vivit; qui pluribus abhinc annis Neronis caput adamanti feliciter inſcalpſit, artis praeſtantia clarus. Philippi L. Bar. De Stosch Viri Clariſſimi Imaginem, dum ille Romae degeret, Sardae pereleganter inſcalpſit (1). Omnium rariſſimi ſunt adamantes ab antiquis Scalptoribus exſciſi; tamen adamantem parvum ſe vidiſſe Romae apud Clariſs. Praeſulem Leonem Strotium mihi narrabat Baro de Stosch, in quo ſculpta diaglyphico opere Lupa Romulum & Remum laƈtans. Neroniana Gemma una cum aliis adamantibus & rubinis Orientalibus lapillis fere XXIV. quos JOANNIS CONSTANTII filii, praeſertim CAROLUS, inciderant, e Vainianis Cimeliis in Mediceos migrarunt, quos Ioannes Gaſto Magnus Dux Etruriae emit. Laedae imaginem, & Antinoi caput adamantibus incidit CAROLUS iuſſu Ioannis V. Luſitaniae Regis. (2) In caelatoria arte

(1) Id memorat Cl. Baro de Stoſch in Praefat. ſui Operis Gemmarum cum Artificum nomine, pag. XVI. Hoc opus apud ſe habuit Ill. Prior Vainius.

(2) Vide Petrum Mariettum.

te ardua omnia is feliciter ſuperavit , ut aequis laudibus cum priſcis Graecis Scalptoribus de gloria contenderet . Teſtis eſt Meduſa, Solonis opus admirandum, quod exſtat in Muſeo Strozzio. Eius imaginem Chalcedonio inſcalpſit accuratiſſima ſimilitudine , ſtupente Eminentiſsimo Cardin. de Polignac, qui anno CIↃ. IↃ. CC. XXVIIII. quo ſcalpendam curaverat , ſibi comparavit . Imagines inluſtrium Virorum mira oris ſimilitudine in lapillis pretioſiſſimis expreſſit ; inter quas hae potiſſimum laudantur , Iacobi III. Regis Stuardi , Romae commorantis , Renati Cardinalis Imperialis, & Georgii Spinolae pariter Cardinalis , nec non Epiſcopi Praeneſtini, iam olim Tituli S. Agnetis , nuper defuncti, quae eius nomen praeferunt . Equeſtrium Ordinum decora a BENEDICTO XIII. P. M. accepit ; meruitque ut iuſſu Conſervatorum Populi Romani in Ordine nobilium Epheborum ſolemnem pompam Sapientiſſimi Pontificis Max. BENEDICTI XIV. Lateranenſem Baſilicam more maiorum adeuntis anno CIↃ. IↃ. CC. XL. comitaretur, compluribus honoribus ac muneribus ab eo mox decoratus.

Laudandum etiam eiusdem Caroli opus illud maxime praeclarum, cuius opificio valde ipſe gloriatur, in quo elaborando biennium adſiduo ſtudio & labore inſumſit. Illud eſt Smaragdus magnitudine & colore inſignis , in quo altera facie eiusdem regnantis ſummi Catholicae Eccleſiae Hierarchae BENEDICTI XIV. imaginem exſtanti opere elegantiſſimo ſculpſit ; in altera vero capita Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Huiusmodi eximium opus effinxit iuſſu Eminentiſſimi Cardinalis Lantis, quo ornata eſt bulla, ſeu fibula, ad conſtringendas ante pectus pluvialis Pontificii lacinias

cinias in ſolemnioribus feſtis; qua Beatiſs. Pater quum ſemel uſus eſſet, eam in Theſauro S. Petronii condendam Bononiam miſit. Hi CONSTANTII fratres adhuc vivunt, & noſtrae aetatis gloriam ac decus magnopere editis operibus augent.

DOMINICUS LANDIUS, Lucenſis.

Huius egregii Scalptoris, qui adhuc vivit Romae multis inſculptis gemmis clarus, laudes, & praenobilia opera accuratius recenſere non poſſum, quam iisdem verbis, quibus eius ingenium ornavit inluſtris Auctor Diſſertationis Glyptographicae (1). Prae ceteris Gemmis, duas laudabiliores cenſet, ovatae formae, ſed transverſae figurae, anularem modulum excedentes, in quibus arte magiſtra quatuor capita oblique expreſſit. In una, Traiani caput cum Plotina uxore; quorum e regione, Marciana Traiani ſoror, & Matidia Marcianae filia, bina ac bina, ſe mutuo reſpicientia. In altera ſculptus cernitur Septimius Severus, & Iulia, quae *Pia* dicitur, *Felix*, & item *Domina*; ac contra Septimius Geta, & Marcus Aurelius Antoninus *Caracalla*. Has Gemmas ad uſum Domni Michaelis Angeli Corſii Abbatis Congregationis Olivetanae DOMINICUS caelavit. Praeterea ab eo memoratur Caeſaris Auguſti protome Chalcedonio moduli maioris inſculpta, cuius caput laurea redimitum eſt, pectus vero armatum thorace ſquammeo, cum Gorgone in medio ſita: opus iuſſu Roderici Marchionis de Fuentes Regis Portugalliae in Urbe Oratoris elaboratum anno CIↃ. IↃ. CC. XVI. Neque in eo deſiderata eſt peritia ſcalpendi imagines viventibus longe

(1) Cap. XXVI. pag. 94. & 95.

ge ſimillimas ; nam circa annum CIϽ. IϽ. CC. XX. Smaragdo anularis formae inſculpſit imaginem Nicolai Duodo, Comitis S. R. I. dum aeternam Urbem Venetae Reipublicae Orator incoleret.

Adfertur a Cl. P. I. Marietto in Vol. II. ſui Operis Tab. 6. Sardae inſcalptum praeclarum illud Mutii Scaevolae ſatis notum facinus ; in cuius exergo haec epigraphe ſcripta eſt: COSTACIOR. Huiusmodi opus, quod exſtat in Regio Galliarum Cimeliarchio, proculdubio antiquum non eſt, ſed propiora nobis redolet tempora ; & , ni fallor, epigraphe Constantios eximios Gemmarios Scalptores indicat, qui illud fortaſſe effinxerunt.

IOANNES POZZIUS Romanus, Saec. XVIII.

Multae ſunt Naturae artes, quae aegre fert ut maxima ingenia ſordeſcant, & lateant ; frequenter enim ea veluti e carcere quodam tenebricoſo educit, ut ſtudio optimarum artium, divino quodam lumine fruantur, & in orbe clareſcant. Id feliciter contigit Ioanni Pozzio Romano, qui relicta cauponaria taberna in Graphice brevi temporis ſpatio tantum profecit ſub optimo praeceptore, inter Romanos Pictores aetate ſua valde celebri, Equite Petro Leone Ghezio, ut gemmis ſcalpendis, ut ferunt, primum operam dederit ; ſed poſtmodum circa annum CIϽ. IϽ. CC. XVIII. quum rariora eſſe vidiſſet, ſibique faciliora, eximia opera ebore ſculpta, huic opificio ſe totum devovit addixitque, & ſummam gloriam conſecutus eſt. Viros inluſtres ex ebore primum accuratiſſime expreſſit ; quorum imagines dedit Principi Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali Alexandro Albanio. Ebore exſcalptas anaglypho opere tum Caeſa-

rum

rum (1), tum veterum Philoſophorum imagines, ut cum praeclaro munere nominis aeternitatem conſequeretur, omnium retro Principum florentiſſimo ac ſtrenuiſſimo Eugenio, e Sabaudiae Principibus, obtulit ac dedicavit. Veterum Caelatorum praeſtantiam miro ſtudio aemulatus eſt. Imaginem quoque eruditiſſimi Baronis Philippi de Stoſch effinxit; a quo haec accepi.

HIERONYMUS ROSIUS Liburnenſis, & GODEFRIDUS GRAAFTT Hanſeaticus, Saec. XVIII.

Romae hac ipſa aetate florent, Glyptographicis caelaturis ſedulam operam navantes, Hieronymus Rosius Etruſcus, e Portu Labronenſi, ab omnibus il *Livorneſe* adpellatus; & Godefridus Graaftt Hanſeaticus, qui vulgo *il Tedeſco* nuncupatur. Horum opera non vidi; qua de re nihil mihi dicendum ſupereſt.

ANTONIUS PIHELER Tirolenſis, Saec. XVIII.

Nota mihi non ſunt opera ab hoc Gemmario Scalptore edita; de quo pauca haec adnotat Auctor Diſſertationis Glyptographicae: *Neapoli iisdem operibus gemmarum ſcalpendarum claret Antonius Piheler, annis quindecim circiter, aut viginti optime exercitatus* (2). De ejus ingenio & praeceptoribus quum apud peritos nonnihil ſciſcitarer, narratum eſt, eum in Romana Schola didiciſſe,

(1) Ectypa Imaginum Caeſarum, quibus antiqua numismata imitatus eſt, exſtant in Cimeliis Stoſchianis.
(2) Cap. XXVI. pag. 96.

CA-

CAPUT XIV.

De Langobardica Schola Glyptographica, qui ex ea prodierunt Gemmarii Scalptores exponuntur.

Glyptographicae Artis, quae omnium animos admiratione complerunt, prima prodigia merito tribuenda sunt Opificibus Mediolanensibus, qui virilem ei faciem donarunt, & ad exquisitiorem elegantiam perduxerunt. Laudavimus Ioannem Antonium Rossium Mediolanensem, & Carrionios, qui regnantibus Cosmo I. Francisco I. & Ferdinando, ac Cosmo Magnis Ducibus Etruriae, inter praestantissimos tum Gemmarum, tum crystallorum, vasculorumque pretiosorum fictores, atque Sculptores prima subsellia occuparunt. His alios immortales viros Gemmarios adiungimus, qui non tantum Mediolano, verum etiam Bononiae artium omnium studiorumque matri fecundissimae praeclarum nomen tribuunt, atque editis suis operibus aeternitati commendant. His adde etiam Parmenses, quorum nomina superius celebravimus. Illud dolendum superest, nullum Artificem me legisse ex Langobardicis Scholis, qui saeculo XVII. & hoc XVIII. Glyptographicis artibus operam dederit. Nolim in dedecus aetatis nostrae id verti vitio. Illud maxime cupio, ut quemadmodum Pictores, Statuarii, & Architecti in his Langobardicis, ut aiunt, Urbibus adhuc florent, & sunt magni nominis, omnique ingenii laude praestantissimi; ita etiam & Gemmarii Scalptores pro amplitudine & gloria tantarum Urbium nunc & futuris temporibus vigeant, ac magis magisque efflorescant.

DO.

DOMINICUS Mediolanensis, antonomastice DE' CAMMEI, Saec. XV.

Praeclaris Viris de litteris & artibus, ab ea aetate, qua in Italia renatae ac feliciter restitutae sunt, optime meritis, illud saepenumero adcidisse, nescio quo fato, cernimus, ut, praeter nomen, perpauca notatu digna ad nos pervenerint. Id, quod mirum, praesertim compluribus egregiis Opificibus, & in re nostra praecipuis Gemmariis Lithographis, & quidem frequentius contigisse dolemus; hinc est, quod in hoc saeculo variarum cognitionum, & elegantiarum omnium cupidissimo multi sunt, qui de paucitate monumentorum ad Historiam Thecnicam ornandam adparatumque augendum merito conqueruntur. Multae adferri possunt rationes de tam molesta rerum adnotatione dignarum iactura; sed hae, ut opinor, praecipuae sunt, quia ipsi Artifices in privato Enchiridio, sive Breviario, ea quae faciebant describere, vel ab aliis edita ad posteros transmittenda non curarunt; cui fato vincendo se egregie opposuit celeberrimus VASARIUS, qui monumenta omnia ad eos pertinentia summo labore & studio congessit, eorumque nomina & opera aeternitati scriptis suis consecravit; cuius exempla mox alii egregii Scriptores secuti sunt. Si plura notatu digna de DOMINICO Mediolanensi VASARIUS reperisset, profecto haud tam parcus atque ieiunus de eo ita scripsisset: (1) *Fu suo concorrente* (nempe Dominici Florentini, qui vulgo *delle Corniole* dictus est) *Domenico* de' Cammei *Milanese, che allora vivendo il Duca Lodovico, il Moro, lo ritrasse in cavo in un balascio, della grandezza più d'un giulio, che fu*

(1) In Parte III. Voluminis I. pag. 286.

cosa rara, e de' migliori intagli, che si fusse visto de' Maestri moderni. Igitur ex VASARIO discimus, eumdem DOMINICUM labente Saeculo XV. floruisse; sed praeter descriptam Ludovici Mediolanensium Ducis imaginem, nulla alia opera describit; neque nobis nota sunt pretiosis lapillis ab eo exscisa anaglyptica caelatura ea opera eximia, quae, abrogato eius cognomine, illo antonomastico donarunt, quo *de' Cammei* vulgo propter praestantiam adpellatus est. Quem etiam in hac tam laudabili quam ardua ac perdifficili arte, ea precipue tempestate, praeceptorem habuerit, quosve discipulos in ea instituerit, adhuc nos latet.

IOANNES BERNARDIUS a Castro Bononiensi, Saec. XVI.

Evecta ad exquisitiorem elegantiam & pulchritudinem Arte Glyptographica egregiis conatibus & studiis praestantium Scalptorum Petri Mariae Pisciensis, & Michelini, eorum exemplis factum est, ut in crystallinis tabulis laminisque sculpendis summum gloriae & laudis fastigium adtingerent duo Scalptores praecellentissimi IOANNES BERNARDIUS a Castro Bononiensi, & Valerius Bellius Vicentinus. De IOANNE nunc aliqua adnotabo, quae luculenter a VASARIO (1) memorantur; mox nonnulla ab eo praetermissa subiiciam. Adhuc iuvenis, trium annorum spatio, quo magno in honore fuit apud Alphonsum Ferrariae Ducem, multa edidit praeclari ingenii sui monimenta, exiguae licet molis,

(1) In Par. III. Voluminis I. pag. 286. 287. Sed Vasarius familiae eius nomen silet; nec ipse, adscripto in aliquot suis operibus nomine, illud recenset. Auctor Dissert. Glypt. Cap. XXV. pag. 80. eum gentilitio nomine *Bernardium* vocat.

lis, conſpicua. In ſpecioſiore cryſtalli mole certamen illud celebre, *della Baſtia* nuncupatum, excavatis figuris expreſſit propter opificii pulchritudinem valde laudatum. Paulus Iovius tot egregiorum operum eius ſplendore captus, auctor ei fuit, ut Romam peteret, id gratiſſimum fore ratus magnis clarorum ingeniorum fautoribus Hippolytho Mediceo, & Ioanni Salviato Cardinalibus ampliſſimis. Quemadmodum Ferrariae apud Alphonſum Ducem in numismatis ex aere cudendis effingendisque, atque in eius imagine in chalybe incidenda valde excelluerat; ita etiam Romae in exprimenda CLEMENTIS VII. effigie, & emblemate in eius numismate, aliisque in honorem Hippolythi Medicei, & Caroli V. tum aere, tum chalybe auroque expreſſis adeo placuit, ac tam celebre nomen adeptus eſt, ut pro Pontifice Maximo in quatuor clypeis, ſive orbibus e cryſtallo, quatuor Evangeliſtas protulerit, quod opus magnopere omnes commendarunt. Recuſatis honoribus & pollicitationibus Caroli V. qui eum apud ſe habere cupiebat, Romam reverſus, praeter emblema illud cryſtallo inſcalptum, in quo exhibuit Darii Regis filiam oblatam Alexandro Magno, quod iubente Cardinali Hippolytho fecerat; raptum quoque Sabinarum in cryſtallo effinxit, deditque eidem Purpurato, a quo honorificentiſſime multis muneribus, ac praeterea torque inſigni, e quo ſtupendum Cameum pendebat, dum in Gallias proficiſceretur, ſpectantibus multis nobiliſſimis viris, qui eum ſalutatum venerant, aeternum amoris & patrocinii ſui pignus accepit. Huiusmodi, ut aiunt, Cameo potitus eſt Cardinalis Farneſius, mortuo Hippolytho; pro quo immenſi operis e cryſtallo Crucem, Crucifixi imaginem multis ſimulacris & emblematis,

quae

quae a VASARIO describuntur (1), itemque candelabris ornatissimam perfecit. Arculam argenteam quum idem Cardinalis Farnesius Marino Aurifici Florentino locasset, praecepit ut spatia operibus crystallo incisis, itemque emblematis e Mythica Historia selectis quoquoversum tota locupletarentur a IOANNE, qui eam pretiosis quoque lapillis, signisque argenteis adeo insignem mira celeritate, atque ingenii acerrimi praestantia fecit, ut artis miraculum censeretur. Ornamenta omnia & historias huius arculae ab eximio Perino del Vaga, aliisque egregiis Pictoribus delineatas, fusius describit VASARIUS, quem adeat eruditus Lector. In duobus crystallis exitum captae Goletae, & bellum Tunetanum expressit. In quatuor e crystallo laminis sacras nati ac patientis Salvatoris historias mira arte & peritia exhibuit. Quum divinus Bonarrotius Mediceo Cardinali Hippolytho dedisset a se delineatum schema, in quo admirando opere pinxit Titium, seu potius Prometheum catenis scopulo adfixum, cuius cor comedit vultur; hoc ipsum emblema multo opificio crystallo incidit IOANNES. Huius scalpturae, quae latitudine uncias tres ovali figura excedit, ectypum e rubro sulphure apud me exstat, in quo primis tantum litteris nomen suum ita inscripsit: IO. C. B. *Ioannes Castri Bononiensis*. In Museo ditissimo ac celeberrimo Stoschiano vidi Bonarrotianum schema ab eo delineatum, sive huius excellentis operis prototypum; sed ab hoc tantopere superatur IOANNIS opus, ut si invicem haec opera accurate observata conferantur, longe eminere Bonarrotii ingenium multo, sed vero stupore quisque fatebitur. Prae-

(1) Loco superius citato.

Praestantissimum hoc Bonarrotianum prototypum Cl. Stoschius Florentiae apud Nobilem Virum invenit, & ab eo dono accepit. Iussit etiam idem Cardinalis veterum elegantiarum, & miraculorum artis peritissimus aestimator, ut Ioannes, ex alio Bonarrotiano schemate delineato, crystallo inscalperet Phaetontis fatum, a Sororibus in arbores conversis defletum; in quo exhibendo omnes ingenii vires Ioannes ostendit; cuius item sulphureum ectypum ex Andreiniis Cimeliis in mea migravit. Hoc ipsum opus delineavit Bonarrotius, curavitque, ut in aerea tabula peritissime incideretur; in quo schemate ad pompam arbores adiectae sunt. Quantum Ioannes a Castro Bononiensi in effingendis Principum vultibus longe simillimis excelluerit, duo exempla ex illustri Smithiana Dactyliotheca contemplanda proponimus in Tabulis XCVIIII. & C. In altera exhibetur imago Margaritae Austriacae, filiae Caroli V. Caesaris Augusti, quae, mortuo Alexandro Medice Florentinorum Duce, cui nupserat, tunc uxor erat Ducis Octavii Farnesii, quam faberrime Chalcedonio inscalpsit Ioannes, ne palmam cederet Valerio Vicentino, cui idem opus demandatum fuerat. Quantum operis vestes, & capillorum elegans ornatus contineant, omnes vident. In altera habes virum fama nominis ac rerum gestarum laude praeclarissimum Ioannem Balleonium, quem pariter Chalcedonio inscalpsit, imagine decoris & dignitatis plena. Tot editis operibus, & congestis divitiis clarus Ioannes anno sexagesimo aetatis suae Faentiae obiit anno CIↃ. IↃ. LV.

FRANCISCUS FRANCIA Bononienſis, Saec. XV. & XVI.

Mirabile fuit FRANCIAE Bononienſis ingenium, & ad ardua ac pulchra quaeque opera capeſſenda valde pronum, atque paratiſſimum; quod in eius Vita aperte oſtendit VASARIUS; quem cum Caradoſſo de gloria & praeſtantia in abſolvendis imaginibus in numismatis contendere potuiſſe adfirmat. Floruit labente ſaeculo XV. eximius Aurifex, Sculptor argentarius, Caelator, encauſticae artis peritus, numismatum fictor & cuſor laudatiſſimus, Pictor magni nominis, qui ſua tempeſtate a ſolo Raphaele Sanctio Urbinate ſuperatus, ut id ſuis oculis doctus iudex conſpexit, animi maxima perculſus aegritudine anno CIↃ. IↃ. XVIII. in patria ſua mortuus eſt. Quod & Gemmis ſcalpendis operam dederit, colligimus ex Cl. VICTORIO, qui de eo ita ſcribit: (1) *Franciſcus Francia picturae laude celebratur, gemmarumque & numismatnm ſculptura.*

PROPERTIA Io. Martini DE ROSSIIS Mutinenſis F. & THOMAS VAGHIUS, Saec. XVI.

Quamvis mira prorſus habeatur humani ingenii praeſtantia, nilque arduum & difficile ſit, quod homo arte & meditatione ſua non poſſit perficere; haec tamen laus, etſi rara, minime etiam feminis deneganda eſt, quae, ſi optimis artibus dent operam, cum hominibus de praeſtantia & gloria certare poſſunt. Huius rei exemplum eſſe poteſt PROPERTIA Ioannis Martini DE ROSSIIS Mutinenſis Filia, quae ſexum vicit atque aetatem, & multarum artium opificio mirifice ſua aetate excelluit.

(1) Diſſert. Glyptogr. Cap. XXV. pag. 80.

luit. Sciebam Mutinenses complures numerari egregios Pictores, Sculptores & Architectos; sed quum inter eos Scalptores quoque Opifices multa nominis laude floruisse suspicarer, & memoratos non invenirem; de hac re scripsi ad Clariss. Virum Dominicum Vandellium amicum meum in litterario orbe ob edita praeclari ingenii monumenta celebrem, qui mihi consulenti epistola sua scripta V. Kal. Maias huius anni MDCCLIII. ita respondit: quam responsionem eius ipsissimis verbis, honoris causa, proferre libet: " Molti eccellenti
" Pittori, Scultori, ed Architetti ha prodotto questo
" nostro Paese; ma quasi niuno, ch' io sappia, è riu-
" scito nell' arte d' incidere Cammei e Gemme. Vi è
" ben stata una tale PROPERZIA f. di Gio. Martino de'
" Rossi Modanese, Scultrice famosa; quantunque il Viz-
" zani nel Lib. XI. delle sue Storie, ove sotto l' anno
" 1533. riferisce la sua morte, la chiami Gentildonna
" Bolognese, la quale per le sue maravigliose opere
" in duro marmo, da lei con dotta mano intagliate,
" meritò di esser celebrata fra i più degni Scultori del-
" la sua età. Anche il Vasari a c. 176. la fa Bologne-
" se. L' Alidosio però nel Libro intitolato *Instruzione*
" *delle cose notabili di Bologna*, descrivendo a c. 147. la
" gran facciata della Chiesa di S. Petronio, fra le al-
" tre cose maravigliose, dice esservi le Porte historia-
" te per mano di eccellenti Maestri, & alcune di PRO-
" PERZIA figliuola di Giovanni Martino Rossi da Mo-
" dena. Questa PROPERZIA nacque veramente da Padre
" Modanese; ma per la sua lunga dimora e virtù si
" acquistò la Cittadinanza Bolognese. Lo stesso Vasari
" per esprimere il suo valore e destrezza d' ingegno
" in molte arti e scienze, dice, *che si messe ad intaglia-*

re

re nocciuoli di pesche, o siano persichi, i quali sì bene, e con tanta pazienza lavorò, che fu cosa singolare il vederli, non solamente per la nobiltà del lavoro, ma per la sveltezza delle figure, che in quelli faceva, e per la delicatissima maniera certamente era un miracolo vedere sopra un nocciolo così piccolo tutta la Passione di Cristo fatta con bellissimo intaglio, con un' infinità di persone, oltre li Crocifissori, e gli Apostoli.
„ Seguita il Vasari a descrivere, com' ella fece poi una
„ parte dell' ornamento delle tre Porte di S. Petronio
„ tutta a figure di marmo. Si diede anche ad intaglia-
„ re stampe in rame con gran lode, e fece molt' altre
„ cose; e finì di vivere in Bologna nel 1533. e fu sep-
„ pellita nell' Ospitale della Morte. "

Sed quoniam extra choream aliquantulum vagari mihi, aequus Lector, non negabit, reliqua etiam quae subiecit idem doctus Vandellius adferam, quae cultores veterum elegantiarum non parum oblectare possunt. "Niccoletto, detto da Modena, fu insigne
„ e valente Incisore in Rame. Le sue Carte vanno le-
„ gate con quelle di Alberto Duro, di Luca di Olan-
„ da, del Tintoretto, e di altri uomini di mirabile in-
„ gegno, che fiorirono dal 1500. al 1530.
„ Niccolo' Cavalarino fu effigiatore famoso di
„ bassirilievi. Molte delle sue opere si conservano tut-
„ tavia ne' Gabinetti, e Gallerie di gran Signori come
„ cose preziose, ed in particolare di questa Serenissima
„ Casa d' Este. In una medaglia d' argento effigiò Carlo
„ V. Imperadore, e coll' occasione del suo passaggio per
„ Modena, quando andò a farsi incoronare nel Novem-
„ bre 1529. a Bologna, gliela presentò in dono, e gli
„ fu gratissima. Ed oltre l' onore e lode ne riportò un
„ gran premio. "

" Ugo

„ Ugo da Carpi, primo inventore delle ſtampe di „ legno di più colori fioriva nel 1510. Di lui ne parla „ il Vaſari ed altri. "

„ Girolamo Cavalarino, Diſcepolo di Domenico „ Carnevali Pittore, fu eccellente in ogni arte, che „ richiegga diſegno; cioè s'eſercitò in legno, in mar- „ mo, nel dipignere, nel bolinare, ed intagliare in „ ferro, principalmente nelle armi da offeſa, in cui „ ebbe pochi pari per la finezza. "

" Paolo Selvatico fu eccellente Fonditore, e Zec- „ chiere. Servì ſotto Alfonſo II. Duca di Ferrara e „ Modena, Ceſare Duca di Modena, e Ranuccio Duca „ di Parma, ove finì di vivere in età di 59. anni. „ Il ſuo cadavero fu traſportato a Modena, ed ebbe „ ſepoltura nella Chieſa del Carmine li 28. Novem- „ bre 1606. Il ſuo valore ſi può dedurre dal conio „ delle monete di oro, e di argento, e metallo, del- „ le quali ancora parecchie ſe ne conſervano.

„ Trovo memoria, che ancora vi è ſtato un Tom- „ maso Vaghi Intagliatore in gioie; un Giacomo „ Chiavenna Oreſice eccellente, il quale dopo eſſere „ ſtato lungo tempo in Roma, tornò alla Patria, e „ a lui ſubito dalla Corte fu commeſſa l'opera d'una „ Caſſetta tutta effigiata di baſſirilievi e ſtimata de- „ gna di eſſer mandata in dono al Duca di Savoia. „ Morì di peſtilenza, che attaccò queſta Città nel 1630.

„ Luigi Nichini (o Anichini) Ferrareſe, famoſiſ- „ ſimo Scultore di pietre prezioſe, volgarmente Cam- „ mei. Fiorì nel XVI. Secolo. Lavorò in Roma, in „ Venezia, ed in altre Città. Di lui ne parla il Va- „ ſari nelle Vite de' Pittori Parte Vol. I.

„ Alfonso I. Eſtenſe Duca di Ferrara e Modena ec.

„ Di virtù militare, e regie doti adorno, quando si
„ trovava libero dalle cure del suo governo, impie-
„ gava il suo tempo nel fondere artiglierie, e si eser-
„ citava ne' lavori fabbrili, e di scultura, che ottima-
„ mente sapeva. Lavorò armi di diversi generi, e scolpì
„ alcune cose in marmo, e tutte ad eccellenza. Sino
„ sul principio del secolo presente si vedeva in Fer-
„ rara in uno Appartamento della Palazzina di Mar-
„ fisa d' Este collocata nella Giudecca, e di contro al-
„ la Chiesa di S. Silvestro, un Camino di finissimo
„ marmo bianco lavorato tutto di mano del detto Al-
„ fonso, nel quale erano migliaia di fiori, e frondi,
„ scolpite con nobiltà, e squisitezza di lavoro. Fu poi
„ levato da Ferrara, e trasportato in Toscana d' or-
„ dine de' Duchi di Massa e Carrara. Delle Artiglie-
„ rie, e particolarmente di uno sontuoso pezzo detto
„ *il gran Diavolo*, ne cantò l' Ariosto nel Furioso:

Il gran Diavol, non quello dell' Inferno,
Ma quel del mio Signor, che va col fuoco
Ch' a Terra, Ciel e Mar si fa dar loco.

MARCUS ACTIUS MORETUS
Bononiensis, Saec. XVI.

Quamvis Poetae, praesertim si spe praemii, & adulatione tangantur, in laudibus fusiores esse plerumque soleant, inque his abundare; tamen si Ioannis Baptistae Pii docti viri auctoritatem carminibus editam amplectamur, fatendum est, Marcum Actium Moretum Bononiensem sui temporis egregium Gemmarum Opificem fuisse; nam ut Chloridem in lapillo effingeret, amice ac studiose ita hortatus est Eleg. XI. Lib. IV. quam

quam nobis propoſuit Auctor Diſſertationis Glyptographicae.

Pirrheici ſecunde nepos, cui priſca Minerva
Corpora in exiguo fingere dat lapide,
Parcarumque colos parvo exorare lapillo,
Qui mortem aeterna vivere ab arte facis:
Si te fama iuvat, merces ſi perpetis aevi,
Si tua poſt cineres caela virere cupis:
Chlorida mi viridem caela; tamen aſpice ne dum
In lapidem, illa tuam ſculpat imago animam:
Quam comitant Paphia centum cum matre volucres,
Mellitisque premens morſibus ora vapor.

Floruit MORETTUS ſedente Iulio II. Pontifice Maximo, initio ſaeculi decimiſexti.

IACOBVS TRECIVS
Mediolanenſis, Sec. XVI.

In ſcribendo gentilitio nomine huius praeſtantiſſimi Lithographi variant inter ſe Scriptores. VASARIUS ſcribit Italice *Iacopo da Trezzo*; quaſi ab aliquo pago nomen acceperit; &, ni fallor, eum confundit, ubi etiam memorat *Coſimo da Terzio*, quo in loco typographi incuria mendum inrepſiſſe videtur, quum ſcribendum eſſet *Iacopo da Trezzo*. Franciſcus Victorius Ill. Equeſtris Ordinis S. Stephani P. & M. Commendator duos ita cognominatos recenſet (1), Vaſarianum Elenchum ſecutus, *Coſmam de Trezzo*, & *Iacobum de Trezzo*. De Coſma nihil Mariettus, de Iacobo vero complura notatu digna adfert. Neſcio num Coſma Iacobi Trecii, vel Pater, vel frater, aut filius fuerit, quod aliis inveſtigandum relin-

(1) Diſſert. Glyptogr. Cap. XXV. pag. 100.

relinquo. Abrahamus Gorlaeus in ſua Dactyliotheca (1) eum ita nominat, *Iacobus Treccia*. At in epigraphe, quae in hypobaſi ſcripta eſt operis eius perinſignis, ac maximi, quam dictavit Arias Montanus, de qua mox ſermo, inſculptum legitur: *Opus Iacobi Trecii Mediolanenſis*, quae quidem adpellatio vero longe ſimilior videtur; haud enim credibile eſt in regali opere erratum fuiſſe in vero eius nomine, & cognomine adnotando ad poſterorum memoriam; quam quidem ipſe ſequi malui. Quia vero in his nominibus, quae plerumque geminatis litteris pronuntiantur, altera ſupprimi ſolet, ita crediderim pro TRECCIVS ſcriptum fuiſſe TRECIVS; atque adeo quia Italico ſermone C per Z, & vice verſa efferri ſolet, unde *Treccio* ea tempeſtate *Trezzo*, ut opinor, dici conſuevit. Hinc & in numis maximi moduli ab eo faberrime elaboratis in honorem Philippi II. Hiſpaniarum Regis, atque etiam eius Coniugis Auguſtae, legitur: IACOBVS TREZZA fecit.

Sed antequam huius eximii Artificis in lapidibus pretioſis incidendis, conſtruendisque, praeſtantiam ſpectemus, memorare lubet, eum & in numiſmatibus cudendis perficiendisque laudatiſſimum extitiſſe. Cl. Mariettus unicum, ſed inſigne exemplum adfert, laudatque numiſma, in quo ſcriptum eius nomen cum anno CIↃ.IↃ.LXXVIII. in quo affabre expreſſa Imago Iohannis De Herrera Architecti Philippi II. Hiſpaniarum Regis, qui in magnifico Eſcurialis Aedificio extruendo, Iohanni Baptiſtae de Toledo ſucceſſerat. In his numismatis, quae eum inventorem oſtendebant, eum magis excelluiſſe, quam

(1) Pag. 10. primae edit. quae prodiit anno MDCI.

quam in exprimendis antiquis rarioribus, adnotat idem Mariettus.

Quemadmodum evenire videmus ut orto Sole ad eius immenſam lucem contemplandam omnium gentium oculi rapiantur, vel, ſi eam ferre non poſſunt, vicina editiora loca ab eius ſplendore conluſtrata, atque inluminata ſumma animi voluptate conſpiciunt; ita etiam ubi ſummi viri vel litteris vel artibus praecellentes ingenio ſuo omnia conluſtrant, illud plerumque accidere ſolet, ut non homines tantum, verum etiam Principes & Reges in admirationem rapiantur, ſi optimarum artium ſint cultores, atque aeſtimatores perſpicaciſſimi. Huiusmodi decus nactus eſt, virtute ſua duce, Iacobus Trecius Mediolanenſis, qui in Gemmis ſcalpendis, imaginibusque ſpiranti ore ad viventium exemplum, atque abſolutiſſimam ſimilitudinem exprimendis e pretioſis lapillis, tantam nominis famam tota Europa adeptus fuerat, ut eum Hiſpaniam adciverit Philippus II. Catholicus Rex generoſiſſimus. Hic Trecii mentem manumque omnium admirandorum operum capacem, ac mirifice inſtructam peritamque quum vidiſſet, ſtatuit alterum Orbis miraculum Eſcurialis regium domicilium efficere, quare ei praecepit ut Altare maius in Eccleſia eius Monaſterii dedicandum, magnificentia ſua, & animi magnitudine dignum, parque extrueret, ornata luculenter eius aedicula columnis, baſibus, capitulis, epiſtyliis, omni denique architecturae ornatu, e ſumptuoſis, ac pretioſis lapidibus, ac gemmis, mole atque opificio ſtupendis, & quod perpetuo laudandum eſſet, & quidem ex his lapidibus, quae e pretioſis Hiſpaniae fodinis eruuntur. Genio magnanimo tanti Regis ſatis Trecius fecit, immenſumque opus

mira celeritate ; ingenio opificioque excellentissimo perfecit, & spatio annorum septem, stupentibus Hispanorum animis, quod raro evenire solet, absolvit (1). Opus probavit Rex, iussitque ut haec epigraphe ab Aria Montano composita conspicuo Altaris loco ad perpetuam memoriam, nempe in hypobasi eius Aediculae incideretur:

JESU CHRISTO
SACERDOTI AC VICTIMAE
PHILIPPUS II. REX D.
OPUS JACOBI TRECII MEDIOLANENSIS
TOTUM HISPANO E LAPIDE

Has laudes, quae Iacobo Trecio tribuendae sunt, Vasarius Cosmae Trecio, sive *de Trezzo*, memoria, ut opinor, lapsus tribuit, qui de hac Ara maxima, deque eius Aedicula (quam nos Itali *Ciborium* dicimus) nihil memorat; sed narrat Cosmam in incidendis lapidibus, & gratiam, & honores maximos a Philippo II. Hispaniarum Rege consecutum esse: Iacobum vero ita mox laudat, ut vix egressum e patrio tecto Mediolanensi suspicari possimus. Sed in hac Artificum confusione eidem Vasario magno viro parcendum, vel in describendis hisce operibus eius adiutori menda tribuenda sunt. Cl. Mariettus in suis Cimeliis se habere gloriatur imaginem eiusdem Philippi Regis Chalcedonio, egregio exstanti opere, excalptam, quam eius auctori tribuit Iacobo Trecio, fretus quibusdam coniecturis suis. Alteram insignem gemmam, nempe Saphyrum album adfert in Tab. CXIX. Vol. II. ab eodem Trecio insculptum, in quo protome eiusdem Philippi Hispaniarum

(1) Vide librum ita inscriptum: *Descripcion del Escorial por Fr. los Santos*, pag. 27.

niarum Regis, & Caroli Infantis eius filii cum epigraphe in ambitu: PHI. REX. HISP.---CARO. PHIL. FIL. 1566. hisce barbaris numeris.

Laudat inter alios Auctores perceleb rem Treccium Leo Allatius in Animadversionibus suis in Antiquitatum Etruscarum fragmenta edit. Romae anno MDCXLII. pag. 49. hoc elogio: *Primus Iacobus Treccia, si non fallit Antonius Guevara, Gentilitia Stemmata Philippi Hispaniarum Regis (Adamante) insculpsit.* Sed quoniam heic incidit sermo de Regum, ac procerum Gentilibus Stemmatibus (vulgo *Armi*) sculptis a Gemmariis Lithographis, haud ab re erit, erudita quaedam de huiusmodi apud veteres usitata caelatura, eiusque origine ex eodem Allatio adferre, quae, quia liber heic memoratus perrarus est, viris doctis Antiquitatis cultoribus haud displicere posse arbitror.

Augustus, inquit Allatius, *apud Suetonium in Diplomatibus libellisque, & epistolis signandis initio Sphinge usus est; mox imagine Magni Alexandri; novissime sua, Dioscoridis manu sculpta; qua signare consequuti quoque Principes perseverarunt: apud Ciceronem in Catilinam Lentulus sigillum habuit, in quo erat insculpta imago Avi sui: apud Plinium lib. 37. cap. 1. Plutarchum in vita Syllae, Valerium Maximum Cap. 15. lib. 8. Sylla Dictator sigillum, in quo imago Iugurthae vincti. Maecenas praeterea, referente Plinio, Ranam in signo habuit: Pompeius Magnus Leonem Ensiferum insculptum in gemma, ut scribit Plutarchus: Galba, ex Dione, signatorium habuit annulum maioribus suis familiarem, cuius erat sculptura, Canis e prora se proclinans. In Seleuci annulo anchora affricta visebatur, cuius imago in femore pastoris familiae native adparuit. Tradit Iosephus Antiq. Iudaic. lib. 12. cap. 5. Darium Aquilae sigillo draconem unguibus tenentis usum fuisse; Macrianorum*

rum familia Alexandri Magni ; Reges Persarum Cyri, aliquando Darii ; Epicuro addicti, Epicuri imagines in annulis habebant. Plinius Iunior Quadrigam se in signum adhibuisse saepius memorat. Illa etiam antiquiora, David, ut Gregorius Tholosanus scribit lib. 6. de Republica cap. 16. Leonem in annulo insculptum gestavit, quem postea Reges Iudae secuti sunt. De Annulo signatorio Iosephi, vide Gretserum de Cruce tom. 1. lib. 4. cap. 8. Servianorum Dardanorumque Regum Insigne olim fuisse caput Apri sagittam mordicus tenentis, Stephanus Zamosius refert in Analectis Lapidum Vetustorum. Et quamplurima alia.

Sed quid haec ad rem? Imagines illae in annulis, vel sigillis exculptae, non erant Arma, neque arma a parentibus accepta, quae postea successoribus haeredibusque traduntur, sed ex arbitrio utentis, ad varias animi sententias exprimendas, tantummodo pro eo tempore signa usurpata: idque ex iisdem Historicis, qui similia referunt, ne desipere velimus, colligi manifesto potest. Et Georgius Longus libello satis erudito de annulis signatoriis ex Plinio, Macrobio, Meursio, aliisque colligit, in Annulis Antiquorum primum nudas litterarum notas, mox in usu sculpturam fuisse in ipsa materia non in gemmis ; sed luxu succrescente obsoletis litteris, gemmas sculpturas passas esse : primumque Superiorem Scipionem Africanum in Sardonyche auro inclusa, quod sola gemmarum ceram non auferret, stylum exacuisse tradit ; licet hac nostra aetate, & Achates, & Onyx, & Sarda, & Adamas, in quo primus Iacobus Treccia.

CLEMENS BIRAGUS Mediolanensis, Saec. XVI.

Eodem tempore, quo Iacobus Trecius Mediolanensis, de quo diximus, apud Philippum II. Hispaniarum Regem pretiosis lapillis scalpendis, atque ad aedificiorum ornatum construendis compaginandisque egregiam nava-

navabat operam, florebat etiam multa virtutis ac praestantiae suae laude apud eumdem Catholicum Regem CLEMENS BIRAGUS Mediolanensis; cui difficilem ac maxime arduam adamantis caelandi artem (1) tanquam inventori famigeratissimo tribuit, multorum Scriptorum fretus testimonio, spectatissimus MARIETTUS. Sed ABRAHAM GORLAEUS hanc gloriam tribuit Iacobo Trecio his verbis, quae minime praetereunda censui: (2) *Nec ullum fuit lapidis pretiosi genus, modo aut scalpro, aut caelo corrumpi posset, quod antiquis illis luxuriae magistris intactum sit relictum. Soli adamanti ob indomitam, ut credebatur, duritiem parcitum; sed hunc quomodo vitiaret aetas etiam nostra reperit, primusque huius inventi author celebratur Mediolanensis quidam Iacobus Treccia, qui Philippi Hispaniarum Regis gentilitia insignia adamanti summa arte insculpsit.* GORLAEI opinionem secutus est Cl. Philippus Baro de Stosch (3). Sed pro CLEMENTE BIRAGO huius mirabilis opificii inventore militant ac pugnant CLUSIUS Physicus & Botanicus praestantissimus (4), qui eum Matriti se cognovisse adfirmat, dum erudite peregrinaretur anno CIϽ. IϽ. LXIV. & PAULUS LOMATIUS eidem coaevus (5), qui de hoc eius invento scripserunt, & fortasse nullum dubitandi locum relinquunt, etsi de opificii elegantia non constet. Verum expendenda accuratius tempora, & Scriptorum adlata testimonia, nempe quo praesertim anno haec contigerint. Adamanti inscalpsit CLEMENS BIRAGUS imaginem Caroli Hispa-

Ppp

(1) De arte scalpendi adamantes, qui adamante domantur ac vincuntur, vide egregiam Dissert. Glyptogr. Cap. XXVIII.
(2) In Proloquio ad Dactyliothecam suam mihi pag. 10. edit. CIϽ. IϽ. CI.
(3) Vide in Praefat. ad Gemmas ant. cael. Scalptor. nom. insign. pag. 16.
(4) Adfertur Clusii epistola in Historia Domini de Thou T. XV. pag. 321.
(5) In Libro cui titulus: *Idea del Tempio della Pittura*, pag. 152.

ſpaniarum Regii Infantis, quam hic Princeps veluti pignus amoris ſui mittendam decreverat Annae Archiduciſſae filiae Imperat. Caeſaris Maximiliani II. nuptiali connubio ſibi iungendae; cuius iuſſu idem Artifex adamanti inſcalpſit regia Hiſpanorum Regum ſtemmata gentilitia, quibus idem Regius Infans pro ſphragismate ad obſignandum uteretur. Quanquam tam mirabilis inventi gloriam non denegem Clementi Birago, tamen erit fortaſſe aliquis, qui exiſtimet alterum alteri in his operibus vel conſilio, vel manu opem tuliſſe; quum utrumque patriae & gloriae amor arctiſſimo neceſſitudinis vinculo coniungeret, atque in eadem Aula ſummo in honore ſimul verſarentur, & auguſtum Genium Principum, quibus ſerviebant, ſibi demereri certarent. Pugnandum nunc a me eſſet pro Florentinorum Opificum Gemmariorum gloria, qui & ipſi de primatu certant, ſibique hanc palmam vindicant. Nam indubitatum eſt, adamantem pro nuptiali anulo, quem in Florentinis officinis inſcalpi iuſſit Franciſcus I. traditum ab eo eſſe anno CIↃ. IↃ. LXV. Reginae Ioannae Sponſae ſuae; quia vero multis Inſignibus ſimul iunctis inſculptum eſt, tantum opus non videtur tam brevi temporis ſpatio abſolvi potuiſſe; adeoque ſaltem anno CIↃ. IↃ. LXI. vel LXII. incoeptum fuiſſe; quare vel aequo marte pro utrisque ſtabit victoria, vel palma parvo aliquot menſium ſpatio concludetur, utrisque tribuenda. Haec certamina aliis felicioribus auſpiciis & monumentis proferendis dirimenda relinquimus.

FRANCISCUS TORTORINUS, & IULIANUS TAVERNIUS Mediolanenſes, Saec. XVI.

Ex dictis adparet, quam ferax fuerit ſummorum inge-

geniorum, praeſtantiumque Artificum clara Metropolis Mediolanum. His addendi egregii Gemmarum Scalptores, Sculptoresque multorum vaſculorum e montana cryſtallo, qui ea ferme tempeſtate claruerunt, Franciscus Tortorinus, & Iulianus Tavernius, qui editis operibus aeternitatem nominis ſunt conſequuti. (1)

HANNIBAL FONTANA Mediolanenſis, Saec. XVI.

Praeſtantiſſimarum Artium, praeſertim Picturae & Sculpturae, fontem praecipuum, quin etiam parentem eſſe Graphices ſcientiam, iam apud omnes in comperto eſt, & pluribus invictiſſimis argumentis ac rationibus adſtruit, oſtenditque evidenter celeberrimus Georgius Eques Vaſarius in Praefatione laudatiſſima ſui Operis. In Sculptoria arte ut ceteris emineret Hannibal Fontana Mediolanenſis diu multumque adlaboravit, qui aevo ſuo inter praecellentiſſimos Statuarios habitus eſt; de primatu vero & gloria in ſculpendis marmoreis anaglyphis, ac ſimulacris cum Stoldo Laurentio Florentino certavit, ſimulque pulcherrimis operibus ornarunt Eccleſiam recenter exſtructam S. Mariae S. Celſi apud Mediolanenſes laudatiſſimam, apud quos obiit anno CIƆ. IƆ. LXXXVII. aetatis ſuae quadrageſimo ſeptimo, in qua Eccleſia tumulatus eſt. Excelluit etiam in ſignis ex aere fundendis; ſed ſtudia, quibus primum litavit, fuere Achates, Sardae, Smaragdi, Saphyri, aliique pretioſi lapilli, in quibus incidendis quantum in Graphice ſtudii, quantumque laboris & lucubrationum inſumſiſſet, perſpicue oſtendit. In cryſtallinis tabulis incidendis peritiſſimum fuiſſe oſtendit vir egregius Raphael Borghinius Florentinus in ſuo de Pictura

(1) De his conſulendus Petrus Mariettus in laudato ſuo Opere.

ctura & Sculptura limatiſſimo Tractatu, cui titulum fecit *il Riposo*, e quo hoc ipſum elogium proferimus (1). Memorantur inter eius eximia opera Vaſcula duo e cryſtallo montana, quorum altero incidit quatuor anni tempeſtates, figuris dimidiam palmi partem aequantibus, interpoſitis duobus Gorgonum capitibus; in altero vero ovalis formae, Iaſonis hiſtoriam aureum vellus acquirentis expreſſit. Inter alia laudatiſſima opera ab eo cryſtallinis tabulis quadratis inciſa, iure ac merito celebrantur duae arculae: in priore ſex erant thematibus ex Hiſtoriis veteris Teſtamenti deſumtis tabulae. I. Adam & Eva eſu vetiti pomi peccantes, & circa eos multa animalia. II. Noe cum arca. III. Moyſes a Deo legem accipiens cum populo Iſraelitico. IV. Abraham filium immolans. V. David Goliath necans. VI. Transmigratio Hebraeorum e Babylonica ſervitute. At in maximo cryſtallino eiusdem arculae bipalmari operculo ovalis figurae, mundi creationem fabermime inſcalpſit, figuris dimidiam palmi magnitudinem aequantibus. Hanc arculam ſex aureorum millibus ſibi comparavit Guillelmus Elector, Vindelicorum Princeps, huiusmodi elegantiarum aeſtimator & cultor cupidiſſimus. Alteram arculam ornavit duodecim Herculis laboribus, cryſtallinis tabulis in ea inſertis; quae inſignia opera, quam ipſe excelleret ingenio in inventione, quanta ſcientia in diſpoſitione, quanta in caelaturis peritia, & miro magiſterio polleret, perſpicue oſtendunt, atque abunde teſtantur. Ex his intelligi poteſt, quot alia praeclara opera edidiſſet, ſi tam celeri morte, quae magnos homines frequenter rapere ſolet, interceptus non fuiſſet.

CAPUT

(1) Vide Lib. IV. pag. 461. edit. Florent. ann. 1730. veter. edit. num. 565.

CAPUT XV.

De Veneta Glyptographica Schola, qui in ea floruere Gemmarii Veneti Scalptores recensentur.

VEnetae Scholae Glyptographicae nomine omnes Urbes praeclarissimas, quae Venetorum Reipublicae sapientissimo iustissimoque parent imperio, a me comprehenduntur, quae summos quovis tempore Artifices pepererunt. Si non alii recenseri possent, nisi *Nicolaus Avantius*, & *Iacobus* eius Frater Veronenses, *Valerius Bellius* Vicentinus, & *Nassarii* Veronenses, & *Alexander Caesarius*, ut multi credunt, Patavinus; hi soli immortales Opifices, qui celeberrimis operibus non solum Regum & Principum manus, verum etiam Dactyliothecas, & Musea inlustrarunt, satis superque sufficerent, ut Venetum Caelum toto terrarum orbe amplissimis laudibus celebraretur. Verum & alii non pauci in hac mea Historia Glyptographica celebrantur, qui caelandi artes ad exquisitiorem absolutioremque praestantiam evexere, uti videbimus; quibus & inlustres Brixienses, percelebres Opifices, addendi sunt, quos hi qui ante me scripserunt, silentio praeterierunt, vel ignorarunt; nec alii profecto Gemmarii Scalptores deerunt, si ad hanc Historiam paucis abhinc annis auctam, magis magisque ornandam atque locupletandam eruditi homines, de litteris atque egregiis artibus optime meriti, sedulam operam navare voluerint. Minime dubito, adhuc multos praeclaros Scalptores superesse nobis ignotos, qui ad vitam scriptis revocandi sunt, quod votis flagrantissimis opto, ac percupio.

Illud etiam ad laudem Veneti nominis adnotandum

eſt, adhuc in ipſa florentiſſima Metropoli, bonarum artium domicilio, vivere inluſtres Scalptores, adeoque per tria fere ſaecula Glyptographicas Artes perennare; quod tribuendum eſt ampliſſimis ac nobiliſſimis Viris, qui Maiorum more & exemplis ſapientiam, virtutem, merita maximis ſemper praemiis aluerunt, excitarunt, atque etiam mirifice exornarunt.

VALERIUS BELLIUS Vicetinus, Saec. XVI.

Quemadmodum ferro ferrum acuitur, ita & doctorum hominum, ac praeſtantium Artificum ingenia, ſi aemulationis ignibus ſuccenſi exardeſcant, ardua adgrediuntur, ſtudio, cura, labore mira operantur. Habent enim litterae & artes ſua certamina; nec deſunt de gloria certantibus laudum praemia, palmae, coronae, honores, qui eos toto orbe celeberrimos & immortales conſtituant. Quum in gemmis, praeſertim vero in cryſtallis ſcalpendis, inter ſe certarent duo Artifices, ſcalptorum omnium quotquot fuere ac ſunt famoſiſſimi, Valerius Vicetinus & Ioannes a Caſtro Bononienſi, ad ſummum gloriae & praeſtantiae faſtigium Glyptographicam artem, praeeunte fulgentiſſima cum face haemula virtute, perduxerunt. Obſtupeſcunt cultores harum elegantiarum dum conſpiciunt aliquod opus Valerii Bellii tanta cum elegantia exquiſitoque iudicio abſolutum; multoque magis obſtupeſcerent, ſi innumera opera omnia, quae incredibili patientia, elegantia, facilitate, diligentia, ad exemplum veterum monumentorum perfecit, ante oculos ſuos propoſita contemplarentur. Vasarius eum multis laudibus ornat (1), illud-

(1) Scribit eius Vitam, quam vide in Parte Tertia Vol. I. pag. 285. & ſeqq. qua occaſione primus omnium de Gemmariis Scalptoribus diſſeruit.

ludque unum in eo desideratum fuisse adfirmat, ut quemadmodum natura eum in caelaturis vel minimis, vel maximis incomparabilem effinxerat, ita etiam in Graphice praestantissimum effecisset, quo praesidio longe antiquos Scalptores superasset; quandoquidem eos proxime omnium peritissimus vel aemulatus est, vel aequavit. Inter splendidiora eius opera, primum memoranda est Gemma illa eximia, nempe Achates Orientalis exstanti opificio inscalptus, in quo Faustinam Augustam expressit, quam protuli ex Dactyliotheca Zanettiana Tab. XXIII. quae quam sagax eius ingenium, quam mira ars scalpendi facilitate felix in eo fuerit, perspicue ostendit. Si vero ad eius opera crystallis incisa animum vertamus, profecto insignis est arcula illa crystallo incisis pluribus sacris historiis, quae exhibent veneranda Iesu Cristi Vitae & vivificae Passionis Mysteria, quae quum apud me ex archetypis gypso & aere excepta exstent, perlubet ea breviter declarare, quum a Vasario generice, non vero peculiari descriptione laudentur; quibus exprimendis Valerius aliorum egregiorum Pictorum delineationibus usus videtur, quum absolutissimo artis magisterio, summa diligentia, & incomparabili elegantia crystallina haec emblemata omnia, inversa caelatura, ut exstantes adpareant figurae, elaborata sint. Maiores quadratae sex tabulae exhibent, primum Christi Nativitatem, quem quinque Pastores cum donis adcedentes adorant; mox Christi adparitionem Gentibus, quem Magi venerantur. In epistilio aedis, nomen eius ita inscriptum: Valerius Vicetinus. Salvatoris sequitur praesentatio in templo, cuius forma rotunda est, & idem Artificis nomen in eo scriptum. Mox Christi baptismus: Adultera ad Christum adducta, qui digito in ter-

terra ſcribit. In proxima templi fronte ſcriptum eiusdem Artificis nomen. In altera Chriſtus ementes & vendentes de templo flagellis armatus eiiciens: in templo Bellii nomen ſcriptum. In minoribus ſex cryſtallinis tabulis, quae ornant quatuor facies arculae circa operculum, haec myſteria ſculpta ſpectantur. Dominica Coena, & lotio pedum; Chriſtus in horto ad Patrem orans; Iudae proditoris facinus; Dominus noſter ad columnam ligatus & flagellatus; deinde ad Pilatum ductus & traditus ad crucifigendum; idem crucifixus; at in maiore cryſtallo, qua operculum in medio ornatur, figura ſex angulis diſpertita, Redemptore de cruce depoſito, ad ſepulcrum proximum delatio cadaveris exhibetur, addita in exergo ſtupendi operis hac epigraphe: Valerius de Belliis Vicetinus Fecit. Hanc hiſtoriam, quae altitudine & latitudine aequat uncias quinque, claudant & coronant quatuor Evangeliſtae, ſedentes, ſculpti cum quatuor hieroglyphicis animalibus. Arcula haec, quam Clemens VII. dono dedit Franciſco I. quum eius Neptis Aurelianenſium Duci nupſit, pro qua Valerio Bellio aureorum ſcutatorum millia duo dedit, in Mediceo Imperiali Theſauro adſervatur una cum pluribus cryſtallinis Vaſculis ab eo exquiſito opificio caelatis. In altero emblemate orbicularis figurae, latitudine aequantis uncias tres, ſculptae Mulieres adeuntes Sepulcrum Domini, quas Angelus adloquitur, & poſt nomen Valerii expreſſus annus MDXXXII.

Exſtat etiam apud me inſcalpti toreumatis e cryſtallo montana ectypum e gypſo, latitudinis unciarum ſex, trium vero cum dimidia altitudinis, in quo Chriſtus Lazarum quatriduanum e ſepulcro ad vitam revocat.

cat. Duodecim figurae mira omnes diſpoſitione caelatae ſunt. In ſiniſtro ſepulcri latere haec epigraphe : Valerius de Bellis Vi. F. In altero cryſtallino toreumate, cuius ectypum ſervo, Delphicum Oraculum conſulunt octo viri, ſedente Scriba ad verba excipienda parato; ad aram adſtat Pythia Sacerdos cum viris. In baſi ſimulacri ſcriptum: Vale. Vi. Fe.

Alterum Valerii eximium toreuma cryſtallo inſcalptum vidi penes Franciſcum Ricoverium Florentinum, qui hiſce deliciis mirifice delectabatur, in quo quinque Venatores equis inſidentes pugnant, & leonem ac tigrim inſectantibus canibus interimere haſtis & contis nituntur. In exergo Valerius Vicetinus nomen ſuum inſcripſit. Nihil dicam de cryſtallina Cruce, quam divino opere, ut ait Vasarius, inſcalpſit iubente CLEMENTE VII. deque altera Cruce cum duobus candelabris operoſiſſimis, quam ſibi fieri iuſſit PAULUS III. Pont. Max. quae a Vasario deſcribuntur, & a Cl. Victorio multis obſervationibus expenduntur (1); innumeraque tacebo alia opera, praeſertim inſigniora Graecorum & Romanorum numiſmata, quae ſuo incredibili ſtudio & miro opificio multiplicavit; neque ab hiſce laboribus abſtinuit etiam in longiore ſenecta; nam annos natus ſeptuaginta ſupra octo obiit anno CIƆ. IƆ. XLVI. relicta filia, quae & ipſa in Glyptographica arte multa elegantiſſime inſcalpſit.

NICOLAUS & IACOBUS AVANTII Veronenſes, Saec. XVI.

Veronam Athenarum aemulam, atque etiam ei parem, minime abſurdum, ſi quis dicat, exiſtimo, quum in-

(1) Diſſert. Glyptograp. Cap. XXV. pag. 78. & 88.

instauratis in Italia optimis litteris & artibus, viros in his omni laude praestantissimos se habuisse, eosque aliorum beneficio, & patriae gloriae natos se protulisse, atque etiam nunc proferre gloriari iure ac merito possit. Inter primos egregios Gemmarum Scalptores Veronenses a Vasario recensetur Nicolaus Avantius, qui in ea inlustri urbe Scholam aperuit; mox Romam profectus, in qua priscorum Opificum opera regium theatrum ac sedem sibi constituisse fatendum est, in ea dum privatim Gemmas anaglyphico opere, & Sardas, & alios pretiosos lapillos insculperet, tantam adeptus est nominis gloriam, ut eius caelaturae ad varios Principes deferrentur, qui hisce deliciis magnopere delectabantur. Nemo est qui nesciat, quam difficile sit figuras inscalpere in lapide Cyaneo, quem vulgus *lapislazzulo* adpellat: in eo tamen Avantius sculpsit Salvatoris Domini nostri Nativitatem, compluribus figuris praenobile opus & singulare, quod emit Ducissa Urbini. Illud etiam quod eius auget gloriam, memorandum est, ex eius Schola & Galeatii Mondellae prodiisse Matthaeum Nassarium, de quo paullo post dicam, qui elegantioris opificii dignitatem valde perfecit & amplificavit. Nicolai Avantii eximium opus, inter rariora censendum, adfertur in Dactyliotheca Zanettiana a me observationibus inlustrata Tab. 1I. in qua spectanda exhibetur imago Alexandri Magni Macedonum Regis, Achillis specie, pulcherrimis armis induti, ad quem Heroam ipse maternum genus, Velleio teste, (1) referebat; qua singulari Gemma anaglyptice exscalpta nil elegantius & nobilius cerni potest. Memorat Vasarius Pi-

(1) Hist. Lib. I. num. VI.

Pictorem (1) sua aetate celebrem IACOBUM AVANTIUM, qui, ubi differit de Pictoribus Venetis & Lombardis, eum nunc patria Bononiensem, nunc Mediolanensem scribit; in Indice vero rerum notabilium, Veronensem adpellat. Eum quoque egregium Gemmarum Scalptorem fuisse narrat, & coniungit cum Caspare & Hieronymo Miseroniis. De hoc Scalptore, qui vel pater vel frater fuit NICOLAI AVANTII Veronensis, nihil scripsere Auctor Differt. Glyptogr. & MARIETTUS. Si tempora, ad quae respicit VASARIUS, animadvertamus, eum potius NICOLAI AVANTII patrem & praeceptorem fuisse crediderim.

GALEATIUS MONDELLA Veronensis, Saec. XVI.

De Artium splendore & gloria optime meriti censendi sunt non solum hi, qui in iisdem supra ceteros praecellunt, verum & illi qui in tradendis docendisque magisteriis ac modis praestantes discipulos & alumnos educarunt. Utraque laude fulget GALEATIUS MONDELLA Veronensis, qui, utpote in Graphice peritissimus, pretiosos inscalpsit complures lapillos, & inter discentes suos habuit Matthaeum Nassarium, qui eum & Nicolaum Avantium longe superavit. Hi egregii Scalptores Gemmarii, quum in dies se proficere in Glyptographice viderent, minime ausi sunt in Gemmis nomen suum inscribere; quod nostra tempestate tam frequenter factum cernimus, ut qui minus idonei sunt, & in caelaturae opificiis parum versati, temere id facere, & saepe quidem numero, non erubescant. Sunt etiam Scalptores non pauci adeo lucri cupidi, ut vel suis

(1) Nelle Vite dei Pittori &c. in Par. II. Vol. I. pag. 518. & 523. ubi scribit: *E nell' intaglio Iacopo d'Avanzo Milanese, & Gaspero, e Girolamo Misuroni:* leggesi *Miseroni*.

ſuis operibus, vel antiquioribus nomen Graecorum Caelatorum incidant ; in quo ſcribendo plerumque valde errant, & monſtra confingunt, ut alibi oſtendimus. Plurimorum Opificum, qui in ſcalpendis lapillis excelluere Saeculo XVI. & XVII. in meis Cimeliis exſtant ectypa e ſulphure elegantiſſima, olim in Andreiniis, in quibus ſi eorum nomen indicaretur, eorum operum deſcriptionem heic adtexerem; resque eſſet pulcherrima ſcire non tantum eorum nomina, verum etiam quae ex eorum manibus prodierint opera elegantiſſima. Vasarii curis & laboribus vivunt tot eximii Scalptores Gemmarii, quos ipſe laudavit; complures vero nondum nobis noti ſunt, quod de his Scriptores, qui ea aetate vivebant, ſiluere.

Illuſtriſs. Scipio Marchio Maffeius (1) Hieronymum Veronenſem nominat inter laudatiſſimos Gemmarios Lithographos, fratrem praelaudati Galeatii Mondellae, quem nec Auctor Diſſertationis Glyptographicae, nec Petrus Mariettus recenſent.

MATTHAEUS NASSARIUS Veronenſis, Saec. XVI.

Valerio Vicetino, & Ioanni Bernardio a Caſtro Bononienſi coaevus fuit Matthaeus Nassarius, vulgo *del Naſſaro*, Veronenſis, qui cum ipſis recenſendus eſt inter primos, qui artis Glyptographicae fores aperuit, & in ſcalpendis lapillis pretioſis, cryſtalliſque veneres omnes, & qualis quantaque adhibenda eſſet ſolertia, ſtudium, diligentia, ſuorum opificiorum venuſtate & prae-

(1) In Par. III. Cap. VI. *Verona illuſtrata*, pag. 193. ita ſcribit : *Non pertanto nelle raccolte di Ritratti d'uomini illuſtri veggiamo tra quei del buon ſecolo, inſieme co' primi Pittori, e con alquanti eccellenti e dotti Muſici*, Matteo del Naſſaro, Gerolamo, e Galeazzo Mondella, Giacopo Caralio, Niccolò Avanzi, *perchè furono eccellenti Intagliatori di Gemme.*

praeſtantia, ſumma cum laude oſtendit (1). Fuit enim, ut adnotat VASARIUS (2), in Graphice praeſtantiſſimarum artium duce & parente excellentiſſimus, tamque mirabili ingenio praeditus, ut fidibus canere, & Galliarum Regem Franciſcum I. oblectare, eique placere quammaxime potuerit. Praeſtantes Magiſtros Nicolaum Avantium, & Galeatium Mondellam ſuperavit. Inter egregia ab eo inſcalpta opera memoratur a VASARIO Iaſpis viridis, ſanguineis inſperſus guttis, in quo humani generis Reparatorem e cruce depoſitum tanta ſolertia & artis magiſterio inſcalpſit, ut ſanguis e vulneribus Chriſti manans vividus cerneretur; quo opere rariſſimo, laudatiſſimoque, ſoluto ei pretio, potita eſt Iſabella Eſtenſis Princeps. Multis Gemmis admirando opificio exſciſis, adiit Galliarum memoratum Regem Magnanimum Franciſcum I. qui eius virtutem non ſolum laudibus, ſed & praemiis honorificentiſſimis honeſtavit. BENVENUTUS CELLINIUS Florentinus, qui ſolus, ſi gemmis ſcalpendis operam dediſſet, cum eo de gloria primoque honore certare poterat, eum laudat, & in eadem profeſſione ſua praeſtantiſſimum, dum ipſe apud eumdem Regem verſaretur, adpellat (3). Ea tempeſtate conſuetudo illa invaluerat, ut Principes Viri, Optimates, & Proceres nobiliſſimi non ſolum baltheos, & cingulos, & torques, verum & capitis operimenta pretioſiſſimis inſcalptis lapidibus, ac gemmis exſtanti opificio faberrime caelatis, condecorarent. Haec igitur ornamenta plurima Pariſiis perfecit MATTHAEUS, quae

 plu-

(1) De eo ſcribit Ill. Marchio Scipio Maffeius in Par. III. Cap. VI. pag. 193. *Verona illuſtrata*.
(2) In Par. II. Volum. I. pag. 288. & 289.
(3) In Vita ſua, quam Italice ſcripſit, pag. 200. quamvis erraverit Typographus, qui eum *Meſſer Mattia del Naſaro* adpellat.

plurimi aestimabantur. Venerem cum Cupidine expu-ſtra aere effictam, cuius ectypum e ſulphure, eiuſdem opus, apud me eſt. Deianiram, ſeu mavis Iolem, Herculis ſpolia geſtantem pulcherrimo Chalcedonio, ſorte fortuna in flumine invento, veluti ſingulare ſuae artis miraculum perfecit aptans coloribus, opus tamen Rege dignum, perfecit, eidemque Fautori ſuo beneficentiſſimo exhibuit. Primus, ni fallor, inter recentiores aurea ſigna, quae perficit, lapillis a ſe ſculptis decoravit, quibus portatilem ſacram tabulam pro ara Sacelli regii efficeret & ornavit. In patriam reverſum eorum apud ſe adornat Rex, muneribusque ſuis audentius praeſens, & praemiis regia liberalitate eum ornavit. Alia praeſtantiſſimi huius Artificis opera memorat Vasarius, quem adeat eruditus Lector; eumque meritis laudibus ornat Celeberrimus Scriptor Mariette Mariettus (a). Si validis uti poſſem conjecturis, eius opus eſſe crederem inſigniſſimum opus, quod nuper obſervavi in regio Florentino Cimeliarchio, in Gemma Heliotropio duas figuras utrinque exhibens, latitudinis fere unciarum quatuor, in qua divino opere inſculpta eſt Infantum Bethlemiticorum nex, pluribus admirandis rebus, artificiis ornata, & B. Virgo Maria aſello vehit Puerum Ieſum deſcendens in Aegyptum, comitante Sponſo Ioſepho Sanctiſſimo. Verum dicti nomen Artificis, dum matres omnes, & parvuli inter ſicarios milites ululare, ſtupere, flere, & loqui videntur. Hoc opus forte donatum eſt a Maria Medicea Gallorum Regina.

Alterum omnino certum atque indubitatum immortalis Natteri opus ex Sardonyche exiguo affertur a Mariette Tab. CVI. in Vol. II. in qua ſculpta extat

(a) Traité des Pierres gravées, To. III. Sec. V. ...

ditur Constantini Imp. pugna & celeberrima victoria. Nam in volitante vexillo nomen suum ita insculpsit Artifex praestantissimus: O P. N. S. nimirum *Opus Nassarii Scalptoris*, sive *Sculptoris*. Huius praestantiae & raritatis opus aerumnosissimum, qualis, quantusque fuerit NASSARIUS Veronensis, perspicue ostendit. Adfertur etiam ab eodem Cl. MARIETTO Tab. CXVIII. imago admirabili opificio Achati Chalc. inscalpta Francisci I. Christianissimi Galliarum Regis, nudo capite, cum thorace & paludamento, a quo inclito Maecenate ad tantum gloriae fastigium NASSARIUS evectus est.

CLAUDUS, & BRUGIASORZI Veronenses, & alii Discipuli MATTHAEI NASSARII Veronensis, Saec. XVI.

Solent plerumque praestantes Artifices cumulandis pecuniis dediti, vel quieti suae & commodis nimium indulgentes, neminem docere, atque instituere, ut sibi consulant, & curis omnibus vacent: quod quidem ipsi naturae repugnat, & divinis consiliis, legibus, ac civilibus institutis maxime adversatur, quae scientiam sine invidia communicandam docent. Maximis laudibus celebrandus est Matthaeus Nassarius Veronensis, qui exemplo suorum Magistrorum alios egregiae indolis iuvenes concives suos scalpendi peritiam docuit, & suos alumnos fecit, qui a Vasario nominantur; inter quos primus cum laude recensetur quidam Veronensis Aurifex, qui, quod cruribus laboraret, claudus *il zoppo* adpellabatur. Peritum quoque discipulum fecit alterum Veronensem, fratrem Dominici BRUGIASORZI (1), ac praeterea

(1) Vasarius loco citato pag. [illegible] scribit: *Domenico* [illegible] [illegible] *molto* [illegible]. At Auctor Dissert. Glyptogr. scribit pag. [illegible] Cap. XXV. *Fratrem Dominici Brugiasforzi* scribit, nescio quo auctore.

terea duos eius nepotes, aliosque plures Italos & Gallos homines. Fuit Matthaeus vir liberalis, ingenuus, comis, non divitiarum, ſed gloriae, & famae nominis macupidiſſimus; cuius non ultima laus eſt placuiſſe magnopere auguſto Genio Franciſci I. Galliarum Regis, quo defuncto, & ipſe Pariſiis mortuus eſt poſt annum CIↃ. IↃ. XLVII. relictis filiis, qui valde ei diſſimiles fuere.

IOANNES IACOBUS CARALIUS Veronenſis, Saec. XVI.

Romae floruit, operumque ſuorum fama non Italiam tantum, ſed etiam Poloniae ampliſſimum regnum implevit IOANNES IACOBUS CARALIUS Veronenſis. VASARIUS de eo non meminit in Vita Valerii Vicentini, in qua ſibi notos Gemmarios Scalptores commendat; ſed alibi multis eum laudibus celebrat, nimirum in Vita Marci Antonii Bononienſis (1) Chalcographi ſua aetate praeſtantiſſimi; in quo imitando, dum viriculo aereis tabulis incideret, omnem adhibuit induſtriam, omnique ingenii & ſolertiae conatu eius peritiam aemulatus eſt CARALIUS. VASARIUS aeneas ab eo complures egregio opificio inciſas tabulas enumerat, quas, ne inſtituti noſtri limites praetergrediamur, praetermittimus. Direpta Urbe, paullo poſt, quum ingenio maxime polleret, & maiora ſuae virtutis & praeſtantiae monumenta relinquere cuperet, totum ſe dedit ſcalpendis Gemmis anaglypho, & diaglypho opere; nec ſolum gemmis, verum etiam cryſtallis, ac tandem in Architecturae

(1) Loco ſuperius memorato. Sed Cl. Scipio Marchio Maffeius eum tantum nominat, & *Iacobum Caralium* adpellat, praetermiſſo priore nomine, nempe *Ioannis*, Veronae Illuſtr. Parte III. col. 193.

rae operibus mirifice excelluit apud Poloniarum Regem, cuius liberalitate honores, & magna praemia consecutus est; tantumque regiis muneribus profecit, ut in Parmensi ditione ingentem auri summam, ut ex ea lucrum in senectute, reversus in patriam, perciperet, conlocaverit. Amplissimo elogio ita eum celebrat Vasarius, ut fatendum sit, nemini in Gemmis utroque opificio tum exstanti, tum cavato sculpendis secundum fuisse; quem CARALIUM minor a MARIETTO silentio praeteritum, de quo pauca Cl. VICTORIUS (1) adnotavit.

LUDOVICUS ANICHINIUS Ferrariensis, Saec. XVI.

Dum hoc aureo saeculo in Glyptographica arte in Italia plures excellebant Opifices, supra reliquos eminuit LUDOVICUS ANICHINIUS (2) patria Ferrariensis, qui Venetiis vixit, atque in augusta Urbe, sapientiae, optimarumque artium domicilio, praeclara edidit suae artis & scientiae exempla circa annum CIↃ. IↃ. XL. quem suis laudibus ad caelum evexit PETRUS ARRETINUS (3) & GEORGIUS VASARIUS (4), qui eum facile cognovit, atque eius opera contemplatus in lapillis mira subtilitate caelaturae, & ingenii solertia minimis insculpendis adeo excelluisse adfirmat, ut omnium mentes in admirationem & laudes rapuerit. MARIETTUS adnotat eum & in cudendis illustrium Virorum numismatis praestantissimum fuisse, nullo adlato huiusmodi eius artificii auctore, vel teste. De his enim silet VA-

(1) Differt. Glyptogr. Cap. XXV. pag. 80. locum tamen & elogium Vasarii non indicavit.
(2) Perperam ab aliis scriptum legitur *Nichinius* pro *Anichinius*.
(3) Vide eiusdem Petri Arretini Epistol. Tom. IV. pag. 181.
(4) Vol. I. Par. III. pag. 291.

SARIUS, gemmas tantum minimis figuris ab eo exquisito artificio inſcalptas memorans; neque Vir Cl. Rodulphinus Venutus memorat Pontificia Numismata ab eo perfecta; etſi non ita facile negari poſſit, Anichinium, qui miro artificio Gemmas perfecit, & Numismata perficere non potuiſſe; nam & alios Gemmarios utraque laude celebres ea tempeſtate & Nummographos fuiſſe ex hac Hiſtoria perſpicue compertum eſt. Nec Vasarius, nec Mariettus, nec alii, qui poſt eum ſcripſere, gemmas pretioſiores ab Anichinio inciſas enumerant; neque e qua Schola prodierit, quove tempore vixerit, declarant. Sed quum Petri Arretini laudes promeruerit, eidem coaevum fuiſſe dubio procul eſt, atque eo tempore tunc maxime floruiſſe, quo ſcripta eſt ab eo epiſtola ſuperius memorata, quae mihi ad manum non eſt; neque, ut arbitror, a veritate aberravero, ſi coniiciam, regnantibus Clemente VII. P. M. & Carolo V. Caeſare.

Inter alios Gemmarum Scalptores aevo ſuo Romae celebres, quos commemorat Camillus Leonardus Piſaurenſis in ſuo *Speculo Lapidum* (1), laudat Franciscum Nichinum Ferrarienſem, qui, ut obſervat Auctor Diſſertationis Glyptograhicae (2), vel frater eſt Ludovici Anichinii iam laudati, vel fortaſſe idem ipſe, perperam a Leonardo nominatus, de quo alii viderint.

ALEXANDER CAESARIUS, ut fama fert, Patavinus, Saec. XVI.

Quemadmodum Graecia antiqua Pyrgotele ſummo Scal-

(1) Venet. Edit. anno MDXVI. & iterum Pariſiis MDCX. Opus vero, Sacrae Congregationis ab Indice nuncupatae Decreto, iure, meritoque damnatum.

(2) Cap. XXV. pag. 81.

Scalptoriae artis magiſtro ſuperbiit; ita & Italia ALEXANDRO CAESARIO, ſive DE CAESARIBUS, veluti Pyrgotele altero, qui veterum praeſtantium Scalptorum gloriam, ſi non aequavit, certe artis ingenio & conatu admirabili aemulatus eſt, operumque fama nominis immortalitatem ſibi peperit multis laudibus celebrandam. Ut enim Phocionis Athenienſis imaginem anaglypho opere Sardonychi inſculpſit Pyrgoteles, eidem ſummo viro coaevus, quae in Stoſchiano egregio Opere adfertur Tab. LVI. in qua & nomen ſuum inſcripſit; ita & ALEXANDER ad eius exemplum Achati Sardonychi adſimili opere eamdem imaginem exſculpſit; eo tamen diſcrimine, ut Pyrgoteles caput Phocionis ad dexteram Gemmae partem expreſſerit, pallio tecto ſiniſtro humero; ALEXANDER vero collo tenus ſine pectore effinxerit, ad laevam gemmae partem verſo eius capite, opificio plane manſuetiore, ac molliore, ſed dignitatis & gravitatis pleno. VASARIUS poſtquam plurimos Gemmarios Opifices laudavit, ut ad ALEXARDRUM venit, meritorum, eorumque operum iudex peritiſſimus, eum reliquos omnes praetergreſſum adfirmat elegantia operum, praeſtantia, diligentia, ac venuſtate abſolutiſſima, omnemque artium encyclopaediam, ut ita dicam, exquiſitiſſime eum calluiſſe memorat. Adcedit Michaelis Angeli Bonarrotii oraculum, qui dum contemplaretur numiſmata ab ALEXANDRO mira arte abſoluta, ac praeſertim illud in honorem PAULLI III. P. M. cuius effigies viva videtur, poſtica vero exhibet Alexandrum Magnum pedibus ſummi Sacerdotis Ieroſolymitani provolutum, eumque adorantem, exclamaſſe ait VASARIUS (1), poſtremam veniſſe artis horam, videlicet non plus ultra,

(1) Primi Vol. Par. III. pag. 291. Flor. Edit.

ultra, quum ipse ALEXANDER ad supremos elegantiae & perfectionis terminos pervenisset. Numisma describitur & adfertur a Cel. BONANNIO S. I. (1), a Clarifs. RODULPHINO VENUTO illustratur Num. XXXII. pag. 85. & qua occasione sit cusum adnotatur. Interdum Graecorum Artificum more nomen suum ita inscripsit: ΑΛΕΧΑΝΔΡΟΣ. ΕΠΟΙΕΙ. Sed quod ad Historiam nostram pertinet, tanta ALEXANDER CAESARIUS polluit arte, iudicio, praestantia in Gemmis sive diaglyphico, sive anaglyphico opere scalpendis, ut cognomento *Magister Graecus* ab omnibus adpellatus fuerit. Quo vero auctore MARIETTUS proferat, eum in Graecia natum fuisse, mente non adsequor, atque idcirco ait cognominatum Magistrum Graecum. Verum, quae Italis ingeniis debetur laus, minime deneganda est; nam eum fuisse *Alexandrum Bassianum Patavinum* tradunt Viri Cl. MOLINETIUS (2), & VENUTUS loco citato. Cognomentum *de Caesaribus* accepisse autumo fortassis ab illustri familia de Caesaribus, cuius auspiciis & liberalitate his artibus a teneris unguiculis operam dedit, atque in his valde praecelluit. Complures Gemmas ab eo inscalptas, sculptasque exstanti opere laudat VASARIUS, inter quas hae potissimum primas tenebant, in quarum altera sculptus leo cum puero, in altera vero femina nuda; in Sarda incisum caput Henrici II. Regis Christianissimi, quam imaginem iubente Cardinali Farnesio absolverat (3); quod vero artis miraculum censebatur, erat Phocionis Atheniensis caput Achati Sardonychi, ut diximus,

(1) Numism. Pontif. Rom. num. 33. pag. 199.
(2) In Praefat. ad Histor. Pontificum Rom. per Numismata.
(3) Mariettus memorat alteram Sardam, sed exstanti opere scalptam cum eadem imagine Henrici II. Christianifs. Regis, in qua etiam inscalptum litteris graecis Alexandri nomen, quod opus ait servatum in Cimeliis Croatianis.

mus, exſcalptum; quo opere nobiliſſimo ſuperbit Dactyliotheca Antonii Mariae Zanettii Veneti V.C. quod a me deſcriptum vide Tab. III. pag. 5. (1)

Praeclara alia non pauca de hoc praeſtantiſſimo Artifice adnotantur a Cl. VENUTO (2), quae quum praetermiſſa a VASARIO, ignota fuerint praelaudato MARIETTO, valde gratum, ut opinor, eruditis erit, ſi adferantur: " Ad hanc ſpectat aetatem *Alexander Caeſari*, „ cognomento *Graecus*, inter optimos quosque Cuſores „ Scalptoresque merito numerandus; quum, Vaſario „ iudice, vel ea quae artis minima ſunt, ſumma dili- „ gentia perfecerit. Excudit numismata, formas ſigna- „ vit, lapillos incidit. Auctorem hunc indicat ac pro- „ bat numisma illud Paulli III. cuius anterior pars „ Paullum exhibet, ac deſignat epigraphe: PAVLVS „ III. PONT. MAX. poſterior vero Templum, Sacer- „ dotem, Magnumque Alexandrum flexis genibus, lit- „ teris appoſitis: ΑΛΕΧΑΝΔΡΟΣ. ΕΠΟΙΕΙ. Nec in numis- „ matum dumtaxat, ſed etiam in nummorum cuden- „ dorum uſum formas effinxit; quippe Monetariae Of- „ ficinae diu curam geſſit in Urbe. Praecipua vero, „ ac admiratione plane digna eſt Alexandri ſolertia in „ lapillis incidendis, ac dexteritas ſumma. Lapillos vo- „ camus minutiores quosdam ac pretioſos lapides, quos „ a coloris diverſitate, & imaginum ſtructura diſſimi- „ li, peculiari nomine, vernaculo ſermone appellamus. „ Si enim color ſubobſcurus (*rubrus*) ſit, & imago la- „ pidi inciſa, Corniolam (*Corniola*) nominamus; ſin „ autem & alius ſit color, & figura promineat, bar-

V v u „ baro

(1) Gemmae antiquae Antonii Mariae Zanettii Hier. F. Ant. Franc. Gorius Notis Latinis illuſtravit Venetiis MDCCL. in fol.

(2) In Praefat. pag. XXI. ad Numismata Romanor. Pontificum praeſtantiora Rom. edit. MDCCXLIV. in 4.

„ baro nomine Cameum dicimus, Italice *Cameo*. Utri-
„ que lapidi ſculpendo ALEXANDER incubuit, & uſque
„ adeo excelluit, ut prodigii ſimile videatur lapillus
„ (*Cameo*), in quo caput eminet Phocionis Athenien-
„ ſis. Pari elegantia, inſtante Cardinali Farneſio, ca-
„ put Henrici Galliae Regis corniolae, quae Iulii Ro-
„ mani magnitudinem aequat, inſculpſit. Ad eius ma-
„ giſterii nobilitatem accedit gemina effigies, altera
„ Petri Aloyſii Caſtrenſis Ducis, altera Cardinalis Far-
„ neſii; quorum poſtrema caput habet aureum, a-
„ ream vero ex argento. "

IOANNES CAVINIUS Patavinus, Saec. XVI.

Ferunt IOANNEM CAVINIUM, vulgo nuncupatum il *Padovanino*, quum in Graphice magnopere excelleret, primum inſcalpendis Gemmis operam dediſſe; ſed laborum ſuorum diuturnitate pertaeſus, cudendis numismatis totus poſtea incubuit, quae omnium aetatis ſuae Artificum praeſtantiſſima habentur, & multo ſtudio conquiruntur. Ioannes Baptiſta Paſqualius Venetus, Typographus laudatiſſimus, haec quae a docto Viro accepit, mecum communicavit, quae nunc primum pervulgantur. " IOANNES CAVINIUS Patavinus aurea, argen-
„ tea, aereaque cudit Numismata omnium peritiſſimus
„ ſaeculo decimo ſexto. Clariſſimorum Virorum Ima-
„ gines affabre expreſsit, Caeſarum rariora numismata
„ imitatus eſt, ac reſtituit antiquis adeo ſimilia, ut
„ vix, niſi a peritiſſimis, diſtingui poſſint, ac ſuſpe-
„ cta haberi nitorem propter & elegantiam. Amiciſſi-
„ mus fuit Alexandri Baſſiani viri eruditiſsimi, bona-
„ rumque artium patroni. Eo praecipue curante duo-
„ decim Caeſarum imagines ſuis numismatibus recudit,

ſui-

„ ſuique amoris ergo in elegantiſſimo numismate Baſ-
„ ſiani & propriam imaginem poſteritati mandavit.
„ Obiit Patavii anno M.DLXX. Non. Septembr. Se-
„ pultus eſt in Eccleſia S. Ioannis in Viridario. Lapidi
„ hoc inſcriptum Epitaphium.

IOAN. CAVINIO
VIRO INTEGERRIMO PATRI DE SE OPT. MERIT.
QUI ANTIQUORUM OPERA MAX. IUDICIO COLUIT
ET PRISCORUM PRAESERTIM CAESARUM
MULTORUMQUE AETATIS SUAE VIRORUM
CLARISS. IMAGINES CUDENDO EXPRESSIT
CAMILLUS FIL. IV. CON. OB SUAM IN EUM
PIETATEM SIBIQUE AC SUIS OMNIBUS P. C.

In Muſeo Clar. Comitis de Lazara, quod in Theſaurum Chriſtianiſſimi Galliarum Regis migravit, ſervabantur formae Cavinianae ad cudenda numiſmata, quas Rex dono dedit Patribus S. Genevieſae. Ab ipſis editum eſt Volumen, in quo eadem numiſmata cum antica & poſtica parte delineata repraeſentantur. Exſtant in variis Muſeis numiſmata maximae formae & magnitudinis, quae plurima ſunt, & aliis enumeranda ac deſcribenda relinquo.

ANDREAS RICCIUS, ſive CRISPUS, Patavinus.

Multa cum laude memorandus eſt ANDREAS RICCIUS, ſeu CRISPUS, a capitis criſpa coma ita dictus, Patavinus aeris fuſor, qui etiam Caelator excellens fuit, ac Statuarius.

IO. ANTONIUS CARAFFA, PAULUS ZOPPIUS, & SERAPHINUS, Brixienses, Saec. XV. & XVI.

Dum haec scriberem, forte fortuna incidit in manus meas liber singularis Octavii Rossii Brixiani, cuius titulus: *Elogi Historici di Bresciani Illustri Teatro ec.* (1) in quo in fine laudantur Pictores, Sculptores, & Caelatores egregii, qui in ea celeberrima Urbe floruerunt; quae nunc plena operibus, scriptis, aedificiis sacris munificentissimi, ac sapientissimi S. R. E. Cardinalis Bibliothecarii Angeli Mariae Quirini inter Italicas Urbes praeclarissima est, toto orbe celeberrima, ac nemini secunda. Inter eximios Opifices, qui Gemmariis adcenseri possunt, hi potissimum eminent, Ioannes Antonius Caraffa, Seraphinus, & Paulus Zoppius. De singulis ea quae ad nos pertinent nunc adnotanda. Ioannes Antonius Caraffa (2) primus in ea urbe circa anum CIↃ.CCCC. LXX. crystallinorum Vasculorum fabricandorum auctor fuit, quae tam egregio opificio perfecit, ut a Venetorum Republica adcitus, stipendia in eo praeclarissimo scientiarum & artium domicilio meruerit. Siquidem crystallina eius opera auri summa tanti vendebantur, quanti pendebant. Nihil enim rarum erat vel ex gemmis, vel ex floribus a natura productum, quod ipse pereleganter non imitaretur, & accurate anaglyphico opere in vasculis non effingeret. Flagitantibus Nobilibus Avogadris vas magnum e crystallo exstruxit, in quo exstanti opere sculpsit complures Nymphas in aquis fluminis inter se conludentes sub arborum umbris. Ferunt eius in Vasculis vitreis & crystallinis caelandis tan-

(1) Italice scriptus est, Brixiae editus in quarta forma anno MDCXX. Vide pag. 502.
(2) Vide ibidem pag. 514.

tantam fuiſſe praeſtantiam, ut veneno eum exſtinctum in ipſo iuventae flore ſuſpicio oborta ſit.

Aureo ſaeculo, nempe circa annum CIↃ. IↃ. XXX. in minimis figuris pingendis, praeſertim in libris exquiſitiſſimis picturis ornandis celebris fuit Paulus Zoppius (1). Hic in cryſtallino praegrandi lebete pinxit Brixienſem depopulationem a Gallis irruentibus acceptam, in qua ad vivum picta ora Domini de Fois, & aliorum Ducum, hominumque in eo facinore inluſtrium. In hoc admirando opere abſolvendo duobus annis ſtudio & ingenio inſudavit; quod cum in itinere ſecum duceret, ut Magnificentiſſimo Venetorum Duci Gritto dono offerret & dedicaret, fractum eſt; quapropter maximo dolore perculſus apud Deſentianum repente interiit.

Initio eiusdem aurei Saeculi XVI. in omnibus ſculpturis & caelaturis mirabile quoque fuiſſe Seraphini Brixienſis ingenium praelaudatus Roſſius ſcribit (2); quapropter & in Gemmis caelandis non minimam laudem conſecutum arbitramur. Nam opera e chalybe ornabat aureis & argenteis ornamentis, figuris, emblematis, quae inſtar gemmarum inſerta maximi pretii habebantur. Caroli V. Caeſaris arma operoſiſſima fecit, galeam, thoracem, brachialia, tibialia: Franciſco I. Galliarum Regi obtulit gladium triumphalem, vulgo *Stocco*, mira arte a ſe fabricatum, & inſitis aureis & argenteis emblematis adeo ornatum, ac perelegans, ut ab eo aureum torquem & inſignia Equeſtris Ordinis pro meritis acceperit. Senecta oppreſſus in patria ſua ſemper cum laude victurus obiit.

(1) Vide ibidem pag. 508.
(2) Vide ibidem pag. 509.

IOANNES MARIA FABRIS Venetus, Saec. XVIII.

Dum hanc Hiſtoriam Glyptographicam ſcriberem, rogavi praelaudatum Ioanem Baptiſtam Paſqualium, ut praeſtantes hac aetate Gemmarios Scalptores, qui apud Venetos florent, mihi enumeraret; a quo & haec monumenta ad egregium IOANNEM MARIAM FABRIS pertinentia accepi, quae operae pretium me facturum duxi, ſi ipſis verbis vernaculo ſermone ad me ſcriptis laudarem: " Inciſore di Gemme in Venezia evvi GIAM-
„ MARIA FABRIS Veneto, ſcolare nel Diſegno delli
„ Sigg.ri Giambatiſta Dancin, e Giuſeppe Camerata
„ Pittori Veneziani: poſcia paſsò egli nella pubblica
„ Accademia ſotto la direzione del Sig. Giambatiſta
„ Piazzetta celebre Pittore. Appreſe il modo ſolamen-
„ te d' incidere nella Città di Vienna dal Sig. Giaco-
„ mo Valder di Trasburgo, e da altro vecchio Ale-
„ manno, ſtipendiato dall' Imperatore Giuſeppe. Ritor-
„ nato poi di freſca età alla ſua patria, cominciò e
„ proſeguì da ſe medeſimo a intagliar gioie, e ſcol-
„ pire Cammei. Alcune delle opere più ſingolari di
„ queſto valente Inciſore ſon paſſate in alcune Datti-
„ lioteche e Muſei; altre a Soggetti, dai quali non
„ gli è permeſſo di farle paleſi. Si ſa di alcune po-
„ che, tra le quali un Dioniſio inciſo in Corniola per
„ S. E. il Sig. Conte di Sculemburgh, fu Mareſciallo
„ della Sereniſſima Repubblica di Venezia; altra ſi-
„ milmente per il N. H. Signor Conte Giovanni An-
„ gheran Patrizio Veneto, teſta di Giulia di Tito;
„ altra, cioè Pallade, in Corniola per il N. H. Sig. An-
„ drea Barbaro Patrizio Veneto; altra, Mercurio alato,
„ in Topazio Paieſco per il Sargente Generale Straticò;

altra

„ altra in Corniola, teſta di Cibele turrita, per il Sig. „ Gregorio Lavizari, Nobile di Como, e Cittadino „ Veneto; altra in Corniola, di un Aleſſandro cornuto, „ a imitazione più dell'altre dell'antico, per il Sig. „ Giovanni Loris Mercante Veneto; un Cicerone in „ Sardonica macchiata a faſce, per il Sig. Franceſco „ Lazzarò Cittadino Veneto. Tra i Cammei più bel- „ li del medeſimo, ſi accenna una Teſta cognita di un „ Giovine con capelli ſparſi pel N. H. Sig. Bortolo „ Vitturi; altro con Ottone Imperatore ſenza corona „ in capo, che eſiſte in Venezia nelle mani d'un Mi- „ niſtro eſtero: altro d'una Matidia, ch'è nelle mani „ d'un Veneto Patrizio. Ne ha fatti altri per com- „ miſſione di alcuni Viaggiatori, e particolarmente per „ il Sig. Antonio Gallo di Bologna. "

IACOBUS GASPARINIUS Venetus, Saec. XVIII.

Percelebre eſt nomen, totaque Europa laudatum Iacobi Gasparinii Veneti, qui in cryſtallinis operibus incidendis ſculpendisque praeſtantioribus palmam praeripuit. De eo haec ad me ſcripſit memoratus Paſqualius. " Inciſore più celebre di criſtalli è Giacomo Gaſparini Veneto. Imparò egli il diſegno di figure „ dal Sig. Piazzetta, e di ornati dal Sig. Carpoforo „ Stuccatore. Tra le opere più particolari e pregiabi- „ li di queſto Autore, ſi annovera il Ritratto della „ Imperatrice Regina d'Ungheria e di Boemia, che „ fu mandato a Vienna: alcune ſottocoppe, tondi, e „ tutto il fornimento da tavola, con figure inciſe, „ armi, blaſoni, ornati di perfetto diſegno per il Prin- „ cipe Odeſcalchi Romano, d'immenſo valore. Altri „ bicchieri, belliconi, e coperchi, e tazze inciſe con

figu-

„ figure, ornati, ed iſcrizioni per il Principe Statol-
„ der d'Ollanda, di ſommo valore: altri ſimili con
„ geroglifici, figure, mari, e paeſi per commiſſione
„ avuta di Londra; altri ſimili per alcuni Cavalieri
„ eſteri, e Principi capitati a Venezia; come pure per
„ alcuni Patrizj Veneti; ed ha parimente ſomma abi-
„ lità in incidere ſpecchj, e molti di queſti ne ha
„ inciſi."

LAURENTIUS MASINIUS Venetus, Saec. XVIII.

In imitandis antiquorum Scalptorum inſignioribus exemplis multam obtinet hac aetate laudem Laurentius Masinius, qui & Romae & Florentiae diu moratus eſt; verum dum haec ſcribo, Venetias reverſus, Gemmis ſcalpendis adſiduo labore incumbit. Non paucas gemmas ab eo ſcalptas vidi Florentiae penes egregium Aurificem Anularium Liborium Caglierum, qui eas mihi oſtendit. Si in ſuis caelaturis diutius ſtudio immorari vellet, maiora praeſtare poſſet; ſed quia cum paupertate eius peritia luctatur, celerrime opera ſua conficit; invenitque rotam omnium maximam, qua quidquid alii faciunt integra die, ipſe unica tantum hora abſolvit; hinc eſt quod Gemmas a ſe inſcalptas exiguo pretio vendit, & ita vivit ingenio, quo abſolutiora & praeſtantiora praeſtare poteſt, ſi quis liberalius cum eo agat.

CAPUT

CAPUT XVI.

De Gallica Schola Glyptographica, eius clari Scalptores Gemmarii memorantur.

IN Gallico Orbe ac Coelo ſemper multis laudibus, ubique etiam gentium, praedicabitur non ſolum Magnus, ſed etiam Maximus Rex FRANCISCUS I. Chriſtianiſſimus, qui tum liberalia ſtudia, tum artes revocavit, reſtituitque, & ſapientia ac liberalitate ſua fovit, auxit, atque in florentiſſimo, opulentiſſimoque Regno ſuo quammaxime amplificavit. Plena ſunt eius laudibus egregiorum Scriptorum volumina, qui eum Maecenatem, & Fautorem inclytum magnanimumque celebrant Litteratorum omnium, & Poetarum; inter quos eius delicium eminet noſter Aloyſius Alamannius Patricius Florentinus, inter Pictores Leonardus Vincius, inter Aurifices & Gemmarios Benvenutus Cellinius, & Anichinius, aliique ex noſtris, & hi etiam ſummi Glyptographici Artifices, qui nunc a me recenſentur. Incomparabilis hic Rex mentis altitudine, perſpicaci ſolertia, ſapientiaque, quum antiquis, & recentioribus praeſtantium Opificum ingeniis, & exquiſitioribus operibus ſummopere delectaretur, & optima quaeque recte pernoſceret, aeſtimaretque, brevi temporis ſpatio regiam Aulam ſuam monumentis hiſce aeternae ſuae gloriae, ſapientiae, & eruditionis implevit, & in omnibus ſummis Galliarum Principibus valde excitavit; adeo ut hodie florentiſſimum Regnum ad ſummae gloriae apicem evectum admiremur: cuius gloriae Fundator omnium maximus, omni aevo memorandus, ſummiſque praeconiis celebrandus eſt LUDOVICUS XIV. Rex

Christianissimus, qui artes omnes, & studia absolutissimas reddidit favore regiae suae magnificentiae, & incredibilis liberalitatis, qua in omnium ore est, vivit, vivetque semper, nullis omnino, licet maximis, laudibus aequandus. Harum omnium laudum aemulus nunc feliciter regnat, vigilatque Rex Invictissimus, ac Potentissimus LUDOVICUS XV. quo auspice, favente, ac praesidia omnia ad augendum amplificandumque praeclararum artium, & litterarum decus suppeditante, insignes florent Gemmarii Opifices, quorum nomina, & eximia opera, quae mihi innotuere, nunc recensentur. Ea semper fuit Gallici Orbis laus, ut ingenia maxima tum in liberalibus disciplinis, tum in praestantioribus artibus semper floruerint; quod etiam tribuendum illis Regiis Academiis, in quibus viri longe doctissimi, & probatissimi, spe praemiorum quae regia liberalitate adsidue dantur, ad omnia praestanda, quae aeternitate digna sunt, excitantur, & cumulatissime recreantur.

COLDOREUS Gallus, Saec. XVII.

Floruit eximius hic Scalptor Gemmarius sub Ludovico XIII. & Henrico IV. Christianissimis Regibus, cuius imaginem opere tum anaglyphico, tum diaglyphico exquisitissime elaboravit, insigni artis nobilitate ac magisterio. Credibile est integras quoque figuras eodem opificio, &, ut solebat, delicatiore caelatura, expressisse, quae vel non exstant, vel ignorantur. Profecto in vultibus exhibendis eum nemini secundum fuisse testatur MARIETTUS. Fama est eum ab Elisabeth Regina in Britanniam adcitum, cuius imaginem exstanti opere admirando, quod in Crozatianis Cimeliis specta-

ctatum eſt, in Achate Onyche ſculpſit; quapropter a Britannis magno in pretio eius ſcalpti lapilli habiti ſunt, & certatim conquiſiti.

Hunc ſuſpicatur Mariettus ipſum eſſe IULIANUM de Fontenay, cognomento ab omnibus, reiecto proprio nomine, *Coldorè* adpellatum, qui magno in honore fuit apud Henricum IV. Galliarum Regem, cui munus ſcalpendi Gemmas ſuas (1), & in regio Palatio manſionem dedit, eumque inter domeſticos Cubicularios ſuos adlegit, & tamquam praeceptorem peritiſſimum ſuorum Scalptorum Gemmariorum officinis in Muſeo ſuo praefecit; cuius ſuſpicionis ſuae non paucas rationes, & quidem non leves, adfert; quem adeat Lector.

N. REY Gallus, Saec. XVIII.

Ineunte ſaeculo XVIII. Romae anularibus gemmis ſcalpendis dediſſe operam REY Gallum, narrat Auctor Diſſertationis Glyptographicae (2), qui numiſma eximii operis ab eo aere coronario fuſum cum imagine Emmanuelis Theodoſii Cardinalis Bullionii adfert, argento tenuiſſimo ita bracteatum, totumque viriculo ſumma diligentia perpolitum, ut conſpicientibus omnino cuſum videatur. Ex gemmis praecipua cum laude ab eo deſcribitur Smaragdus, in quo imaginem D. Caroli Albanii Clementis XI. Fratris filii egregio labore artisque nobilitate inſculpſit. Parem laudem adeptus eſt inſcalpta ſignatoria gemma inſigniis gentilitiis Marchio-

(1) Laudatur in patentibus Litteris, in quibus data a Rege Chriſtianiſſimo Privilegia Artificibus recenſentur, datis ad diem XXII. Decembr. an. MDCVIII.

(2) Cap. XXV. pag. 90. 91. & 92.

chionis Caſtri Sancti Viti, Hieronymi Theoduli Patricii Romani diſtincta & decorata.

FRANCISCUS IULIANUS BARRIER
Gallus, Saec. XVIII.

Natura ipſa avida laudis & gloriae ſibi mirum Barrier ingenium effinxit, qui invito patre, a quo Aurariae arti ſuae, & encauſticae picturae deſtinabatur, ſui ipſius praeceptor adeo in Gemmis ſcalpendis utroque opificio excelluit, ut regius Gemmarius Opifex factus nominis immortalitatem feliciter ſit adſecutus. Sculpta ab eo ſpectantur complura capita, figurae, animalia, necnon illuſtrium Virorum imagines, inter quas illae probatiſſimae habentur Marchionis Rangonii pro Sereniſſimo Mutinae Duce ad Regem Chriſtianiſſimum Oratoris, & Domini de Fontenelle. Obitum ſuum IV. Eidus Maias anno CIↃ.IↃ.CC. XLVI. aetatis ſuae LXVI. multis laudibus honeſtavit.

IACOBUS GUAY Marſilienſis, Saec. XVIII.

Pariſiis celebre eſt nomen Regii Scalptoris Iacobi Guay, qui nunc vivit, floretque, Opificum Gemmariorum decus & ornamentum. Graphices praeceptis ab eximio Pictore Boucher inſtructus, relictis Aurariae artibus, & patrio Marſilienſi ſolo, Glyptographico tantum Pariſiis magiſterio incubuit. Quum inſignem Gemmarum Crozatianam Syllogen vidiſſet, ſumma diſcendi proficiendique cupiditate incenſus Italiam perluſtravit, Florentiae vero anno CIↃ.IↃ.CC.XLII. diu moratus, Gemmarum Theſaurum ſedulo contemplatus eſt, ac praeſtantiora tum antiquorum, tum neotericorum Artificum opera accuratiſſime expendit. Mox Ro-

mam petiit, ubi ſede iuſſu Regis Chriſtianiſſimi in Palatio Accademiae accepta, ita tempus omne diſtribuit, ut & gemmis incidendis, & Muſeorum tota Urbe rarioribus monumentis perluſtrandis operam daret. Singula artis miracula, quae conſpexerat, adſidua meditatione recogitans infixa animo conſervabat; quapropter antiqua capita & protomas, inter quas Antinoi caput Sardae, alterum eiusdem Antinoi ſignum artis miraculum, egregio opere inſcalpſit, in imitandis antiquis Graecis Opificibus feliciſſimus. Pariſios redux ſe in Glyptographicis opificiis magis magiſque acuit ac perfecit. In imaginibus ſculpendis nulli ſecundus, effigiem vivo ore ac pene voce D. de Crebillon expreſſit; mox puerulos & feminas, & alia multa opera elaborata abſolvit, quae, ut brevitati conſulam, praetermitto. In effigie D. Marchioniſſae de Pompadur ſummo atque incredibili ſtudio, auxiliante Venere ipſa cum Gratiis, exſtanti opere ſingulari Gemmae exſculpſit; ſed, quod aliqui non probarunt, in minore, quam opus erat, tanto capiti area, in qua oportebat, ut latius exſplendeſceret, atque emineret. Chriſtianiſſimum Galliarum Regem Ludovicum XV. Sardae in triumphali curru vectum, ad pedes ſedente Regio Delphino, exquiſitiſſima arte inſcalpſit. Sed nihil praeſtantius, abſolutius nihil Triumpho Fontenoyenſi, quo oſtenſo, iubente Rege, Scalptor regius declaratus eſt, & ab eo tum aedibus ad Muſeum, tum regiae Accademiae Pictorum & Sculptorum adſcriptus eſt; quod decus expreſſit in Gemma, quam eidem Regiae Accademiae dono dedit ſub emblemate Genii Graphices, cui Apollo ſuae laureae partem impertit.

IOANNES BAPTISTA CERTAIN
Gallus, Saec. XVIII.

Adhuc vivit Parisiis egregius hic Scalptor, qui aemulatione certavit cum filio Mauritii Belgae. Bacchicam pompam inscalptam in anulari Gemma illa celeberrima, quae antea fuerat divini Michaelis Angeli Bonarrotii, quam Magnus Ludovicus XIV. Rex Christianissimus in digitis suis inseruit, egregiis conatibus, quibus difficultates superavit, accurate expressit. Non ingenii vires, sed proposita operum schemata ei defuere.



CAPUT XVII.

De Glyptographica Schola Alemannica, eiusque claris Scalptoribus Gemmariis.

IMperatorum, Regum, & Principum, qui in Germanico Orbe tanquam sidera lucidissima micant ac splendent, non recensebo nomina in hoc ipso Capitis XVII. vestibulo, quum in his quae a me mox dicuntur, meritis laudibus non fraudentur, quorum auspiciis, favore, & liberalitate auctae ornataeque sint Glyptographicae artes, quod perspicue apud omnes in confesso est. Quemadmodum enim terra nisi Solis radiis illustretur, & opportunis imbribus irrigetur, squalorem induit, ac sterilescit; ita etiam disciplinae omnes, & pulcherrimae artes, quae a Graphice ortae sunt, nisi maximorum Principum liberalitate, beneficentia, amore, ac pervigili studio recreentur, profecto sordescunt, & gloriae auras, & praestantiae favores non sentientes, veluti faces quaedam vento non agitatae ex-

stin-

ſtinguuntur. Hinc Alemanniam cernimus ope & praeſidio magnanimorum Principum Gemmarios Artifices ingenio & patientia prae ceteris incomparabiles ſemper florentiſſimos, ac praeſtantiſſimos produxiſſe, & adhuc producere, qui ad honoris & gloriae faſtigium pervenere; quorum nomina illuſtria nunc recenſemus: atque utinam omnia nobis nota, dum ſcribimus, exſtitiſſent!

CASPAR LECHMANUS, MISERONIUS, eiusque filii DIONYSIUS & FERDINANDUS EUSEBIUS, Saec. XVII.

In confeſſo eſt, Regum & Principum favore ali, mirumque in modum florere optima ſtudia & artes, ſi praeſtantes Viros honoribus & praemiis liberaliſſimis ornent, atque honeſtent. Laudatur Rodulphus II. Imperator glorioſiſſimus, qui pulchrorum operum amore mirifice delectatus eſt, eaque de re praecellentes Opifices ad ſe adcitos ad Glyptographicen & Toreuticen in ſuis regnis exercendam excitavit. In Muſeo Vindebonenſi Caeſareo plurima pretioſa adſervantur Vaſcula e cryſtallo, Achate, & Iaſpide, quae tum pulchritudine, tum ſuperatis arte multis periculis, inuſitato quodam opificio exſplendeſcunt. His elaborandis tunc operam dabant, & praeſtantiores cenſebantur, Caspar Lechmanus, & Miseronius, a quibus in Bohemicis officinis exempla petita, quae hodie multa in laude ſunt. Miseronius (ni tamen ſcribendum ſit Misuronius, e qua familia celebres Glyptographos prodiiſſe Caſparem & Hieronymum Mediolanenſes diximus) Antiquarii Caeſarei eximium decus adſecutus eſt. Eidem in Glyptographice ſucceſſit optimus filius Dionysius, qui iuſſu Mathiae Caeſaris exſciſis multis gemmis, aliisque e

pre-

pretiosis lapidibus perfectis operibus, Musea Vindebonensia & Pragensia ornavit. Dionysii filius Ferdinandus Eusebius, titulis & honoribus aulicis auctus a Leopoldo Imperatore, demandata sibi munera accurate implevit (1).

CHRISTOPHORUS SCHWAIGERUS
Alemannus, Saec. XVI. & XVII.

Stemmata & Insignia in Gemmis inscalpsisse Christophorum Schwaigerum, non ex eius caelaturis, sed ex eius Icone, quam pinxit Ioannes Van-Ach, aeri vero incidit anno CIↃ. IↃ. C. Lucas Kilian, colligit Petrus Mariettus. In subiecto elogio, Latinis versibus expresso, cum Pyrgotele propter caelandi peritiam comparatur; quod Poetico oestro tribuendum est.

PHILIPPUS CHRISTOPHORUS BECKERUS
Alemannus, Saec. XVIII.

De hoc Gemmario Artifice plura adnotat Petrus Mariettus, e quo pauca haec decerpimus. Primum Aurariae operam dedit, sed quum Viennam Austriae petiisset, Glyptographicen in ea didicit a Seidlitzio Caelatore famigeratissimo. Imperator Caesar Iosephus apud se in honore habuit; mox, eo vita functo, Carolus VI. magnorum ingeniorum munificus conquisitor & Fautor, cudendorum numismatum suorum provinciam ei demandavit, & nobilitatis insigniis decoravit. Russianam regiam Aulam petiit, ubi Magni Petri I. Czaris sphragisma obsignatorium incidit, & restitutis in eo regno monetariis officinis, iisdem cuden-

(1) Vide Petrum Mariettum, a quo haec accepimus.

dendis praefuit, multis & magnificis honoribus ab eo Principe ornatus, qui ei advenienti, dum pranderet, ferculum adferri, eique adponi iussit. Eas potissimum Gemmas exquisito labore & laudabili nitidoque opificio inscalpsit; quibus epistolae & chartae obsignantur; quae emblemata quam perdifficilia sint, nemo est qui nesciat; nam in his Principum Virorum Stemmata praesertim apud Alemannos valde laboriosa, ad omnes Heraldicae scientiae regulas accurate exprimi debent; inter quas obsignatorium Liriae Ducis sigillum maxime laudatur. Gemmis exstanti opere exsculpendis operam dedisse ferunt; diaglyphico vero opere gemmis inscalpsit effigies Caesaris Augusti Caroli VI. & Augustae Elisabeth eius Coniugis; nec non in Iaspide Inclutum a Sabaudia Principem Eugenium effinxit. Obiit Viennae Austriae VIII. Eidus Maias anno CIↃ. IↃ. CC. XLIII.

SPANENBERGERUS Norimbergensis, CONRADUS MULLERUS, & IOANNES CONRADUS eius Filius, Alemanni, Saec. XVIII.

Norimbergae multos annos in Glyptographica se exercuit egregius Spanenbergerus, qui eam quoque docuit, & discipulos habuit, inter quos memoratur Conradus Mullerus. Ioannes Mullerus, eiusdem Conradi filius, institutiones secutus est celebris Beckeri, de quo diximus; nam quum scalpendis in lapillis, & gemmis, Inlustrium Familiarum Insigniis, & Stemmatibus, studio, arte, ac diligentia praecelleret, patre suo vita functo anno CIↃ. IↃ. CC. XXXIII. relicto patrio solo Strasbourgh, Lutetiam Parisiorum se contulit, ut facilius studiis suis & utilitati consuleret, ubi nunc honestissimo utitur domicilio.

CHRISTOPHORUS DORSCHIUS, & SUSANNA DORSCHIA F. Norimbergenses, Saec. XVIII.

In Gemmis scalpendis adsiduo labore, quoad vixit, praesertim in Regum ac Principum Imaginibus, ut solebat, accurate expressis, insudavit Christophorus Dorschius Norimbergensis, qui hoc saeculo floruit ab anno CIↃ. IↃ. CC. ad annum CIↃ. IↃ. CC. XXXII. quo fato functus est XVI. Kal. Novembres, aetatis suae anno quinquagesimo sexto. Praeceptorem habuit patrem suum, qui si in Italicis, non vero in Alemannicis Scholis se perfecisset, maiorem profecto laudem, ac sui nominis celebritatem sibi conquirere potuisset. Erat enim ingenio valde perspicaci, & ad aerumnas dedito.

A patre optimo egregie in Glyptographice erudita est eius filia Susanna, matrimonio iuncta Ioanni Iustino Presler, Moderatori Patriae Academiae Pictorum, quae hac tempestate in Gemmis utroque opificio scalpendis cum imitatione antiquorum exemplarium, & multa diligentiae laude dat operam; de quibus horum Artificum dotibus multa accepi in familiaribus colloquiis cum Clariss. Barone de Stosch. Insigniora Dorschius collegit antiquorum Artificum ectypa, quae in domesticis Cimeliis servat nunc eius filia. Idem etiam Chalcographus egregius, qui aereas Tabulas omnes incidit, quae exhibentur in Gemmarum Thesauro Ioan. Martini ab Ebermayer, quem Commentariis inlustravit Cl. Io. Iacobus Bayerus Med. Doct. in Academia Altorfina Professor, prodiitque Norimbergae anno CIↃ. IↃ. CC. XX.

LAU-

LAURENTIUS NATTER Norimbergensis, Saec. XVIII.

Inter Gemmarios Scalptores probatissimos, qui nostro aevo florent, recensendus est LAURENTIUS NATTER, civis Norimbergensis, vigore animi, solertia, peritia & elegantia in suis caelaturis nemini secundus. Praeceptorem habuit Oxe Helveticum, de quo dicemus, quem longe superavit. Anno circiter CIↃ.IↃ.CC. XXXII. Florentiam appulit, & in hac Urbe, in qua artes omnes maxime florent, per triennium moram fecit; quo tempore quum insigniora Graecorum opera Gemmis exscisa sedula cura, multaque meditatione sedulo contemplaretur, & sulphurea ectypa suppeditante Ill. Barone de Stosch, eius monitis ac praeceptis in dies magis magisque proficeret, tantam nominis claritatem adeptus est, ut inscalptae ab eo Gemmae ab omnibus magno studio cuperentur, conquirerenturque. Solus Franciscus Ninghius Florentinus eius virtuti, & aemulationi obstitit. Ne autem tam praeclaro Opifici cedere videretur, imaginem, ut ille fecerat, Ioannis Gastonis Magni Ducis Etruriae in Achate Sardonyche diligenter inscalpsit. Sardae inscalpsit imagines Marchionis Ludovici Tempi, & Martelliae eius Coniugis lectissimae, ut eorum nuptias ingenii sui monumento aliquo honestaret. Achati Sardonychi pulcherrimo Veneres omnes & Gratias circumfudit, in quo exquisito opificio effinxit imaginem Nobilissimae Feminae Valvasoniae Suarez della Conca, eximia forma celebris ac spectatissimae. Persimili lapillo sculpsit etiam Philippi Baronis L. de Stosch caput, & in eo nomen suum graeca epigraphe inscripsit. Exstant etiam in meis Cime-

meliis alia eiusdem NATTER, quem probe novi, egregia opera, quibus, cum cerneret antiquis operibus, quae frequenter in suis Gemmis imitabatur, & referebat, valde proxima esse, nomen suum vel latina vel graeca epigraphe ita exprimebat: NATTER. & NATTHP EΠ. hoc est: *Natter faciebat*, more Scalptorum antiquorum. Primus Iuliam Titi Vespasiani, & Marciae Furnillae filiam anulari gemmae sculpsit ad typum illius, quae maximi moduli est, & in celeberrimo S. Dionysii Thesauro Parisiis adservatur, & nomen suum latino titulo adiecit. Sed prae ceteris eius sphragismatis multis laudibus celebratur imago gemmae anulari inscalpta Eminentissimi S. R. E. Cardinalis Alexandri Albani, in qua nomen suum inscripsit: NATTHP EΠOIEI. Amethysto etiam egregio opere insculpsit iuvenilem imaginem, quam Lutetiam Parisiorum detulit D. Abbas de Rothelin, quam etiam laudat PETRUS MARIETTUS. Tiberii, Apollinis, & Sabinae capita e praecellentissimis antiquis Scalptorum imaginibus excepit opificio elegantissimo ac felicissimo. Haec quae laudavi & alia multa eximia suae artis monimenta intra triennium Florentiae absolvit; mox laudibus & praemiis excitatus complurium Optimatum Britannorum, Londinum petiit, & adhuc ibidem, ut fertur, summo in honore semper victurus floret.

MARCUS TUSCHERUS Norimbergensis, Saec. XVIII.

Naturae & Artis prodigia fere omnia si quis MARCI TUSCHERI ingenium nostra aetate, Deo divina sua munera effusiore liberalitate non raro largiente, complexum esse dixerit, neque adulationis, neque menda-

cii

cii culpae obnoxius cenſendus erit. Id probe ſciunt & teſtantur, qui eum nondum implentem aetatis ſuae trigeſimum annum tum Romae, tum Florentiae conſpexerunt, ejusque familiaritate frui potuerunt, inter quos me quoque animo lubens connumero. Nihil eſt in praeclaris artibus, quae a Graphice pendent, vel nobile, vel arduum, vel ſtupendum, quod ipſe, alter veluti Prometheus, non ſit feliciter adſequutus: egregius Plaſtes, eximius Pictor, Architectus probatiſſimus, mirabilis Chalcographus, novorum operum Artis inventor, antiquorum imitator ſagaciſſimus; demum quum laudis & gloriae ardore & cupiditate flagraret incredibili, ne cui cederet, ſummam quoque in operibus Glyptographicis peritiam, nullo adhibito praeceptore, ſed tantum obſervato Florentiae amico ſuo dulciſſimo Laurentio Natter, dum iisdem operam daret, oſtendere voluit; quae licet pauca ſint, eius tamen igneam animi vim, eumque antiquorum Artificum aemulatorem praeſtantiſſimum fuiſſe demonſtrant. Dum Florentiae degeret, non raro his ſtudiis operam dantem eum vidi, & ſumma cum animi voluptate conveni frequentius. Ad tantam ingenii & artium gloriam eum educavit Clar. Philippus Stoſchius, apud quem hoſpes Florentiae complurium annorum ſpatio manſit; quo auſpice immenſum propemodum antiquorum operum pulcherrimorum theſaurum ſelectiſſimum ſibi quotidie reſeratum propoſitumque felici eventu contemplatus eſt. De tabulis ab eo pictis, de chartis calamo ex atramento delineatis, de plaſticis, atque architectonicis operibus eius nihil dico. Chalcographico ſtilo mira fecit; non ſpe multae pecuniae, quam contemſit, ſed amicitiae, & gloriae potiſſimum mercede contentus.

Ex his pauca enumerare lubet : nempe proſpectum Veſuvii montis cinerem & ignem vomentis, quem eo ipſo in loco aereae tabulae incidit , cuius apographum in Vol. I. mearum Symbolarum Decadis II. Romanae editionis, adiectis eius laudibus, protuli ; Catroſſianam Villam valde celebrem Venutorum Patriciorum Cortonenſium ; Nuptiarum ritus & pompam dum Sponſa Sponſi domum ingreditur ; non paucas Tabulas numismatum Syracuſanorum, & Urbium Siciliae, vel editas , vel edendas in praeclaro Opere Cl. Viri P. D. Ioſephi de Pancratiis Nobilis Cortonenſis, Academiae Etruſcae, & Columbariae Socii , quibus Litteratis Coetibus & ipſe TUSCHERUS virtutis & honoris cauſa adſcriptus eſt ; quae omnia & alia non pauca aereis tabulis peritiſſime delineavit & incidit, antiquorum operum imitator accuratiſſimus . Sed omnes ingenii ſui vires , & ſtudiorum ſuorum praeſtantiam in ea aerea Tabula maxima oſtendit , in qua , praeter ſexcentas confluentium ſpectatorum figuras , incidit triumphalem Arcum in celebrando, excipiendoque Franciſco III. Lotharingio, Etruriae Magno Duce, Pio, Felice, Auguſto, in eius adventu, in qua nihil eſt quod deſideres. Hanc Tabulam longitudine ſuperantem duos Romanos pedes antiquos Florentiae delineavit, Londini vero aere inſcalpſit. Haec Tabula , quam Franciſco Magno Etruriae Duci, nunc Imperatori Caeſari Clementiſſimo ſemper Auguſto dedicavit, hac epigraphe, eiusque regiis Inſigniis ornata ab eo eſt : FRANCISCO III. *Lotharingiae Barri & Magno Etruriae Duci Regi Hieruſalem Incluto Pio Clementi Propagatori Ampliatorique egregiarum Artium hanc Scenographiam Arcus Triumphalis ante Portam Divi Galli Florentiae ad ſolemnem eius Ingreſſum ſolide erecti anno Sal.* CIↃ. IↃ. CC. XXXIX.

XXXIX. *ex Archetypo a se delineatam aereque incisam dedicat vovet ac consecrat Marcus Tuscherus Noricus Pictor & Architectus perenne devotissimi obsequii testimonium Londini* M DCC XLIII. Huius Tabulae perpaucis impressis editisque exemplaribus, quae amicis suis carissimis, & mihi quoque ex Dania dono misit, Tabulam ipsam, ut maxime rarissimam redderet, in alium usum statim convertit. Post hunc annum, eius nominis fama magis magisque ubique percrebrescente, ab inclyto Daniae Rege adcitus est, ut sumtuosissimum in regiis nuptiis celebrandis tum in principe sede, tum in augusto palatio adparatum excogitaret, omnibusque ornamentis praeesset. Ibi antiqua omnia monumenta, quae in Aegypto & ultra in suis itineribus Regis iussu & sumtibus egregius Vir Norden viderat, in regiis tabulis accuratissime delineavit & incidit. Regius publicorum operum Praefectus, & Machinarius magnis cum praemiis perhonorifice declaratus est.

Venio nunc ad eius opera Glyptographica. Imaginem suam non in aerea tantum, verum etiam in duobus lapillis, Sarda, & Beryllo, alteram Romae anno CIↃ. IↃ. CC. XXXIII. alteram mox Florentiae faberrime inscalpsit. In priore nomen suum Graece ΜΑΡΚΟΣ inscripsit. Quantum quoque artis studio, & magnitudine ingenii sui valeret, ut ostenderet, Minervam Salutiferam ad fidem archetypae Gemmae Dactyliothecae Ottobonianae omnium operosissimae, quam Aspasius insignis Gemmarius Scalptor effinxit (1), minore loci spatio accuratissime expressit; maiora ac longe plura facturus, si praepropera mors eum in hoc ipso gloriae curri-

(1) Hanc vide in Stoschiano Opere Gemmarum cum Artificum nomine, Tab. XIII.

curriculo aetate florentem non rapuisset, cuius obitum nuper magno cum moerore audivimus.

HENRICUS ENGELHART, Saec. XVIII.

Laudatur hic Artifex, natione Alemannus, a SANDRARTO in *Acad. Pict. Erud.* pag. 219. & 343. qui eius aetate operam gemmis scalpendis dabat; quamvis MARIETTUS suspicetur propter familiaritatem, quam cum eo habebat, ea laude ornatum. Idem Scriptor laudat etiam DANIELEM, qui in sigillis & anulis obsignatoriis stemmata gentilitia insculpebat.



CAPUT XVIII.

De Scholis Glyptographicis Hispanicis, Britannicis, Danicis, Scoticis, Suevicis, Prussicis, aliisque transmarinis, eorumque celebrioribus Scalptoribus Gemmariis.

ETSI sero apud nobilissimas transmarinas Nationes Gemmarii Artifices Glyptographicas Artes ad summum excellentiae apicem evexerint; haud tamen sine temeritatis nota negari potest, eas praeclaros Opifices iactare posse, qui merito summa cum laude in his Historicis meis Fastis enumerari possint. Illud mihi iamdiu observatum est, opulentissima Regna perpaucis superbiisse Gemmariis Caelatoribus, quia subiecti Regibus cives nimia divitiarum copia abundarent: quum econtra Italicarum Urbium Artifices praeclaris studiis a pueris imbuti, quum pluribus commodis destituti, pecunia rerum omnium arbitra carerent, eo industria, studio, labore, ingenii aciem, & virium nervos omnes con-

contenderunt, ut ſibi & gloriam & opes nominis celebritate, operumque praeſtantia ſibi compararent; quod divino conſilio factum arbitror, ut ſemper indigentes in ſtudiis adſidue verſarentur, & ſuis ingenii, & artis monimentis praecellentiſſimis patriam, nationem, orbem univerſum locupletarent. Illud etiam adcedit, quod maximis graviſſimisque bellis adſidue detenti Invictiſſimi Reges ad augendum litterarum & artium omnium ſplendorem nonniſi in beato pacis otio & quiete animum, liberalitatem, & munificentiam converterunt. Hinc videmus, ubi Hispaniarum Reges ad omnes artium elegantias deguſtandas, excitandasque pronos ſe oſtenderunt, ac valde ſtudioſos, ſtatim tanquam e pratis flores benigno rore conſperſos praeſtantes Litteratos Viros & Artifices omnis generis ortos eſſe, & caput ad ſidera, quae in ipſos radiabant, extuliſſe. Sub Potentiſſimo Rege Hispaniarum nunc valde floret Regia Scientiarum & Bonarum Artium Accademia, cuius ſubſellia implent Viri longe doctiſſimi, qui iam multos ingenii fructus donarunt. In Britannico Orbe praeſtantiſſimi nunc florent Artifices, quod ipſi maximis praemiis ornentur atque ditentur. Teſtantur collectae Antiquitates Palmyrenae, opus immortale, & maxima gloria plenum; teſtatur illa ſummorum Procerum Accademia, quae praemiis adficit eos omnes ſive Litteratos, ſive Artifices, qui gloriam & ipſis Maecenatibus, & ſibi pariunt ſempiternam.

Sileo magnanimi Daniae Regis inclyta geſta, quae nullis laudibus aequare poſſum, qui univerſa Aegypto perluſtrata, antiquisque omnibus monimentis antiquorum Aegyptiorum diligentiſſime delineatis, ea publico bono aereis tabulis inciſis proferri & publicari iuſſit.

Apud omnes teſtatiſſima ſunt praemia propoſita a Scotorum Principibus, a Suetiae quoque Regibus, quum ipſa Regina, cui Zanettianam Dactyliothecam Auctoris nomine dedicavi, miro inſignium Gemmarum amore teneatur, & his deliciis antiquae eruditionis Muſeum poſſideat refertiſſimum. Silentio potius quam meritis laudibus recolo famoſiſſimum Pruſſiarum Regis nomen auguſtum, qui, quum ipſe optimis diſciplinis, & ſtudiis omnis eruditionis ſit inſtructiſſimus, tum litteras, tum artes omnes revocavit, & ad veterem gloriam adſpirare exemplo ſuo mirifice cogit: quae omnia ex mox dicendis aliquo modo eluceſcent.

IACOBUS THRONUS, Saec. XVI.

Nunc primum meis curis in lucem prodit nomen Iacobi Throni, qui circa annum CIƆ.IƆ.LVI. in adamante eximia arte incidit Inſignia Mariae Britanniae & Hiberniae Reginae, uxoris Philippi II. Catholici Hiſpaniarum Regis. Huius patria me latet.

Anonymus Ebraeus cum praelaudato Throno coniungendus, de quo omnes Scriptores, qui de Glyptographica ſcripſere, ſilent. Hic adamantem tabulatum, ut aiunt, *in tavola*, ovalis figurae, atque inſignis magnitudinis, exquiſito opificio inſcalpſit, in quo inſignia Regis Pruſſiae cum quatuor gentilitiis Stemmatibus ſpectantur; pro quo decem millia numorum, nempe *Tolleri*, accepit; ſed in eo effingendo tantum induſtriae, laboris, & ſolertiae inſumſit, ut mox caecus evaſerit; cuius nomen & patriam adhuc ignoramus. Haec mecum Clariſſimus Baro de Stosch perhumaniter communicavit.

THO-

THOMAS SIMON Anglus, Saec. XVII.

Antiquis Caelatoribus, Gemmarumque Scalptoribus proximus habitus eſt THOMAS SIMON Anglus, qui tempore Cromuelis ſumma artis & ingenii laude apud Britannos floruit. Imagines Virorum Illuſtrium in lapillis inſcalpſit, atque etiam anaglyptico opere expreſſit; inter quas illae magnam ei nominis famam pepererere, quae exhibent vultus Olivarii Cromuelis, & Domini Clarendonii primi inter Miniſtros Regni Caroli **II.** Regis Britanniae; quarum gemmarum ectypa exſtant in Cimeliothecis Stoschianis. In formis incidit etiam aere cudenda Numismata, quae inter conſummatiſſima eius opera celebrantur. Hunc nec Auctor Diſſertationis Glyptographicae, nec Mariettus nominarunt.

MAURITIUS, atque eius Filius, Belgae, Saec. XVIII.

Ex Belgio Rohanum migravit, & domicilio ſibi parato, regnante Ludovico XIII. Galliarum Rege, in Gemmarum ſcalptura non mediocrem laudem ſibi paravit MAURITIUS. In Glyptographice filium ſuum erudivit, qui complura edidit opera, quae laudata ſunt; ſed mox Rohano relicto Hagam Comitum ſe contulit, ubi octogenarius obiit anno CIↃ. IↃ. CC. XXXII. quum diu Pariſiis Gemmis ſcalpendis operam dediſſet.

N. REISEN Danus, & CAROLUS CHRISTIANUS eius Filius, eiusque Diſcipuli, CLAUS, SMART, SEATON, Saec. XVIII.

REISEN Danum inter egregios Lithographos recenſet

ſet Mariettus, qui quum in Dania ortus eſſet, ſequutus Guillelmum Regem, cui erat addictus, Londinum ſe contulit, ubi conſtituto domicilio ſuo gemmis ſcalpendis ſedulus incubuit. Carolum Christianum filium ſuum erudivit, & Glyptographicae abdita & difficilia ſuis exemplis monſtravit; quibus adeo profecit, ut parentem longe ſuperaverit: nam praeſtitit iudicio valde exquiſito, propria, facili, ac celeri in caelando peritia ac ſagacitate, quibus dotibus inter primos Anglos Scalptores Gemmarios connumerari, & quidem magna cum laude, potuit. Is celeri fato, annis circiter quadraginta natus, interceptus eſt circa annum CIƆ. IƆ. CC. XXV. Tam brevi tamen vitae curriculo complura opera elaborata reliquit; inter quae memoratur imago Caroli XII. Suecorum Regis, in qua, praeter mollem quamdam ſubtilitatem, nihil eſt quod deſideres. Obſtabat enim, ut caelamina ſua abſolutiora redderet perficeretque, innata quaedam in eo celeritudo, quae ab ingenii vi, & mira in tractandis opificiis facilitate ſponte promanabat.

Inter alumnos, quos hic mirabilis Scalptor ex Britannis habuit, inſtructior habitus eſt Claus, qui demens obiit anno CIƆ. IƆ. CC. XXXIX. Alter eſt Smart, qui celeritate, qua in gemmis ſcalpendis uſus eſt, omnium oculos admiratione complevit, ſed negligentiae crimen non evitavit, qui Pariſios ſe contulit circa annum CIƆ. IƆ. CC. XXII.

Seatonus Scotus nunc Londini primarius Lithographus habetur, cuius opera glyptographica conſummatiſſima ſunt, quum in iiſdem poliendis elaborandiſque nec laboribus, nec diuturno ſtudio parcat; ſed in rebus omnibus *ne quid nimis* ſervandum eſt; quum interdum labor

labor exquiſitior vigorem artis & nativam dignitatem enervet. Imagines Clariſſimorum Virorum Gemmis faberrime inſcalpſit, nempe Pope Poetae celeberrimi, Iones Architecti, quem alterum Palladium cenſent, & Equitis Magni Ioannis Newton; quas ſolutis ingentibus impendiis dedit, praeter omnium laudes cumulatiſſimas, & favorem paene incredibilem, quae ita oriuntur, ut magnum ex unica favilla incendium.

N. OXE, Helveticus, Saec. XVIII.

Nunc primum a me memoratur, & egregiis exteris Gemmarum Scalptoribus adcenſetur N. Oxe Helveticus, cuius nomen ut clareſcat, debetur eximio Natter, qui eum praeceptorem habuit, quod mihi Cl. Stoſchius patefecit. Si, ut monet Horatius, *fortes creantur fortibus & bonis;* in artibus quoque fatendum eſt, ſaepenumero ab egregiis Opificibus egregios prodire Opifices, qui frequentius & Magiſtros probatiſſimos antecellunt.

AARON VOLFF natione Iudaeus,
Brandenburgenſis, Saec. XVIII.

Huius Artificis non uno nomine laudabilis cum meminiſſet Cl. Stoſchius me praeſente in familiaribus colloquiis, omnem curam adhibui, ut de eo quae optabam reſcirem. Quum Senis eum modo degere audiviſſem, rogavi eruditiſſimum Virum, fama nominis & editorum operum clarum, Ioannem Antonium Peccium, Equitem Ordinis D. Stephani, Patricium Senenſem, qui hoc, quod ſequitur breviarium operum eius, ab eo obtinuit; quod ſubiicio: " Aron Volff figlio „ di Iacob Volff Ebreo, Brandemburgheſe, Vaſſallo


 di S.M.

„ di S. M. Pruſſiana , nato nella Città di Sandau ,
„ Provincia di Mandinburgh nella Marca Vecchia, ora
„ d'anni trentaſei incirca, Inciſore di Gemme ; nelle
„ quali eſſo lavora ſigilli, armi, figure, ritratti, e Cam-
„ mei, e qualunque altro lavoro , che in pietre pre-
„ zioſe poſſa farſi ; come anche è Profeſſore di buli-
„ no da operarſi in qualſivoglia metallo, tanto d'in-
„ taglio , come di baſſorilievo . Il medeſimo è ſtato
„ allievo di Michel Vais, della Città di Deſſau, Vaſ-
„ ſallo di S. A. il Duca di Deſſau. Il detto Aron ha
„ avuto l' onore di ſervire molti Principi Reali nella
„ Germania, e nell'Italia, ſpezialmente a S. M. il Re
„ delle due Sicilie in Napoli, come in Roma a varj
„ Principi e Cardinali. Niuno allievo ha fatto, men-
„ tre ha camminato molto il mondo, e ne' luoghi di
„ eſſo ha fatto poca dimora ; e la maggior dimora
„ che abbia fatto è ſtata in Napoli, ove le prime ſue
„ operazioni ſono ſtate incider Gemme ; ed il primo
„ lavoro, che ivi faceſſe , fu per il Sig. Principe de
„ Salis, Duca di Mont' Allegro , Primo Miniſtro di
„ S. Maeſtà , e fu una Sardonica Orientale , in cui
„ dall'antico inciſe una Leda col Cigno, e due Cor-
„ niole, una con Arme del medeſimo , e in un' altra
„ v'inciſe un Ceſare Auguſto. Il ſecondo lavoro fu l'
„ Arme di S. M. in Zaffiro bianco ; il terzo lavoro
„ fu per il Sig. Principe Pignatelli in un raro Gra-
„ nato, in cui inciſe l'Arme di eſſo ; il quarto fu per
„ il Sig. Duca di Maddalona , per cui in Corniola
„ ſcolpì l'Arme, ed un Ercole in Plaſma . Altro la-
„ voro fece al Sig. Principe delli Tarcini Vicerè di
„ Napoli, per cui fece l'Arme in Calcedonio ; e mol-
„ ti altri lavori ha fatti al Sig. Principe della Riccia

tanto

„ tanto in Gemme, che in bulino; e così parimente
„ per il Sig. Principe della Villina sì d'Arme, come
„ di Cammei diversi. In simiglianti lavori servì il
„ Sig. Duca di Fori, ed il Sig. Principe di Tarsia,
„ a cui incise due Corniole, una con Corona, ed al-
„ tra con sua Arme, oltre a diversi lavori di bulino;
„ talchè pochi Principi e Signori di rango Napoleta-
„ ni son privi delle sue operazioni sì d'incisione di
„ Gemme, che d'intagli di bulino; ed ancora si son
„ prevaluti de' suoi lavori molti delli Generali e Uf-
„ fiziali di Milizia, dei quali, e dei lavori per essi
„ fatti non si ricorda. Ebbe ancora l'onore di fare in
„ Livorno i primi Sigilli per S. M. C. quando fece
„ l'ingresso come Granduca di Toscana, e questi fece
„ in acciaio, e parimente nella Toscana, e ora nella
„ Città di Siena, dove dimora, va continuando tali
„ lavori, e fatiche da molti ricercate.

FINIS.



P A Novelli del.

G B Brustolon inc

NOMINA VETERUM GEMMARIORUM, QUORUM IN HISTORIA GLYPTOGRAPHICA MENTIO INJECTA EST.



CATALOGUS

LITHOGRAPHORUM SEQUIORIS AEVI

QUI IN HISTORIA COMMENDANTUR.



D.

E.

F.

G.

I.

L.

M.

E R R A T A.

In Praeloquium ad Dactyliothecam pag. xv. lin. 17. aureusque *lege* argenteusque.

DACTYLIOTHECA
SMITHIANA

Volumen Alterum

HISTORIAM GLYPTOGRAPHICAM

AUCTORE

ANTONIO FRANCISCO GORIO


EXHIBENS.



VENETIIS.
CIↃ IↃCCCLXVII.

EX TYPOGRAPHIO J B PASQUALII.


SUPERIORUM VENIA, AC PRIVILEGIO.



DACTYLIOTHECA SMITHIANA.

TABULA PRIMA

IUPITER AEGIOCHUS.



CAELATORIS antiqui Graeci praestantissimi opificio, & raritate emblematis, insignis est haec Gemma; quae etsi valde manca ad nos pervenerit (quod rarioribus priscis monumentis frequentius adcidisse dolendum est) tamen ex his quae supersunt, probe coniicere possumus referre imaginem IOVIS, iuxta Antiquorum Theogoniam, Deorum omnium Patris, (1) Regis ac Domini, quem multis cognominibus ab eius potissimum virtute, potestate, beneficiis, imperio, rebusque gestis desumtis Veteres ornarunt; quae numismata, & marmoreae inscriptae arae eidem dicatae, magna ex parte praeseferunt. Quod deest in hac Gemma Chalcedonio bicolori opere anaglypho peritissime

a ex-

(1) Vid. Inscript. Donian. Class. I. num. I. qua adpellatione in Votiva Ara Romana decoratur.

exſcalpta, pereleganter ab Artifice Gemmario recentiori arte ſuppletum eſt; nam IUPITER vel myrtea, vel laurea corona decorus in vetuſtis ſculpturis non raro occurrit.

Ipſa quoque eius effigies, & vultus lineamenta, quae priſci Caelatores nunquam variare conſueverunt, IOVEM eſſe teſtantur; quodque in hoc pretioſiſſimo lapillo notatu dignum, frontem, oculos, vultum longe emendatiſſimum, ſeveritatem quamdam cum maieſtate & gravi lenitate praeferentem, miro artis ſtudio ſolertique effinxit Gemmarius antiquus, quem etiam ſuſpicor nomen ſuum, quod intercidit, adſcripſiſſe: id enim apud eximios Artifices, ſecuros iudicii ſuorum temporum, & poſteritatis, in more poſitum, ut cum aeternitate operis nomen quoque ſuum ad ſecutura ſaecula commendarent, indicarentque, atque ita opus ipſum ſuum ſe probaſſe, omniumque admiratione & laude eſſe digniſſimum teſtarentur.

Quamquam nos lateat huius Artificis nomen, quod plane periit; ex aliis tamen Gemmis, quae ipſum praeferunt, eamdemque redolent opificii praeſtantiam, inveſtigare poſſumus. Quemadmodum enim Pictores hac aetate faciunt, qui dum pictae tabulae artificem vel dubium vel non ſatis notum inveſtigant, eorum opera, quae ſimilia ſunt, ingenioſe inter ſe conferunt; ſi id & mihi licet, oculorum iudicio atque accurata conlatione fretus, crederem, non ſine ratione, hoc ipſum opus inſigne ab eo ipſo ſculptum Artifice Gemmario, qui adſimilem IOVIS imaginem incidit, quae exſtat in Mediceo Imperiali Theſauro; (1) nimirum is fuit As-

PA-

(1) Hanc vide Vol. II. Muſei Florentini a me editi Tab. III. num. I. pag. 14.

PASIUS; cuius celebre nomen ſub eiusdem Numinis protome ita legitur inciſum, ΑΣΠΑΣΙΟΥ. Medicea Gemma, nempe Iaſpis rubrus, ſuperne fractus eſt, ac mancus; egregia tamen arte ſuppletus. Idem ASPASIUS admirando opificio ac patientia incredibili MINERVAM BELLIPOTENTEM, e Iovis cerebro natam, Iaſpidi pariter rubro diligentiſſime inſcalpſit, nomenque ſuum gloriae cupidiſſimus adiecit: quod eximium opus exhibet Vir Clariſſimus Philippus Baro de Stoſch ex Dactyliotheca Ottoboniana, (1) meritoque ASPASIUM inſignem Artificem adpellat.

In Medicea Gemma IUPITER tunicato pectore ſculptus eſt; in noſtra vero (quod, vel nunc primum, vel perraro obſervatum eſt) pectus aegide munitum gerit; quo munimento adverſus TITANAS, Aetheris & Terrae filios, potentiae & gloriae ſuae hoſtes, pugnaſſe veteres Mythologi adfirmant; quapropter ΑΙΓΙΟΧΟΣ dictus eſt; nam haec lorica ad pectoris tutelam e caprina pelle conſtabat, accepta ex Amalthea capra, quae eum infantem lacte ſuo in Creta aluit, cuius exuvias IUPITER in caelum vexit, & ſideribus ornatam conſecravit, ut auctor eſt Muſaeus apud Lactantium Firmianum (2): *Huius* (inquit) *capellae corio uſum eſſe pro ſcuto* IOVEM *contra Titanas dimicantem*, *Muſaeus auctor eſt; unde a Poetis* ΑΙΓΙΟΧΟΣ *nominatur*. Id ipſum adnotat Clemens Alexandrinus, (3) qui antiqui Poetae hos verſus adfert, quem non nominat; &, ni fallor, eorum auctor Muſaeus cenſendus eſt. Ita enim Iovis ſcutum terrificum pingit:

Δει-

(1) Vide Tab. XIII. egregii Operis, cuius titulus, *Gemmae antiquae caelatae*, *Scalptorum nominibus inſignitae ec.* pag. 16. & 18.
(2) De falſa Relig. Lib. I. Cap. 21.
(3) Stromatum Lib. II. pag. mihi 413. edit. Colon.

Δεινήν ἢν πέρι μὲν πάντη φόβος ἐστεφάνωται
Εν δ' Ἔρις, ἐν δ' Αλκὴ, ἐν δὲ κρυόεσσα Ιωκὴ,
Εν δέ τε Γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου,
Δεινή τε σμερδνήτε, Διὸς τέρας αἰγιόχοιο.

Qui ita redditi ſunt:

Terribilem, Timor immenſus quem cingit, & ambit:
Lis quoque ineſt, & Vis urgens, & frigidus Horror,
Gorgoneumque caput, monſtrum olim quod fuit ingens,
Terribile, horrendum, oſtentum Iovis *aegida habentis.*

Hinc, Iove auctore, mos inolevit, ut Heroes pellibus armati bellum adgrederentur, & pugnarent; atque adeo inter prima vetuſtiora arma ingentia ſaxa, conti trabales, & clavae fuerunt. Ad haec forſitan Iovis arma reſpexit Aeſchylus, a quo δυσπαραίτιστος φρένες eius *pectus implacabile* (1) dicitur. Igitur vetuſtiora monumenta Poetarum & Scriptorum teſtantur Iovis ſcutum caprina pelle contectum fuiſſe, non vero eius pectus aegide armatum; quod quum Artifici difficile viſum eſſet, ut ſimul cum protoma exhiberetur, pectus eius aegide indutum faberrime expreſſit; adparentque anguium capita, quae Gorgonis caput ornant; quamvis ab nupero Artifice ipſum horrificum Gorgonis caput mira diligentia & iudicio ſuppletum fuerit.

Ea profecto, quae in hac operoſiſſima Gemma ſuperſunt, perſpicue docent ac teſtantur Gemmarium hunc Opificem Graecum inter praeſtantiſſimos palmam retuliſſe; eoque auctore veterum deliciarum Cultores ſingulare exemplum habebunt Iovis aegide circa pectus armati, quod nondum, ni fallor, obſervatum fuerat. Siquidem in multis monumentis ſpectatur Iupiter devictis

(1) In Prometheo ver. 34.

victis profligatisque Titanibus Victor, ac Triumphator; nam aquila eius comes & ministra, quam conscendit, in caelum vehit, Diis victoribus sociis & Geniis comitantibus, ut videre est in anaglypho eburneo, quod ex Museo Carpineo protulit Immortalis Senator Bonarrotius (1) & Vir Clarissimus I. B. Passerius in suis Lucernis fictilibus (2), inque his IUPITER chlamyde ornatus conspicitur, nudo pectore, cum sceptro, quod tanquam divinitatis & imperii insigne gerit.

Templorum frontem ornari consuevisse aegide IOVIS, cui dedicata erant, adnotat idem Bonarrotius ad numum Mylasensium (3); & quia primus omnium IUPITER triumphavit, ac triumphi auctor fuit; propterea in Domitiani numo, quem ei adulatio Romani Senatus dedicavit, TRIVMPHATOR, & DOMITOR ORBIS TERRARVM dictus est. Sed de IOVE AEGIOCHO, quo haec Gemma superbit, alias veterum Poetarum & Scriptorum opiniones adfert praelaudatus Gyraldus, quas vide, si otium est. Aegidem non solum Iovi, sed & Minervae & Apollini tribuunt veteres; sed alii pectoris tegmen, alii clypeum faciunt. Martialis (4):

Pectore quum sacro sederit, Aegis erit.

b TA-

(1) Vid. Observat. in Numism. max. mod. pag. 402.
(2) Tom. I. Tab. XXV. & XXVI. pag. 33.
(3) Ibidem Tab. X. num. I. pag. 217.
(4) Lib. VII. Epigr. I. vide quae luculenter disserit de Iovis aegide Ben. Averanius Dissert. XL. in Virgilium num. 6.

TABULA II.

IUPITER PLACIDUS.

ANtiquarum elegantiarum periti Interpretes obſervarunt, veteres Artifices ſculpſiſſe Deorum imagines, interdum ira plenas, interdum etiam placida manſuetudine, & ſerena iucunditate nitentes; quod & a Poetis, praeſertim ab Homero omnium principe, factum conſtat; qui, ut homines ſolent, Deos multis paſſionibus obnoxios deſcripſerunt, ac veluti pictura quadam loquente expreſſerunt. In hac Gemma Sarda perſpicuum eſt, Gemmarium exquiſito opere exhibere voluiſſe IOVEM ΜΕΙΛΙΧΙΟΝ, *Milichium*, hoc eſt *Placidum*, *Iucundum*, vel etiam *Serenum*; qua adpellatione in pluribus votivis aris eidem dedicatis ornatur (1).

Nec tantum quia ſereno vultu IUPITER & mitis effingebatur, ita dictus; verum etiam quia eius ope ac praeſidio omnia ſerenitate donabantur, SERENATOR nuncupatus eſt; cuius teſtis eſt Ara haec votiva inventa inter rudera Fori Romani, quam adfert Gudius (2).

IOVI. OPT. MAX
SERENATORI
CVSTODI
C. MEMMIVS. C. F. COL
SEPVLLVS. PRAEF
PRAETOR

Hanc

(1) Vide Gruteri Theſaur. Inſcr. antiq. pag. XXIII. 1. LXXVII. 6. MIX. 9.
(1) Diis dedicator. pag. V. num. 3.

Hanc quoque idem Gudius profert aeream votivam tabulam Torcelli apud Venetos inventam.

I O V I. B O N O. D E O
S E R E N A T O R I
M. MISCILIVS. RVFVS
VETERANVS. EX. V

Gaudet etiam Iuno Regina Iovis ſoror & coniux Placidae cognomento (1), quo etiam inſignitur Hercules in vetuſtis aris (2). Iovis *Milichii* ſimulacrum, Polycleti opus, Argis cultum, celebrat Pauſanias (3). Exploratum eſt, veteres Gemmarum Caelatores Deorum vultus in Gemmis ſculpſiſſe, quales adparebant, ſpectabanturque eorum Imagines & Simulacra in delubris dedicata.

In hac Gemma Iupiter toto pectore nudus effictus adparet, e dextro humero refluente brevi amiculo; cuius rei rationem adfert Porphyrius apud Euſebium (4), & antiquus Homeri Scholiaſtes a Cl. Antonio Bongiovannio, Bibliothecario Bibliothecae Venetae D. Marci, editus (5); nempe ſuperiores corporis partes nudas habet, quia caeleſtibus mundi partibus conſpicuus eſt; reliquas vero veſtibus contectas, quod humi defixis ſit incognitus; quod & Plato ſapienter oſtendit. Quum autem, ut ait Homerus, ἐκ δὲ Διὸς Βασιλῆες, *a Iove ſint Reges*, id intelligendum priſci Mythologi voluerunt, Iovis exemplo, qui Aether eſt, nunc pro opportunitate iracundia, nunc manſuetudine & clementia uten-

(1) Theſ. Grut. pag. XXV. 2.
(2) Ibidem pag. XLVIII. 9.
(3) In Corinthiac. Cap. XX.
(4) Lib. III. Cap. IX. de Praep. Evang.
(5) Vide pag. 47.

tendum esse; uti in aethere fieri videmus, qui vel nubibus iratum, vel serenitate placidum se ostendit. Memoranda est, nec silentio praetereunda, insignis Lucerna Musei Oliverii apud Cl. Passerium meum, (1) quae integrum IOVIS SERENI simulacrum, stantis habitu, praefert, cum epigraphe: IOVI SERENO SACR. &, quod est notandum, IUPITER placido vultu pedibus insistit fulmini, dextra pateram, sinistra gerens sceptrum, nudumque pectus ostentat.



TABULA III.

IUPITER TRIUMPHALIS.

QUod IOVIS caput spectetur laurea corona redimitum, in hac pereleganti Gemma Onyche insculptum, haud absurde TRIUMPHALIS adpellari potest. Triumphorum caeremoniae atque ornamenta ab Etruscis ad Romanos manarunt, quod alibi fusius observavimus. Nam primus omnium Bacchus, devictis Tyrrhenis, triumphavit, ac triumphi pompam invenit; quam ab Etruscis accepit Romulus, teste Plutarcho in eius vita. ROMULUS, inquit, *ut votum* IOVI *redderet quamgratissimum, & oculis civium speciosissimum, quercum, quam in castris vidit mirae proceritatis, recidit, & instar tropaei ordinavit, Acronis armis apte suspensis ex ea, aptatisque; veste ipse incincta, & capite fluente coma, laurea coronatus, feretrum dextro innixum humero directum gerens, incessit; carmen victoriale exercitui praesens in armis sequenti, civi-*

(1) Editam vide Tom. I. Tab. XXXIII.

civibus cum gratulatione, & laudibus eum excipientibus. Triumphorum fuit haec celebritas in posterum origo & exemplum.

Sed mox triumphandi morem multis ceremoniis atque ornamentis auctum constat. Triumphantes curru vecti Capitolium scandebant, moxque templum ingressi, in gremio Iovis Capitolini detractam e capite suo lauream coronam deponebant; quod ipsum non solum triumphi auctorem, verumetiam hostium depulsorem, vindicem ac propugnatorem agnoscerent, ac venerarentur. Iovi *Feretrio* devictorum hostium opima spolia dedicabant, & tropaea statuebant, (1) quae non solum Iovi, sed & Iunoni, quae *Tropaea* dicta est, in perenne gloriae monimentum consecrabantur. (2)



TABULA IV.

APOLLO ARGYROTOXUS.

PYthonem serpentem internecione confecit APOLLO, qui ΑΡΓΥΡΟΤΟΧΟΣ ab argenteo, & splendido arcu ita vocatus est, cuius imago ab optimo Opifice Gemmario in hac Sarda inscalpta est. Post humeros eius spectatur pharetra. Corona qua eius caput cingitur, hederacea mihi adparet; quod APOLLINEM & Bacchum unum idemque Numen veteres censuerint, ut auctor est Macrobius. Utrique deo tributa est tum hederacea, tum laurea corona; quod & alibi observavimus. Qui in Hyacinthiis certaminibus APOLLINI sacris vincebant, apud Lacedaemonios hederacea corona coronabantur, uti constat ex Pausania (3), & Athenaeo (4). Antiquum

c Epi-

(1) Livius Dec. I. Lib. I.
(2) Vide Iul. Caes. Bulengerum de Triumpho Lib. I. Cap. III.
(3) In Laconicis. (4) Lib. IV. Deipnosoph. Cap. VII.

Epigramma in tripode ſcriptum memoratur ex Herodoto, quem Scaeus Pugilum victor Thebis in Templo Apollini *Iaculatori*, ſeu *Sagittatori* in teſtimonium virtutis ſuae dedicaverat. (1)

ΣΚΑΙΟΣ ΠΥΓΜΑΧΕΩΝ
ΜΕ ΕΚΗΒΟΛΩΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ
ΝΙΚΗΣΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕ ΤΕΙΝ
ΠΕΡΙΚΑΛΛΕΣ ΑΓΑΛΜΑ

TABULA V.

FEMINA AD ARAM IGNITAM.

SEdens Femina ad ignitam aram, eleganti opere Sardae Gemmae inſcalpta, multa continet eruditae Vetuſtatis arcana myſteria, quae veteres Myſtae ſacris Deorum initiatis poſt multos probationum gradus tandem patefaciebant, iidemque initiati iuramento obſtringebantur ne profanis revelarent; quapropter plurima nos latent, quae in Orgiis Deorum fiebant. Huiusmodi iuramenti legem indicari putabam in marmorea baſi honoris cauſſa poſita L. Valerio Iuniori e Pomptina Tribu, quam ei cum Statua Plebs Urbana apud nos dedicavit. In ea enim legitur: IURATO AD SACRA ETR. nempe *Etruriae*. (2)

Quum mulier formoſa ſit, eximio opificio ſculpta, toto corpore nuda, putabunt aliqui Venerem eſſe poſſe. Sed quum Veneris nullum praeſeferat ſymbolum, & ſymbola, quae exſtant, ad Venerem hactenus cognitam

(1) In Theſ. Murat. Claſs. IX. n. I. pag. DCXXVII. ſed, paucis mutatis, quum alterum Epigramma adferatur in Claſs. II. pag. CXXII. n. 6. de fide exſcriptoris dubito.

(2) Hanc habet in Par. I. Inſcript. ant. quae in Etruriae Urbibus exſtant, pag. 448. n. 79. de qua fuſius differui in Par. II. eiusdem Operis a pag. 279. ad pag. 287. num. 13.

tam non adludant, ex conie&#x1F;cturis videndum est, cui nam feminae haec omnia quae expressa sunt, aptari possint, vel etiam si ea & Veneri ipsi tribuerit Vetustas. Ferulam vittatam sinistra, quam ad ignitam aram admovet, tenet. Convenit huiusmodi symbolum Bacchis feminis, quae sacris Liberi Patris operabantur, & in Orgiis primas tenebant. Si vero ad picta Vasculorum Etruscorum emblemata, quamprimum a me in lucem proferenda, oculos convertamus, quae reconditam, ac nondum bene notam eruditionem continent, quam litterario orbi quamprimum, me curante, aperiet Vir Doctissimus Passerius, videbimus Veneri ab Etruscis ferulam, & thyrsum tributum esse, quod & ipsa cum ceteris Diis ad Orgia celebranda adfuerit; quod & Ovidius in Fastis docet: (1)

Festa corymbiferi celebrabas Graecia Bacchi,
Tertia quae solito tempore bruma refert.
Di quoque cultores gelidi venere Lycei,
Et quicumque ioci non alienus erat:
Panes, & in Venerem Satyrorum prona iuventus;
Quaeque colunt amnes, solaque rura, Deae.

& mox; qui versus hanc feminam pingunt, quae collectum amiculum habet super genua:

Illa super suras tunicam collecta ministrat:
Altera dissuto pectus aperta sinu.
Exserit haec humerum: vestem trahit illa per herbas.
Impediunt teneros vincula nulla pedes.
Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.
Irrisum vultu despicit illa suo.

Ad

(1) Lib. I. vers. 393.

Ad hanc ſingulari emblemate ornatam Gemmam explicandam mirificam lucem ſuppeditat pereximium ex aere monimentum prope Neapolim nuper effoſſum, quod oblatum eſt Carolo Borbonio, utriusque Siciliae Regi Invictiſſimo, qui hiſce priſci aevi deliciis mirifice delectatur, curante Cl. Viro Iacobo Martorellio Regio Graecarum Litterarum Profeſſore, qui delineandum, aerique incidendum curavit, cenſetque apud Veteres in uſu fuiſſe ad ſcribendum pro arcula, ſeu thecula atramentaria, Graecis μελανδοχεῖον ſequiori aevo. In qualibet facie argento in aere inſerto miro opere ſculptus eſt Deus, vel Deae ſtantes; qui omnes reſpondent ſingulis hebdomadae diebus. Venus, quae in eo ſculpta eſt, nec de eius imagine dubitari poteſt, manibus thyrſum vittis ornatum praefert; (1) quapropter in Dionyſiacis Sacris, & Orgiis minime dubitandum eſt Venerem locum habuiſſe, cuius comites ſunt Charites, & Nymphae; quae etiam inter Gentilium Deas Πολυωνυμίας laudem conſecuta eſt, ut obſervat praeſtantiſſimus Ezech. Spanhemius. (2)

Super ignitam aram volitat papilio, de cuius imagine mihi ſcrupulum obortum fateor; nam corpore praepinguis valde eſt; ſcrutabarque, num potius vel columba, vel pernix eſſe poſſet, quae aves Veneri ſacrae ſunt, propter fecunditatem. Quum tamen alae papilionem perſpicue indicent, de eo potius dicendum, & quid ſignificet inquirendum. Minime dubitandum eſt papilionem animae ſymbolum eſſe, de quo multa eruditionis fruge nuper diſſeruit Celeberrimus P. Eduardus Cor-

(1) Vide quae adnotata ſunt in Decade II. mearum Symbolar. Romanae edit. Vol. II. pag. 131. & ſeqq.

(2) Obſervat. in Callimachi Hymnum in Dianam pag. 120.

Corsinius in meis Symbolis Florentiae editis (1), dum maximi moduli numisma in Museo Vaticano reconditum, in honorem Antonini Pii Caesaris Augusti percussum, luculenter expenderet & inlustraret. Si igitur super ignitam aram volitantem papilionem esse velimus, coniiciendum est, hoc symbolo Apotheosim declarari; & Femina, quae sedens spectatur, indicare potest expiationem animae factam per mysteria Bacchi; & ipsa facile esse potest una ex Bacchi choro, quae Orgia, & Sacra curabat; qua de re & vittatam ferulam tenet. Adnotatum est a Cl. Passerio in Dissertatione *de animarum transvectione*, quae inter Astriferas Gemmas edita a me est, initiatos Mithriacis sacris ad Elysios migrare, sive ad Hesperidum Hortos equo vectos; & in adlatis a me antiquis Gemmis, ac marmoreis sepulchrorum anaglyphis, Mithriaci transvecti equo ad ignitam aram adcedunt, quae lustrationis eorum symbolum est. Ex Herodoto constat (2), Mithram esse Venerem, cuius religionem Persae ab Assyriis acceperunt; nisi forte *Mithras* cum adspiratione diversus est a *Mitra* sine adspiratione, ut observat Ben. Averanius, (3) qui haec de Venere Mithra erudite adnotat: *Venus in animo Universi est illa vis, qua animus ad generandum incitatur; unde tanta, ac tam mirabilis exsistit rerum cum inanimarum, tum animatarum varietas, ac multitudo*. Utcumque res se habeat, fatendum est, valde difficile esse propriam, & magis aptam explanationem adferre harum Gemmarum, quae arcana veterum mysteria, sive Mithriaca, sive Orphica, Dionysiaca, & Orgica continent,

d

(1) Vide Vol. VI. (2) Lib. I. Cap. 331.
(3) Differt. LXXI. in Antholog. num. 9.

tinent, quae nonnisi initiatis perspecta erant. Solebant enim hae Gemmae donari Defunctis, quasi testes, & vades lustrationum, quas in mysteriis Deorum, quibus initiati fuerant, dum viverent, acceperant. Etruscorum sepulcra frequenter pro emblematis sculptas praeferunt varias initiatorum lustrationes, de quibus luculenter pertractatum a me est in Museo Etrusco. Anaglypha quoque Sepulcrorum apud Romanos, & Italos frequenter exhibent Sacra Dionysiaca, Orgia, lustrationes, & Herculis labores, quibus immortalitatem consecutus est, & ipse post multas caedes expiatus; quod ostendit Farnesiana Tabula inter Donianas a me primum edita, mox docto Commentario illustrata a praelaudato Cl. P. Corsinio, cui ipsam Tabulam aeri incisam communicavi, postquam eum ut hunc laborem in decus, & ornamentum mearum Symbolarum susciperet, fueram hortatus. Doctorum igitur hominum iudicio expendendum relinquo, num ea femina vel Venus, vel Baccha, sacrum faciens pro defuncti expiatione, ad apotheosim impetrandam sculpta sit. Adcedit quod Venus *Libitina* funeribus praeesse credebatur, uti Venus *Natalis* principiis vitae praeerat, ut auctor est Plutarchus (1), de qua multa a Scriptoribus, qui de funeribus antiquorum tractarunt, adnotantur. Minime silendum Epigramma Martialis: (2)

Effert uxores Fabius, Chrestilla maritos,
Funereamque toris quassat uterque facem.
Victores committe Venus, quos iste manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

TA-

(1) In Vita Numae. (2) 43. Lib. VIII.

TABULA VI.

CUPIDO ſeu GENIUS CONCHA PER MARE VECTUS.

TRiton in hoc eleganti anaglypho novi operis, trahit currum ea forma exſtructum, quem Phyſici naturalium rerum obſervatores cochleatas caſſides adpellant. Inſidet dorſo eius Nympha Oceanina, &, undis multa placiditate plaudentibus, CUPIDO, ſeu GENIUS, quaſi maris Dominus in curru ſedens transvectatur. Amor Veneris, quae e mari orta fingitur, potentia eſt, qui crudelis a plerisque vocatur, & e mari ortus fingitur, marique ſimillimus eſſe oſtenditur, ut obſervat Averanius (1). Et quidem ſi maris naturam contemplari velimus, perſimilem Amoris naturae omnino reperiemus. Quid enim iucundius adſpectu tranquilli maris, quum undae aequaliter diffuſae, aut leniter vento criſpatae nitent; quum aurae blandiuntur, ſplendet caelum, arridet mare, aer ipſe placidus, & purus adlicit, & invitat ad navigandum? contra quid tam triſte, ſaevum, metuendum, horridum, quam turbati maris facies, quum ubique horror, ubique minae, & praeſentis mortis formido urget & inſtat? Eodem ſane modo nihil aiunt eſſe beatius, nihilque jucundius Amore, qui ſit compos effectus voti. Quod oſtendit apud Terentium (2) adoleſcens, qui ſuis deliciis, & amoribus potitus, fortunam ſuam cum immortalium Deorum ſorte comparat. Contra vero nihil infelicius eſſe aiunt, nihil ſaevius Amore non proſpero: quapropter Tibul-

---

(1) Differt. XIX. n. 9. in Anthologiam. (2) In Eunucho Act. V. Sc. VI.

Tibullus (1) utramque conditionem amantium comprehendens, ita cecinit:

Ah miseri, quos hic graviter Deus urget; at ille
Felix, cui placidus leniter adflat AMOR.

Et Poeta nobilis apud Athenaeum ait, (2) AMOREM duas habere sagittas; quarum altera iucunditatem omnem, & prosperitatem adfert, altera vitae perturbationem: quem imitatus Ovidius (3), alias Amoris sagittas esse plumbeas, alias aureas adfirmavit. Iure igitur AMOR e mari natus fingitur, cuius naturam, & mores imitatur.

Haec est magis consentanea menti nuperi Artificis explicatio. Si vero ad antiquissima Etruscorum & Romanorum emblemata in feralibus Urnis sculpta mentis oculos convertamus, quae exhibent Tritones dorso vehentes Nymphas; hinc discimus repraesentari defunctorum animas per mare vectas ad Elysios, quae Oceani aquis purgatae omnem felicitatem, ex Paganorum Theologia, post hanc transvectionem in beatis illis insulis consequi putabantur.

TABULA VII.

PSYCHE.

EXquisitae elegantiae est Gemma, quae nunc in conspectum prodit, cum PSYCHES imagine. Puella eximia forma praedita exhibetur; & quidem, non ut

(1) Tibullus Lib. II. Eleg. I. (2) Deipnosoph. Lib. XII.
(3) Metamorph. Lib. I. Fab. 9.

ut in aliis complurius Gemmis, aperto capite, ſed velato; qui cultus fortitan docet ſub hac effigie expreſſam eſſe aliquam ex Auguſtis feminis, quae Apotheoſin conſecuta, Deorum conſortio & immortalitate donata, culta eſt; nam papilio, qui in eius ſinum volitat, quum immortalitatis indicium ſit, iam ab ea adeptam divinitatem & conſecrationem deſignat. In numismatis, quibus ad aeternitatem nominis Auguſtae Feminae Divae & ſideribus receptae, & conſecratae oſtenduntur, velato capite ſemper repraeſentantur, & plerumque etiam Dearum ſpecie, cultuque earumque adtributis, atque ornamentis decorantur. Pertinent hae Gemmae ſimulacra continentes Amoris & Psyches ad ſacra quaedam Amoris myſteria, quae Veteres occulta & arcana eſſe voluerunt; eaque praeſertim apud Theſpienſes invaluere, apud quos Amoris myſtica Orgia celebrabantur; & forſitan ab iisdem Theſpiis manarunt fabulae, & quae narrantur Cupidinis & Psyches nuptiae, eorumdemque coniugum paſſiones, contentiones, blanditiae, oſcula, amplexus, cruciatus, vincula, quae mutua vice apud eos intercedebant; quae omnia in monumentis antiquis tum eburneis, tum marmoreis, ac praecipue in Gemmis, exhibentur; e quibus non paucas obſervavi & protuli e Mediceo Muſeo (1). Pulcherrima prae ceteris eſt, eximia, atque omni commendatione digna, Gemma illa, anaglyptico opere ex Sardonyche ſculpta, quae in Londinenſi Dactyliotheca Arundelliana ſpectatur; in qua Tryphon, qui in ea nomen ſuum ſcripſit, *Nuptias Cupidinis & Pſyches* miro ingenio expreſſit, tribus Geniis Paranymphis famulan-

e tibus;

(1) Tom. I. Tab. LXXIX. LXXX. & LXXXI.

tibus; quam editam vide apud Sponium (1), exquiſitius tamen aeri inciſam apud Cl. Baron. Phil. de Stoſch (2). His enim figuris ac ſymbolis veteres Philoſophi deſignabant apud rudes homines animae hominis cum corpore unionem, varioſque affectus & paſſiones inter Cupidinem quo corpus denotabant, & Pſychen, qua animam divinae aurae particulam, & caeleſtis originis exprimebant, puellae formoſiſſimae imagine, cuius humeris papilionis alas aptabant; nam Ψυχή commune nomen eſt, cum animae, tum ipſi papilioni conveniens; ſi vero alis papilionaceis deſtitutam exprimebant, papilionem ipſum, vel eius capiti, vel circa os & faciem volantem ſculpebant, quod a perito Artifice & in hac inſcalpta Sarda factum conſpicimus. Veram de animae immortalitate, atque immaterialitate ſententiam, de qua Plato divinitatis eius atque immortalitatis adſertor, compluribus vanis figmentis perturbarunt corruperuntque ſequiorum temporum ſcriptores, auctores emblematum omnium Cupidinis, & Pſyches, quos etiam pictores, & ſculptores ſecuti ſunt; iisdemque defunctorum Sepulcra praecipuo ſtudio ornarunt, ut defunctorum animas immortales quidem, ſed & poſt fata paſſionibus quibusdam obnoxias, ut ſtulte credebant, oſtenderent.

Simulacra Cupidinis & Pſyches tum apud Graecos, tum apud Romanos complura in eorum monumentis habentur; ſed apud Etruſcos noſtros utrum eadem opinio invaluerit, quamprimum ex Vaſculorum picturis oſtendetur. Pſyche & Cupidini Genios, tanquam miniſtros adtributos, oſtendi ex marmoreo anaglypho Roma-

---

(1) In Miſcell. erud. Ant. Sect. I. Art. III. pag. 7. (2) Tab. LXX.

Romano, (1) in quo Cupido calathum floribus refertum & corollam parat, vel potius a Psyche Coronaria, quae cum eo sedet, Geniis ministrantibus, accipit. In altera Gemma a me adlata (2) ex celeberrimo Museo Victorio, spectantur Psyche & Cupido mutuis amplexibus se blande constringentes dum in sublimia feruntur, caelum, uti coniiciebam, ascensuri, ubi eorum nuptias celebratas fuisse fingit Apuleius (3); qui tamen ait, PSYCHEN a Mercurio arreptam, & in caelum perductam, haustoque ambrosiae poculo accubuisse cum marito suo nuptiali coenae, supremo in throno, cui aderant in ordine suo discumbentes ceteri Dii; quibus pocula ministrabat Liber Pater, Horae rosis, & floribus omnia purpurabant, Gratiae spargebant balsama, Musae carmina sonora pangebant, canente ad lyram Apolline, formosa Venere saltante, ac musicos modos moderante, ceteris Diis plaudentibus; quae Apuleii pictura est elegantissima, & legentibus iucundissima.

Pulcherrima res est contemplari quam ingeniosi fuerint Sculptores, ac praesertim Gemmarii Artifices, in exprimenda Psyches, & Cupidinis fabulosa historia. Hae Gemmae defunctis plerumque dedicabantur, adeoque non sine ratione inter funebria donaria connumerari possunt. In numis nunquam vidi imagines Cupidinis & Psyches; at in Museo Mediceo, pulcherrimum symplegma marmoreum observatur consummatissimo opere a Graeco Sculptore perfectum, quod etiam operis vetustatem ostendit. (4) Sed in hoc ipsa Psyche nudo

(1) Vide in principio Praefationis ad Monumentum, sive Columbarium Servorum & Libertorum Liviae Augustae, pag. XI.

(2) In eodem Opere, pag. 232.

(3) Metamorphos. Lib. VI.

(4) Musei Florentini Tom. III. Tab. XLIII. & XLIV. pag. 48. & 49.

nudo capite ſculpta eſt ; in hac vero Gemma velato; quo ſymbolo eius divinitas, vel Auguſtae ſub eius effigie latentis conſecratio, ut diximus, praenotatur.



TABULA VIII.

FLORA.

DIU haeſi incertus, num hanc Imaginem Gemmae Sardae inſcalptam FLORAE tribuerem. Primum Nympham aliquam ex Napaeis, vel Venerem cum ceſto ſculptam opinabar. Tandem quum mihi videretur flores ſiniſtra oſtentare, FLORAE DEAE potius ſimulacrum exhibere putavi. Deam eſſe oſtendit diadema, ſeu mitella, quam ad ornatum capitis gerit. Veſtis eleganter ſculpta eſt. In hortis Servilianis Romae laudat Plinius FLORAM, (1) inſigne Praxitelis opus. Ovidius ei tribuit coronam in capite, variis floribus contextam; (2) a quo *Florum mater* dicitur:

Mille venit variis florum Dea nexa coronis.

Romani a Sabinis eius cultum acceperunt. Primus omnium *Floralia* fecit C. Servilius; cuius Deae caput corona laurea & floribus redimitum ſpectatur in eius numis in Morelliano Theſauro. Fabrettus aeream votivam lamellam Deae Florae cum donario poſitam adfert, ſua tempeſtate in agro Sabino effoſſam, quae haec habet:

FLORAE
TI PLAVTIVS DROSVS
MAG II
V. S. L. M.

Numa

(1) Hiſt. Nat. Lib. XXXVI. Cap. V. (2) Lib. V. Faſtorum, & Lib. IV.

Numa Pompilius, honoris causa, Flamines ad eius cultum adsignavit, instituitque, quos *Florales* dixit. Plura notatu digna de FLORA observat Gyraldus, quae vide (1).

Secutis temporibus FLORA adpellata est FERONIA; quod cognomen & Iuno Regina habuit, quasi unum idemque Numen fuerit. Id ex vetustis aris adstruimus; quum hoc marmor in Via Valeria exstaret. (1)

FLORAE FERONIAE
SACRVM
T. DEASIVS. T. F. HER
CVLANILLVS. IIII
VIR. VIAR. CVR

Graeci, teste Halicarnasseo, lingua sua alii Ανθέφορον, hoc est *Florigeram*, alii Φιλοστέφανον, *Coronarum amantem*, alii *Phersephonem* dixerunt.



TABULA IX.

FEMINA BIFRONS.

PRUDENTIAM hoc simulacro Sardae inscalpto contemplandam nobis proposuit Gemmarius aetate nostra egregius ac diligens Artifex; nam alterum caput virile barbatum, ea quae iam adciderunt, & praeterita sunt, respicit; alterum vero femineum, quae eventura sunt insecuturis temporibus observat, & intuetur. Pectus nudum atque apertum est; quia non quae falsa, sed quae sincera & vera fuere eruntque, prospice-

f re

(1) Syntagm. I. Historiae Deorum.
(2) Haec & duae aliae inter Gudianas adferuntur, pag. LX. num. 9. 7. & 8.

re prudenter curat, ſatagitque ſtudioſe vel ſequi, vel evitare. Serpentem gerit circa dextrum brachium convolutum, quem manu tenet; quem prudentiae ſymbolum eſſe nemo eſt qui neſciat. In vetuſto numismate ex aere a Florentinis edito ſaeculo XV. in honorem Eloquentiſſimi Oratoris & Poetae IOANNIS BOCCACCII, quod ſingulare eſt, & apud me exſtat, e quo complures amici ectypa exemplaria deſumpſerunt, Femina ſtans ſculpta in poſtica eſt, quae dextera manu ſerpentem oſtentat; quo emblemate oſtendere voluerunt, ſummum virum BOCCACCIUM in fabulis enarrandis inſtruere voluiſſe cuiuscumque ordinis homines tum ſacros, tum ſaeculares ad prudentiam, patefactis nequiſſimorum hominum fraudibus, tecnis, aſtutiis, facinoribus, ut ab iisdem caverent, & verum virtutis & honeſtatis tramitem conſectarentur. Romani ut oſtenderent Ianum Regem prudentiſſimum fuiſſe, bicipitem, & quadriformem effinxerunt, uti priſca numismata oſtendunt. Siquidem & praeſentia obſervare prudenter debent omnes, praeſertim Reges ac Principes, ac praeterita noſſe, quae in Hiſtoriis & Annalibus memorantur, & futura multo ante praevidere; quapropter Terentius (1):

Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt
Videre; ſed etiam quae futura ſunt
Proſpicere - - - - - - - -

De hoc ipſo emblemate Prudentiae, ſi plura cupis, habes apud Andream Alciatum.

TA-

(1) In Adelphis.

TABULA X.

OPS DEA.

OPS Dea, eadem ac Terra est, Vesta ac Ceres; quam idcirco OPIM Veteres dixere, ut docet Varro (1), quod opes omnes, & quae ad vivendum opis sunt, e Tellure proveniant; eadem omnium rerum parens, ac Mater Deorum habita. Scythae lingua sua *Apiam* adpellavere, ut docet Herodotus. Ea de caussa cornu copiae spicis frumenti, & frugibus abundans eidem adtributum est, quod symbolum praefert in hac Gemma elegantissima antiqui Artificis opus exquisitissimum, qui eam Amethysto inscalpsit. Fruges & fructus eius auxilio mortales accipere credebant; de qua haec Macrobius (2): *Hanc autem Deam* OPEM *Saturni coniugem crediderunt; & ideo hoc mense* [XIV. Kalendar. Ianuariarum] *Saturnalia itemque* OPALIA *celebrari: quod Saturnus eiusque uxor tam frugum, quam fructuum repertores esse credebantur. itaque omni iam fetu agrorum coacto ab hominibus, hos Deos coli quasi vitae cultioris auctores; quos etiam nonnullis Caelum ac Terram esse persuasum est: Saturnumque a satu dictum; cuius causa de Caelo est; & Terram* OPEM, *cuius ope humanae vitae alimenta quaeruntur; vel ab opere, per quod fructus frugesque nascuntur*. Saturno & OPI primus in Attica statuit aram Cecrops, teste Philochoro apud eumdem Macrobium (3). Huic Deae sedentes vota concipiebant, terramque de industria tangebant; quem ritum facile ostendunt vetusta quaedam monumen-

(1) De Lingua Lat. Vid. Museum Etruscum T. II. Class. I. Tab. XXI. T. I. pag. 73. 74.
(2) Saturnal. Lib. I. Cap. X. num. 231.
(3) Loco citato.

menta, & Gemmae non paucae, quae exhibent feminam, vel etiam viros, qui incurvatis genibus, quasi sedentes ante fruges in vase vel canistro congestas spectantur, ex his aliquid accepturi; qui forsitan ritus in OPALIBUS servabatur, dum patres familiarum cum suis & servis, fructibus & frugibus iam coactis vescebantur; quod ex eodem Macrobio colligimus. Eadem Dea inter *Consentes* adnumerata, quae etiam praediorum conservatrix adpellatur in vetustis aris, iisdemque adpellationibus ornatur & Ceres, quae, ut diximus, unum idemque numen habitum est, nempe *Diva*, *Divina*, *Consentia*, *Frugifera*, *Salutifera*, (1) cuius signum memoratur in sequenti ara Romae in Foro Boario posita a M. Purellio Tutelliano, Patrono Collegii Aurificum, de quibus agimus in Historia Glyptographica; qui ei signum candelabrum, basem, & hypobasem argenteam ex voto dedit.

OPI. DIVINAE. S
M. PVRELLIVS. M. F
PAL. TVTELLIANVS
FLAMEN. FLAVIAL
CVRATOR. AEDIVM
SACR. PATRON. COLL
AVRIF. QVINQVEN
III. DD. SIGN. CANDELAB
BASEM. ET. HYPOBAS
CVM. AR
IIII. NON. FEBR.
L. TORQVATO III ET. C. IVLIA
NO. VETERE. COS

Pecu-

(1) Vide Gruteri Thesaur. pag. XXII. 3. 4. Gudianas Inscript. pag. XIV. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & in sequenti.

Pecuniam a Romanis in aede Opis reconditam memorat Cicero Philipp. I. & oftendunt pondera quae exftant in celeberrimo Mufeo Collegii Romani Soc. Iefu, quae a Fabretto adferuntur, ita infcripta: TEMPL. OPIS AVG. cum numericis notis II. V. (1)

Illud, quod huius Gemmae raritatem auget, obfervandum fupereft, nimirum Dea dextrae manus digitum indicem ori fuo admovet; quo indicabatur filentium in facris myfteriis adhibendum, ex Aegyptiorum ritibus, atque inftitutis; & ita inter Aegyptiorum monumenta facra expreffus occurrit Harpocrates; de quo non pauca alibi adnotavimus, de quo etiam plura erudite profert amiciffimus Pafferius, qui in priore lucerna Vol. I. figillum adfert cum epigraphe DEO QVI EST MAXIMVS; quae forfitan indicat Iovis Genium facra Iovi, quem Deum maximum habebant, cum filentio celebranda, eidemque religiofas adorationes de more effe praeftandas (2). Quod ad rem meam pertinet, fignum fe habere memorat Cl. Pafferius VESTAE, precantis habitu, quae ad hunc modum expreffa eft; & adfert Apuleii teftimonium (3), quod manus dextera ad ofcula oris admota, & digitus erectus, inter indicia adorantium recenferentur. *Admoventes oribus fuis dexteram, primore digito in erectum pollicem refidente, ut ipfam prorfus Deam Venerem religiofis adorationibus venerarentur*. His igitur obfervationibus, adlatisque exemplis, non abfurde conieci in hac Gemma eximia, imaginem referre OPIM, quae eadem eft ac VESTA, TELLUS, CERES, quibus optime convenit copiae cornu fructibus & frugibus abundans.

(1) Infcr. Domeft. Cap. VII. pag. 524. num. 369. & 370.
(2) Vid. in Notis, pag. 1. 2. 3. (3) Metamorph. Lib. IV.

TABULA XI.

TERMINALIA.

HUius pulcherrimae Gemmae anaglyphico opere Chalcedonio diligenter exſcalptae emblema deſumtum eſt ex Ovidii verſibus, quos adducam, ut meritis laudibus Gemmarius νέκρος Opifex noſter ornetur. Romani divino cultu religioſisque ſacris TERMINOS Deos devenerati ſunt; quod in eorum tutela termini agrorum eſſent. Eorum religionem & cerimonias inſtituit Numa Pompilius, teſte Dionyſio Halicarnaſſeo (1). Primum rudis lapis quadratus fingebatur pro Deo, & in agrorum finibus multiplicabatur, quem oleo ungebant, & floribus ſertisque, velaminibus ac taeniis coronabant; hique Termini tamquam ſimulacra habebantur. Huiusmodi ritus memorantur a Statio (2), ab Apuleio (3), & in hunc modum a Flacco Siculo. *Quum terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in proximam terram conlocabant, proxime ea loca, quibus foſſis factis defixuri eos erant, & unguento velaminibusque & coronis eos coronabant*. Feſta VIII. Kal. Martias magna ruſticorum ſolemnitate, & hilaritate celebrabantur. Antiquiſſimis temporibus ſacra in honorem TERMINI peragebantur ſine caede animalium; quae conſuetudo mox ſecutis temporibus exolevit; rudesque lapides cum Dei effigie effingi coeperunt. Lapidem DEO TERMINO ſacrum adfert Reineſius, quem vide. (4) Termini limitum agrorumque tanta profecto reverentia colebantur, ut ſi quis

(1) Antiq. Rom. Lib. II. pag. mihi 153.
(2) Thebaid. Lib. II. (3) Lib. I. Floridor.
(4) Inſcript. Synt. Claſs. I. n. CCXXXIX. pag. 222.

quis eos transferre ausus fuisset ab agro in alium, violati numinis irae caput eius devoveretur; talemque hominem occidere licitum erat, ut sacrilegium expiaretur, ut auctor est Pompeius Festus: *Denique Numa Pompilius statuit, eum qui terminum exarasset, & ipsum & boves sacros esse*. Multa etiam erudite observat Sponius in Miscellaneis eruditae Antiquitatis (1); qui adfert schema Musivi Lithostroti antiqui Lugdunensis, in quo expressus est iuvenili forma Terminus Deus, in Hermae similitudinem, ad quem Genius Satyrum adducit, adductum adloquitur, & prohibere videtur ne protervus adcedat. Non longe adstat Silvanus, quem Horatius *Patrem*, & *finium Tutorem* (2) vocat; quo emblemate, ut opinor, prisca Ethnicorum religio in colendis terminis declaratur. Sacra in honorem TERMINI celebrabantur VII. Kalendas Martias, uti scriptum in Kalendario Constantini Magni:

IX. FERALIA
VIII. CHARISTIA
VII. TERMINALIA

Eadem *Terminalia Sacra* accurate ab Ovidio ita describuntur, ad quem quum Artifex noster respexerit, versus minime praetermittendi sunt: (3)

Nox ubi transierit, solito celebretur honore,
Separat indicio qui Deus arva suo.
TERMINE, *sive Lapis, sive es defossus in agro*
Stipes ab antiquis, sic quoque numen habes.
Te duo diversa domini pro parte coronant;
Binaque serta tibi, binaque liba ferunt.

Ara

(1) Sect. II. Artic. VIII. (2) Epid. Ode 2. (3) Fastorum Lib. II. vers. 640.

Ara fit: huc ignem curto fert rustica testu
Sumtum de tepidis ipsa colona focis.
Ligna senex minuit, concisaque construit alte;
Et solida ramos figere pugnat humo.
Dum sicco primas irritat cortice flammas,
Stat puer, & manibus lata canistra tenet.
Inde, ubi ter fruges medios immisit in ignes,
Porrigit incisos filia parva favos.
Vina tenent alii: libantur singula flammis.
Spectant, & linguis candida turba favent.
Spargitur & caesa communis Terminus agna:
Nec queritur, lactens cum sibi porca datur.
Conveniunt celebrantque dapes vicinia simplex;
Et cantant laudes, TERMINE SANCTE, *tuas.*
Tu populos, urbesque, & regna ingentia finis:
Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est: nullo corrumperis auro.
Legitima servas credita rura fide.

Haec omnia perbelle in hoc Cameo expressit ingeniosus Artifex. Ignis lucet in ara ante ipsum TERMINUM. Canistrum floribus, unguentis, taeniis, vino, libisque ac frugibus refertum adfert, & capite gerit puerulus. Cratere ante aram posito, stat Sacrificulus flexis genibus cum cultro ut agnam caedat. Adsunt liticen, & cornicines duo, qui, dum sacra Terminalia celebrantur, eiusdem Dei laudes canunt. In exergo, duo encarpia e floribus, frugibus ac frondibus contexta, suspensa visuntur, cum arietino capite in medio; nam Ovidio, ut vidimus, teste, diversa parte, nempe antica & postica coronabatur Terminus pro Deo habitus, & bina serta suspendebantur, quia ipse agrorum fines ante & retro tueri credebatur. In Sacris Silvani

qua-

quadrata spectatur ara in vetusto marmoreo anaglypho, quod adfert, & inlustrat Iac. Philippus Tomasinus de Donariis ac Tabellis votivis Cap. XXIV. cuius Dei *Tutoris finium & arvorum*, laudes adstante tibicine canuntur. Adfertur porca vittata immolanda; & senex rusticus vini amphoram in humeris adfert, & suspensae arbori corollae spectantur, quod monumentum, si otium est, vide.

Quod ad victimam spectat in honorem Dei TERMINI caesam, Horatius agnam & haedum memorat: (1)


Vel agna festis caesa TERMINALIBUS,
Vel haedus ereptus lupo.

quamvis a Plutarcho nulla adsignetur hostia. Igitur in agrorum finibus statuebantur Termini vel e truncis arborum, vel e sectis lapidibus, qui pro Diis habebantur custodibus, & tutoribus arvorum praediorumque: at Romae in Capitolio TERMINUS Deus, servator & custos limitum ac finium Imperii Romani, tanto honore colebatur, ut cultus par Iovi esset (2). Quum Tarquinius Superbus Iovi Templum aedificare vellet, evocatis e suis sacellis diversis Diis e Tarpeio, solus TERMINUS sedem non mutavit, ut notat Servius in Virgilium (3): *Quumque omnes Dii libenter inde migrassent*, TERMINUS *solus, hoc est, limitum Deus, abscedere noluit; sed illic remansit. Tunc de hoc ipso sacrificatum est, & deprehensum, quod* TERMINUS *cum* IOVE

h rema-

(1) Epod. Ode II.
(2) Vid. Rosinum Antiq. Rom. & ad eum Th. Dempsterum Lib. II. Cap. XX.
(3) Aeneid. Lib. IX. vers. 448.

remanens aeternum Urbi imperium cum religione significaret ; unde in Capitolio prona pars tecti patet , quae lapidem ipsum Termini *spectat ; nam* Termino *nonnisi sub divo sacrificatur .*



TABULA XII.

ADVENTUS AUGUSTI.


HUius qualiscumque sit gemmae valde difficilis apparet enarratio , saltem ut mihi videtur ; nec fortasse omnino feliciter eam caelator exsculpsit , ut quod animo conceperat , satis luculenter exprimeret . Quamobrem mihi ignoscendum puto , si coniectando , vel potius ariolando mentem Artificis adsequi conabor . Hanc igitur arbitrarer adventum , aut transitum nescio cuius Imperatoris designare . Imperatorum enim mos erat , ut nemo nescit , pro rerum opportunitate , vel imperii necessitate Provincias peragrare , vel ad bella proficisci , vel ab exercitu revertere . Civitates autem per quas illis transire , aut ad quas divertere opus erat , praestantiores Cives obviam mittebant , qui Civitatis nomine adclamabant consuetis , & probe notis formulis , quas in nummis frequenter legimus , nempe : Adventui Augusti Africae , Alexandriae , Ciliciae ec. & in pervulgato Traiani nummo : S. P. Q. optimo Principi . Adventui Aug. Arabiae . Haec autem obviatio ab artificibus in operibus anaglyphis ita exprimi solebat . Simulacrum Urbis peculiaribus eius symbolis ornatum , vel illius Civitatis genium caelabant , qui obviam ire Imperatori præferret . Hoc fa-

factum esse existimo in hac gemma. Foemina enim pone currum adstans Civitatem quamdam refert, uti arbitror; cistellam capite gestans, in qua vel donarium est impositum, vel regionis illius fructus, (non enim distincte discernitur) quasi fertilitatem innuat ex pacata, vel bene composita provincia partam. Exstat Romae marmor anaglyphum, cuius ectypum cerni potest in libro, cui titulus: *Admiranda Urbis Romae ec.* sub quo legitur, *Adventus Augusti Siriae*: quod ad Marcum Aurelium spectat, in quo similis obviatio videtur; cum enim Marcus in Siriam venisset, illi occurrerunt reges, & legati Persarum, ut patet ex Xyphilino, & Capitolino. Multa, quae ad hoc argumentum pertinent, possem hic adferre ex V. C. Ezechiele Spanhemio tom. 2. pag. 622, sed ne aliorum scrinia expilare dicar, ad ipsum Lectorem amandabo. Forma currus peculiaris est, & peculiari animadversione digna. Fieri etiam potest, ut Imperator hic expressus thorace indutus post pugnam, & victoriam ad quamdam Civitatem vel Provinciam accedat, ut pacem illi indulgeat, cuius conditiones in volumine quod manu tenere videtur, & foeminae superius memoratae porrigere, contineantur.

Inter gemmas, quae exstant in Regis Galliarum Cimelio num. CIII. una est, quae Cnei Pompeii triumphum praefert. In ea imperator thorace indutus apparet stans in curru a quatuor equis vecto, cornu copiae dextra gestans, quae ubertatem suis victoriis populo Romano partam indicat, ut acute sane existimat Vir Cl. Petrus Mariettus moribus antiquis, & multiplici eruditione praeditus, qui has

gem-

gemmas una cum ſuis animadverſionibus edidit . Anteit currum foemina equeſtris , manu ſiniſtra vas ſuſtollens , in quo non bene apparet quid contineatur. Eruditi videant, quantum lucis hae duae gemmae mutuo ſibi conferant.



TA-

TABULA XIII.

TYPHON.

IMago haec, anaglypho opere faberrime Chalcedonio exſcalpta, adeo ſimilis eſt alteri, quae Helitropio inſcalpta diaglypho antiquo opificio exſtat in Muſeo Mediceo (1), ut veriſimilius credam non Gorgonam, ut nonnulli opinabantur, ſed TYPHONEM referre; illorum ſententiam ſecutus, qui Typhonem nil aliud eſſe crediderunt, quam vim Ventorum non ſubterraneorum modo, ſed etiam e ſublimi loco ſpirantium, qui turbines, & procellas creat; quapropter Heſiodus, eum Terrae ac Tartari ſive Erebi filium facit; eidemque ea de cauſa ad celeritatem eius oſtendendam alae tributae ſunt, quas in capite gerit; atque ea de cauſa truci atque horrifico vultu, horrentibusque capillis ſculptus cernitur. In Medicea Gemma effictus eſt cum amiculo, quo inflato caput ab eo obumbratur; in hac vero Gemma alis armatum habet in vertice caput; quas Ventis veteres Poetae & Scriptores tribuerunt, ut obſervat Cl. Senator Bonarrotius (2). Quam immanis, ſaeva, terribilis, & cladibus ac minis plena Typhonis vis ſit terra marique, nuper quaſſata turbinibus Italia, Europa, & America, Philoſophi praeſtantiſſimi editis egregiis ſcriptis oſtenderunt. Ventorum teterrimum impetum, quo turbinem creant, mirifice ob oculos pingit Virgilius, cuius deſcriptionem nefas omittere arbitror: (3)

i Ac

---

(1) Vide Muſei Flor. Vol. II. Tab. XLI. num. I. pag. 91.
(2) In Fragm. Vaſcul. vitr. Chriſtian. in Romuli Diptychum, pag. 238.
(3) Aeneid. Lib. I. verſ. 85.

- - - - Ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, & terras TURBINE *perflant,*
Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vastos volvunt ad litora fluctus.

Terribiles vultu Ventos, turbinum procreatores, pingunt Poetae. Ovidius (1):

Protinus Aeoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quaecumque fugant inductas flamina nubes:
Emittitque Notum. Madidis Notus evolat alis,
Terribilem picea tectus caligine vultum:
Barba gravis nimbis; canis fluit unda capillis.
Fronte sedent nebulae: rorant pennaeque, sinusque.
Utque manu lata pendentia nubila pressit,
Fit fragor: hinc densi funduntur ab aethere nimbi.

Saevitiem, impetum, horrorem, rabiem Ventis ac Turbinibus alii tribuunt. Horatius:

- - - - Nec timuit praecipitem Aphricum
Decertantem Aquilonibus:
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti.

TEMPESTATES quoque horrendo vultu, ira toto aspectu erumpente, in vetustis monumentis repraesentantur; &, quemadmodum Gorgones, caput habent alis instructum. Tempestatum socios veteres fecerunt Ventos, Turbines, Procellas, quarum aedem extra Portam Capenam dedicavit M. Marcellus. Praeterea in hoc sphragismate virilem vultum, non femineum conspicio; quare neque Prometheum clavis in Caucaso fixum, neque Tytium supplicio cruciatum, nec Terrorem Palloremque expressum arbitror; adeoque quia alatum habet caput,

(1) Metamorph. Lib. I. vers. 262.

put, Typhonem Tempeſtatum, Turbinum, Procellarumque parentem referre vero propius crediderim.

TABULA XIV.

VIR FUGIENS

A VINCULIS EREPTUS.

SI omnes Gemmarii Artifices antiquae Mythologiae, & Hiſtoriae Heroicae periti ac probe inſtructi fuiſſent, multa eorum opera haberemus, quae oſtenderent, eos veterum Graecorum Sculptorum ac Caelatorum gloriam aemulaſſe, atque ad eam conſequendam omni conatu, arte, ac ſtudio propius adceſſiſſe. Sed quia eorum plerique ignari vetuſtorum morum fuere; idcirco in multis peccarunt. Exemplo ſit hoc Cameum, Chalcedonio exſcalptum, in quo noſtrae vel ſuperioris aetatis Scalptor Aurifex Prometheum, ni fallor, exhibere voluit divina ope liberatum, ſolutis vinculis, quibus in Caucaſo defixus fuerat. Pro Hercule liberatore, Iuvenem in nube ſupra eum advenientem, ac ſtantem expreſſit, & catellum laetitia ei adblandientem adiecit. Praeterea, quum omnis Antiquitas oſtendat ac teſtetur Heroas a peritiſſimis tum Pictoribus, tum Sculptoribus ac Gemmarum Caelatoribus corpore nudos effictos fuiſſe, ut in membrorum nuditate ingenii ſui artisque praeſtantiam oſtenderent; hic Gemmarius noſter, Imperatorum, Equitum ac Militum more, thorace armatum Iuvenem, & pro Caucaſi rupe rude ſaxum effinxit. Noſtra aetate Gemmarii Caelatores dum aliquod egregium opus meditantur, ſtudia ſua cum Viris Antiquitatis peritiſſimis communicant, ab ipſis quae cavenda,

da, & quae facienda sunt, discunt; ac non raro stupenda antiquorum Scalptorum opera iterum exprimunt, & repetita vendunt non parvo pretio veterum elegantiarum aestimatoribus studiosissimis. Divinus Michael Angelus Bonarrotius Florentinus, Vir nobilissimus, nil adgrediebatur, quod non esset difficillimum, & nomini suo immortalem statueret gloriam, & securus iudicii & laudis omnis posteritatis esset, ut in eius Vita nuper a me edita adnotatum est. Antiquorum opera si quae iterata dedit, perfectiora, & emendatiora admirando artis & scientiae suae studio reliquit; quod ab eo factum memorant in marmoreo Scythae signo, sculpto a praecellentissimo Graeco Artifice, quod in Conclavi Medicei Thesauri conspicitur, in quo coxam & crus accuratiore flexu nisuque, & meliore corporis inclinatione, quam idem Graecus antiquus Statuarius fecerat, expressit. Is enim Scytha ferrum acuit, ut Marsyae pellem detrahat, & Apollinem iam iam sententiam pronunciantem contemplatur, ut iussis eius praesto sit. Quum igitur tum Romae, tum Florentiae, Neapoli, Venetiis, alibique Itali nostrae aetatis Artifices in caelandi arte sint praestantissimi; illud velim, ut ipsi nihil faciant sine iudicio, & consilio hominum doctorum, qui in Mythologico Antiquitatis studio egregie versati sunt, ne in turpes errores infelici ac sterili labore prolabantur; quod ne in posterum adcidat, illud Horatianum monitum ad Poetas, & ipsis hortatione mea aptabo (1):

- - - - - - Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna:

si ve-

(1) De Arte Poetica.

ſi veſtris operibus aeternitatem, & vobis ipſis immortalem gloriam comparare flagrantiſſime cupitis.

TABULA XV.

FAUNUS.

PErſimilis eſt icon haec FAUNI inſcalpta Achati Orientali, quae etiam Artificis SOLONIS nomen praefert, alteri eximii operis, cuius ectypum inter mea Cimelia ſervo; quae antiqua Gemma inventa eſt, ut ferebant, in ſepulchro Servorum & Libertorum Liviae Auguſtae detecto in Via Appia anno MDCCXXVI. quod luculenter inluſtravi. Vultus eius mira arte ad riſum compoſitus; oculi eum ebrium eſſe perſpicue oſtendunt; caput corymbifera corona redimitum ſpectatur; dextra pectoris parte pendet tigridis pellis, qua tum Bacchus ipſe, tum Fauni & Bacchae, ex eius choro amicti ſpectantur. Pectus vero adeo laeva turgeſcit mamma, ut Baccham potius referre videatur.

TABULA XVI.

MUSAE CAPUT.

FEMINAE caput, Chalcedonio exſcalptum exquiſitiſſimo opere, quod in hac Tabula exhibetur, priſcarum elegantiarum cultores aliqui MUSAE effigiem referre cenſent; eamque cum editis aliquot Muſarum imaginibus convenire aiunt. Quia vero Muſae Bacchi comites fuere, dum, Indiarum gentibus devictis triumphum egit, quem primus omnium inſtituit, &

k docuit;

docuit ; ea propter heic in Dionysiaca pompa, & famulitio locum convenire posse arbitrati sunt. Profecto Dionysiacum triumphum omnium primae ordine ducunt canentes Musae in Florentino marmoreo anaglypho, quod inter monumenta Etruriae Urbium protuli in lucem (1). Ita quoque a Diodoro Siculo in Bacchica pompa describuntur. Nemo est qui ignoret, non solum Herculem, sed etiam Bacchum *Musagetem* adpellatum, quem Athenienses *Melpomenem* dixerunt; a quo carmina pangere eius chori feminas & Satyros didicisse testatur Horatius (2):

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite posteri,
Nymphasque discenteis, & aureis
Capripedum Satyrorum acutas.

Quamvis Musarum capita tum pinnis, quas e Pieridum alis extorserunt, tum multiplici capillorum cultu ornatae occurrant, de quo alibi nonnulla observavi ; tamen & hic ornatus non raro in antiquis sculpturis conspicitur, & praesertim in Musa fidibus canente, quam in Gemma expressit ONESAS insignis inter Graecos Opifices scalptor, quam protuli in Museo Florentino Tab. IV. nam undantes eius crines maris undas quodammodo referunt, qua de causa Homerus ἰοειδέα πόντον pulcherrima comparatione eos adpellavit; qua specie & in hoc elegantissimo opere spectantur post caput ita simul comprehensi, ut maris fluctus eleganter imitentur. Sed in rebus dubiis nil adfirmandum censeo; quare si quis in hac Gemma imaginem potius alicuius Matronae nobis incognitae expressam crediderit, eius iudicio minime refragabor.

TA-

(1) Vide Par. III. Tab. XXIX. pag. CXIV. & CXV. (2) Carmin. Lib. II. Ode XIX.

TABULA XVII.

FEMINA BACCHAE SPECIE.

MInime dubitandum eſt, praeſtantem Artificem egregio exſtanti opere ſculpſiſſe in hac Gemma imaginem FEMINAE aetate ſua viventis, atque in ea eius oris lineamenta ita expreſſiſſe, ut ſpirantem referret. Quia vero non tantum gloriam, ſed & dignitatem operi ſuo adcedere volebat, ſagaci ingenio ſpecie BACCHAE eam perita manu effinxit. Capiti hederaceam coronam impoſuit; veſtes vero ita compoſuit, ut nudum pectus nudumque ſiniſtrum brachium adparerent, quod etiam geminatis unionum lineis, veluti armillis, elegantiae cauſa condecoravit. Suſpicari etiam minime abſurdum eſt, quia floruit reſtituta in Italia Glyptographica Arte, eum ſpecie Cleopatrae imaginem hanc ſuam nobilitare voluiſſe. Quemadmodum enim vel legit, vel audivit, M. Antonium forma & illecebris Cleopatrae captum, in Aegypto Bacchi ſpeciem, cultum, habitumque induiſſe, uti in pulcherrimo marmoreo anaglypho ſpectatur apud Cl. Senatorem Bonarrotium (1); ita quoque & ipſam Cleopatram putavit Bacchae ſpecie ornatam prodiiſſe, ut M. Antonio magis placeret in Bacchi Orgiis, quae maxima pompa ac ſumtuoſiſſima apud Aegyptios celebrari ſolebant; quod docet famigeratiſſima Ptolemaei Philadelphi Bacchica pompa, quam luculenter Athenaeus deſcribit (2), in qua & ipſe Bacchi ſpecie, ceteriſque ornamentis inſignis, ſpectatus eſt. Profecto quum haec feminae imago praepinguis ſit,

(1) Vide in Diſſert. *del Trionfo di Bacco*, poſt Obſervat. in Numiſm. max. mod. Muſei Carpinei, pag. 447. (2) Deipnoſoph. Lib. V.

ſit, abſurdum videtur credere, ingenioſum Caelatorem expreſſiſſe Cleopatram; licet perſimili ſpecie effinxerit timida manu, quae pectori aſpidem non admovet, ſed anguis ipſe, quaſi e manu elapſus, pectus eius adgreditur. Scivit etiam Gemmarius Opifex Bacchas furore percitas cum anguibus inceſſiſſe, quod Gentibus exprobrat Arnobius (1); quamvis non in hunc modum in antiquis monumentis, & in Scriptorum picturis, ſed aliter cum anguibus furentes exhibeantur. Opus profecto neoterici Scalptoris pulcherrimum & optimum eſt; nec dubium, hac ſpecie effigiem repraeſentare voluiſſe illuſtris alicuius feminae, quae ſua aetate forma quadam gravitate & dignitate plena eminebat.



TABULA XVIII.

FEMINA BACCHAE SPECIE.

POterant eximii Gemmarii Scalptores, qui ſtudio & labore Glyptographicam apud Italos reſtituerunt, Dearum ſpecie, vel Cybeles, vel Iunonis, vel Veneris exhibere imagines Feminarum, quae eorum aetate ſummum decus & laudes promeruerunt; ſed frequentius, ut ex his aliisque elegantiſſimis Gemmis, anaglyptico praeſertim opere exſcalptis, BACCHARUM imagines ſibi propoſuerunt, quia in his effingendis clarius eluceſcere artis ſuae praeſtantiam, laborem, & opificium cenſuerunt. Siquidem in his praeter oris lineamenta magno ſtudio multa exprimenda ſunt, capilli, nexus, cincinni, hederacea corona, veſtes tenues, & alia, quae iisdem apta ſunt, ornamenta. Hinc quantum dignitatis

(1) Contra Gentes, Lib. V.

tis, & elegantiae in ſe habeat huiusmodi opus pulcherrimum, ſi ſingula ſpectemus, perſpicue intelligitur. Mirum, quam operoſa eſt hederacea corona, qua huius Feminae caput redimitur! crines vero calamiſtrati, qui praelongos cincinnos refluentes, & parvos etiam circumeuntes miro opere efformant, exquiſitiſſimum ſtudium & ingenium Gemmarii Scalptoris perſpicue oſtendunt. Veſtis quoque circa humeros & pectus perpulchre compoſita eſt; ſingula opus teſtantur laudatiſſimum, atque emendatiſſimum. Capilli, in pendulos cirros tam eleganti ſtudio faberrime ſculptos efformati, in mentem revocant pulcherrimum marmoreum ſimulacrum Deae Cybeles, quod Romae exſtat in Muſeo Victorio; nam in hanc ſpeciem ſculpti ſunt: de quo ſimulacro nuper diſſeruit, inſcripto egregio opere Sociis Columbariae Florentinae, tum nobilitate tum eruditione Celebris Franciſcus Victorius, Equeſtris Ordinis S. Stephani P. & M. Commendator. Ovidius, quomodo crines ornandi ſint, & quam vario cultu & arte, docet; e quo hos verſus adducimus (1):

Alterius crines humero iactentur utroque;
Talis es aſſumpta, Phoebe canore, lyra.
Altera ſuccinctae religetur more Dianae,
Ut ſolet, attonitas cum petit illa feras.
Hanc decet inflatos laxe iacuiſſe capillos;
Illa ſit adſtrictis impedienda comis.
Hanc decet ornari teſtudine Cyllenea;
Suſtineat ſimiles fluctibus illa ſinus.

Convenit etiam Apuleiana Fotidis deſcriptio: (2) *Uberes crines, leniter emiſſos, & cervice dependulos, ac dein-*

l de

(1) De Arte Am. Lib. III. (2) Lib. II. Metamorph.

de per colla dispositos, sensimque sinuato petagio residentes, paulisper ad finem conglobatos in summum verticem nodus adstrinxerat.

TABULA XIX.

BACCHA.

IURE ac merito illud de eximiis clarorum Artificum operibus praedicatur, quod non semel, sed centies etiam spectata semper placent, mirifice oculos adliciunt, & magnopere delectant. Laus haec & huic operi consummatissimo convenit; in quo si singula spectemus, nil elegantius, nil pulchrius, nil absolutius cerni potest; adparetque perspicue, Opificem praestantissimum in Baccha Veneris omnes lepores, & Charites ipsas loquentes conclusisse. Capilli hederaceis foliis superpositis quam belle in vertice dispositi sunt, & quam eleganter post humeros recidunt! Teres collum auget pulchritudini decus, decori elegantiam singularem. Nil dico de vestium cultu, quae scientissime sculptae adparent. Neque ambigendum est, eximium Scalptorem, inter claros numerandum, in hac anulari Gemma exstanti opere referre voluisse inlustris alicuius Feminae, quae aetate sua celebrabatur, imaginem, quam exquisitissimo studio expressit. Illud & huic Gemmae aptari potest, quod in alia litteris tantum inscalpta legitur: TV MEA VENVS; quae Gemmae puellis ab amasiis donari solebant.

TA-

TABULA XX.

SATYRI CAPUT.

MIrum quantum in SATYRIS effingendis invicem certantes insudarint veteres Artifices, Plastae, Caelatores, Sculptores, Pictores, & Gemmarii Opifices! Ceteris praecellunt Antiphilus, Lysippus, Statocles, Myron, Praxiteles, Protogenes, Aristippus, Diodorus, quos Plinius laudat. Prisci Philosophi, ut ebriorum passiones exprimerent, eos Bacchi famulos fecerunt, nunc hilares & ridentes, nunc feroces, ac superbos, rixarum & contentionum amicos; nunc horrifico vultu rictuque, fronte crispata, oculis immaniter vel patulis, vel retortis limisque, capillis horrentibus, hispida barba, speciosoque terrore; ita etiam Artifices Gemmarii in sculpturis exhibuerunt. In hoc SATYRI capite effingendo omnem ingenii vim artisque conatus omnes insumsit praestantissimus noster Artifex, quem laudasse satis puto, si asperitatem & horrorem ipsum expressisse dixerim.



TABULA XXI. & XXII.

MEDUSAE CAPITA.

EA laus est antiquorum operum, quae inter artis miracula censentur, ut etiam eorum imitationes placeant, & laude digna ex his petita exempla existimentur. MEDUSA Graeci Scalptoris praestantissimi SOLONIS Opus, quod in Museo Strotio centies spectata om-

omnium oculos, & peritorum mentes in admirationem ſemper rapit, quia opus omnibus numeris abſolutiſſimum, & Gemmarii opificii portentum cenſetur (1), ſuſcepta etiam ex eo inſigni prototypo ſchemata laudantur, atque in pretio habentur, praeſertim ſi a perita manu ad fidem archetypi operis multo ſtudio & diligentia caelata ſint; quam egregiam laudem ſibi vindicat huius elegantiſſimae Gemmae exemplum, quod a claris Romanis Scalptoribus Constantiis perfectum eſſe crediderim. Terror ipſe horrorque anguiferorum capillorum pulcherrimus eſt; formoſiſſimi vultus lineamenta admirando opificio ita abſoluta cernuntur, ut ambigas, utrum pulchritudine horror, an horrore pulchritudo vincatur. Fabula nota eſt. Meduſae imaginem medio pectore armato Caeſares deferre conſueverunt, ad terrorem hoſtibus incutiendum; atque ut oſtenderent, ſe bella geſſiſſe tum fortitudine, tum prudentia duce: nam Minerva, quae forma ſuperbientem Meduſam punivit, Αλιμάχη *in bello fortis* dicta eſt, quae & ipſa eius caput in thorace gerit, vel pro galea, ut apud Suidam (2); & in numo aureo Septimii Severi Auguſti apud Seguinum, circa Meduſae caput ſcriptum eſt Providentia; & quandoque mentis perſpicaciam, & celeritatem deſignat.

Sequitur in altera Tab. XXII. eiusdem inſignis operis egregium ſphragisma, cuius Auctor mihi ignotus; ſed ex Romanis officinis, vel etiam Florentinis prodiiſſe vero ſimile eſt.

TA-

(1) Editam vide apud Cl. B. Stoſchium Tab. LXIII. & in Vol. II. Muſei Florent. Tabula VII. pag. 20.
(2) Vid. Tom. I. pag. 70. 117. & 492.

TABULA XXIII.

HERCULES IUVENIS.

INter insigniora Musei Strotii ornamenta non solum Medusae caput anguiferum, SOLONIS opus; verum etiam HERCULIS IUVENIS, CNAEI labor incomparabilis, (1) numeratur; quae opera praestantissimorum Graecorum Scalptorum, qui arte naturam ipsam feliciter superarunt, tanto in pretio, honore atque existimatione sunt, ut nil mirum, si & Gemmarii Opifices aetatis nostrae in his caelaturis iterandis pro viribus iamdudum, & nunc quoque, desudarint. Strotianum archetypum Beryllo inscalptum est; hoc vero exemplum ex archetypo egregia arte desumtum, Sardio lapidi inscalptum cernitur. Herculem impuberem ex aere fabricavit & Agelades Statuarius egregius apud Aegienses, quod opus laudat Pausanias (2). Leoninae pellis insigne non praefert, sed tantum oleagineam clavam; forte quia ea aetate sculpsit Artifex, qua nondum monstra domaverat. Emicat tamen & in iuvenili specie invictum Herculis robur, & ad aerumnas parata animi virtus.



TABULA XXIV.

HERCULES OLIVARIUS.

HERCULES institutis Olympicis ludis, lucta & pancratio victor, meritis sibi decretis praemiis,

m pri-

(1) Vide in Vol. II. Musei Florent. Tab. VII. num. II. pag. 21. & in Stoschiano Opere Tab. XXIII. (2) Lib. VII. 445. 20.

primus omnium ſe ſuis manibus oleaginea corona redimivit, ſuae tantum virtutis iudicio, & ſuffragiis uſus. Hinc Olivarius, & Καλλίνικος dictus, eiusque corona καλλιςέφανος propter dignitatis honorem adpellata eſt. Herculis caput, corona huiusmodi ex oleaſtro redimitum, inter Graecos Artifices caelandi arte celeberrimos primus apud Veteres, ni fallor, inſcalpta Sarda Gemma pulcherrima propoſuit Onesas, quam in Muſeo Florentino exhibui. In ea Herculis caput cera impreſſum dextrorſum converſum eſt, in hac vero ſiniſtrum latus reſpicit. Vultus egregio opificio effictus, Herculem hilari vultu quaſi loquentem refert; circa collum deſunt Leonis Nemeaei exuviae, quas Onesas in ſuo opere expreſſit. Laudandum & recentiorum Artificum ſtudium, & accurata induſtria, qui antiqua eximia opera ex archetypis antiquis caelaturis exprimunt; quod & a priſcis Gemmariis Scalptoribus factum obſervavimus, qui vel Deorum Dearumque capita, & Simulacra, atque etiam Vaſcula operoſiſſima, quae e marmore ſculpſerant omnium praeſtantiſſimi, & fama nominis operumque clari Statuarii, in Gemmis ad eorum exemplum caelarunt; quo laudabili imitationis, atque aemulationis ſtudio factum eſt, ut quum Simulacra, & Vaſcula ipſa vel barbarorum excidio, vel temporum iniuria perierint, vel terra obruta ſint, in Gemmis excepta reviviſcant, minusque eorum iactura diſpliceat. Cernimus in plerisque Gemmis inſignioribus ea expreſſa Simulacra, quae ſi cum Scriptorum deſcriptionibus conferantur, ex prototypis marmoreis deſumta, eaque templorum & urbium praecipua ornamenta priſcis ſaeculis fuiſſe, valde credibile eſt.

TA-

TABULA XXV.

HERCULES
INFERNORUM MONSTRORUM DOMITOR.

PEritiſſima manu anaglyphico opere Chalcedonio exſciſum eſt caput HERCULIS Inferorum Domitoris; cuius victoriae inſigne eſt populea corona, quam gerit. Hanc populum primus omnium in Theſprotide ſecus amnem Acherontem reperit, eaque coronatus Acheruſiam transnavit paludem, & ab inferis rediit, ut memorat Pauſanias (1). Eam quoque arborem e Theſprotide primus in Graeciam adtulit; quae hac de cauſa ei gratiſſima fuit, atque in eius tutela, magnoque apud cultores eius in honore; quapropter Virgilius (2):

Populus Alcidae gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſae myrtus Veneri, ſua laurea Phoebo.

& Phaedrus (3):

Olim, quas vellent eſſe in tutela ſua,
Divi legerunt arbores: Quercus Iovi,
Et Myrtus Veneri placuit, Phoeboque laurea,
Pinus Cybele; populus celſa HERCULI.

Homeri Scholiaſtae adnotant (4), hac populo Herculem ſe coronaſſe, devicto Cerbero; eaque uſum libenter docet Servius (5) ob duplicem foliorum colorem, quibus geminos labores ſuperorum inferorumque teſtari poſteris maxime probavit.

TA-

(1) Eliacor. Prior. Cap. XIV. (2) Ecl. VII. verſ. 61.
(3) Lib. III. Fab. XVII.
(4) Iliad. Lib. N. verſ. 389. Lib. Π. v. 482.
(5) In praenotatam Virgilii Ecl. VII. v. 61.

TABULA XXVI.

HERCULES AQUILEGUS.

PErrara eſt haec Gemma Sarda, in qua eximio exquiſitoque antiquo opere ſculptus eſt HERCULES AQUILEGUS dictus, qui, ut memorat Pauſanias (1), apud Troezenios aquam invenit, & deduxit. Apud nonnullos Scriptores FONTINALIS adpellatus eſt, nempe Fontium repertor, & deductor, ut beneficiis eos populos ſibi gratiſſimos redderet. Ferunt Herculem iter per Africam facientem maxima tum laſſitudine, tum ſiti laboraſſe; divinoque monitu pulſata calce pedis petra prope paludem Tritonida, largifluum aquae fontem manare feciſſe, ſitimque ſuam reſtinxiſſe; quod egregie deſcribit Apollonius Rhodius (2), cuius deſcriptionem adtuli in Muſeo Florentino (3), dum aliam Gemmam adſimili emblemate ornatam exponerem. In ea ſiquidem, quae primum Clariſs. Senatoris Bonarrotii fuit, mox a me emta in mea Cimelia migravit, (e quibus dum eam nobili viro (4), ſed tam iniquo facinore infami, oſtenderem, mihi ille ipſe apud me hoſpes ſubripuit, cuius nomen ad aeternum eius dedecus indicare poſſem, ſed taceo) ſculptus cernitur Hercules admota ad rupem amphora aquam profluentem excipiens; in hac vero Sarda plurimi aeſtimanda, Hercules itinere feſſus, altero genu innixus ſcopulo, altero pede ſtans, aquae fontem, quem e rupe

(1) In Corinthiacis Cap. XXXII. (2) In Argon. Lib. IV. v. 1441.
(3) Vol. II. Tab. XIV. num. IV. vide pag. 38. 39. 40.
(4) Patriam tacco honoris gratia, nomen honeſtatis cauſa; vivit tamen adhuc in quadam Etruriae urbe; mihique narratum eſt, Romae eam vendidiſſe.

e rupe eduxit, dextrae manus digito indicat, quasi gloriae & virtutis suae monimentum sempiternum; ipsamque e rupe manantem aquam stupenti similis contemplatur. Hinc Fontium cultores non solum Nymphas, sed & ipsum Herculem aquarum tutelare numen devenerati sunt; quod & ostendunt votivae inscriptae arae, quas indicavimus.



TABULA XXVII.

HERCULES DEFENSOR.

MUltarum coronarum honorem uni tantum HERCULI tribuit Vetustas, multis de caussis. Spectatur occurritque in antiquis sculpturis capite interdum diademate cincto; interdum, ut vidimus, oleaginea corona, itemque laureo & hederaceo serto & populeo, atque etiam ex apio redimitus. Radiatum quoque & circa caput multis astris insignem proposuimus in Thesauro Gemmarum Astriferarum (1); quam collectionem doctis Antiquitatum cultoribus valde placuisse, multisque laudibus eos probasse, non una est caussa cur nostris laboribus, quibus de eorum Genio studiisque optime mereri cupimus, multa cum animi iucunditate gratulemur. Querceam coronam, quae Iovis propria est, HERCULI quoque ab antiquis Mythographis tributam, complura monumenta antiqua testantur. Singularem Gemmam Amethystum e Thesauro

n Me-

(1) Vide Tom. I. Tab. CXXI. pag. 155. Tom. II. ubi inlustratur.

Mediceo in Museo Florentino produxi (1), in qua HERCULIS caput faberrime inscalptum, ornatum est querna corona, taeniolis pendentibus religata. Probe HERCULI quoque quernam coronam convenire diximus ob invictum eius animi robur, summamque virium animi, & corporis praestantiam, vel tamquam Deo ΣΩΤΗΡΙ, *Servatori*, atque ut legitur in antiquis Inscriptionibus, *Conservatori*, & *Defensori*; qui lustrato terrarum orbe, immania monstra delevit, sceleſtos homines interemit, genusque humanum, uti fabulabantur, servavit incolumem, & optatae securitati ac tranquillitati restituit. Quernam vero coronam ei sacram esse voluerunt alia quoque de causa, censentes ei fore gratissimam, quia traditum est, ab eo satas duas quercus ad aras Iovis cognomento *Stratii* in Ponto circa Heracleam, teste Plinio (2).

In hoc HERCULIS capite exstanti opere Chalcedonio insculpto quid nam primum laudem, incertus haereo. Fateor me etiam in calculo ferendo de eius antiquitate aliquantulum haesitare; nam cum in HERCULIS imaginibus capilli breves, & crispi sint, quid novitium plane in eo adparet, dum circa collum veluti in cirros revolutos defluere crines cernimus. Sed quamvis hoc opus Scalptori non nimis ab aetate nostra remoto tribuamus; aio tamen antiquis caelaturis minime cedere, sed cum praestantioribus comparari iure ac merito posse; multumque gloriae aureo illi seculo tribuendum, in quo, restitutis in Italia artibus, Glyptographice ad eum honoris, dignitatis & praestantiae fa-

(1) Vide Vol. I. Tab. XXXIV. pag. 76. & 77.
(2) Hist. Nat. Lib. XVI. Cap. XLIV.

fastigium evecta est, ut Gemmarios Opifices habuerit, qui antiquis vel proximi, vel interdum pares, aequa gloriae palma certantes, habiti sunt; inter quos & Artificem hunc recenseo, qui stupendum hoc Herculis caput exquisitissima arte exscalpsit.



TABULA XXVIII.

HERCULES SENESCENS.

Veteres Sculptores, qui in suis operibus accurati erant, & Mythologiae historicis monumentis & regulis inhaerebant, quum HERCULIS duodecim labores, & inlustria gesta ordinatim referrent, illud religiose observabant, ut aetas singulis aerumnis apta, ac propria ei conveniret; adeo ut primum facinus ei adgredienti iuvenilis forma responderet eumque designaret; in secundo & tertio paullo adultior; in quarto, quincto, & sexto virilis; in reliquis vero per gradus tum effigies, tum corporis membra maiorem aetatem Herois repraesentarent. Id potissimum in sepulcralium Sarcophagorum emblematis, quae Herculis gesta referunt, observavi, quum ex his plura exstent in Florentinis Museis, ex quibus praestantiora in lucem protuli. Alterum adhuc superest, quod in Museo Nicolinio accurate delineandum curavi, quod in meis Supplementis proferam. Id ipsum observare lubet in hoc Herculis capite, quem summo artificio eximius Artifex sculpsit, cuius nomen tribus primis eius nominis litteris declaratur in Gemmae area, nempe ΑΔ. quibus ΑΔΜΩΝ indicatur, insignis Gemmarum Scalptor, cuius alterum opus Sardae incisum adfertur a Cl. Stoschio

Tab.

Tab. I. In ea ſpectatur HERCULES ſtans, virilis aetatis, & iam ad ſenium vergentis, athletico corpore, leonina pelle ad collum adligata, atque e tergo dependente, qui ſiniſtra manu erectam clavam tenet; dextera vero ſcyphum ori admovet, adeoque quia vini flagrantiſſimus fuit, HERCULES BIBAX inſcribitur. Nec rarum eſt Artificum praeſtantiſſimorum nomen duabus vel tribus primis litteris in Gemmis expreſſum, quod alibi adlatis exemplis obſervavimus. Profecto ADMON huius inſignis operis Caelator, HERCULIS vultum ita exquiſito emendatoque ſtudio, & arte expreſſit, ut tenuem quamdam maciem, ſenio properante, cum acerrimo robore commiſcuerit; adeo ut nihil in tanta laborum difficultate deſiderari poſſit. Criſpati capilli, barba horridula, intortis crebris cirris, praepingue collum, rugoſa frons, remiſſa aliquantulum labia, opus omnibus numeris abſolutum perſpicue oſtendunt, ADMONE dignum.



TABULA XXIX.

HERCULES EBRIUS.

HERCULES monſtrorum efferatorumque hominum domitor, a ſolo Baccho, nempe a vino domitum ferunt veteres Mythologi, teſtanturque antiqua ſculpta monumenta; neque eum iuvit hederacea corona, qua caput ſuum revinxit; ſed eo ingurgitatus virilem vultum paene mutavit, amiſitque terribilis praeſentiae ſuae dignitatem: quae licet difficillima ſint, ut probe in ſculpta imagine ebrioſi hominis paſſiones omnes exprimantur & eluceant; tamen ſagaciſ-

ſimus

ſimus huiuſce anaglyptici operis e Chalcedonio Artifex ita omnes eximio artis magiſterio ad vivum expreſſit, ut nil ſupra deſiderari poſſit. Oculis emiſſiciis, quales ebriorum eſſe ſolent, inter iram & metum, os patulum languentium more, totum vultum quodammodo contractum, virili ſuo decore & robore ſpoliatum, miro opificio effinxit; pro leonina pelle, neglectam, & incompoſito nodo coniunctam chlamydem humeris dedit. Fuit HERCULES adeo vorax, & multibibax, ut Lepreum, a quo ad compotationem provocatus fuerat, uter plus biberet, longe ſuperaverit (1).

TABULA XXX.

HOMPHALE.

DOcet Mythica Hiſtoria, Herculem HOMPHALI Iardanis Lydorum regis filiae a Mercurio venditum fuiſſe, cui ſervivit, eique devicti leonis Nemeaei exuvias, & clavam donavit (2); quibus armis heroicis, ſubiectoque ſibi invicto monſtrorum domitore adeo ſuperbiit femina, forma & ſagacitate praeſtantiſſima, ut ea induerit, & in conſpectum eius prodierit. Complures Artifices Gemmarii eam obliquo vultu frequenter inſculpere conſueverunt; noſter vero, ut artis ſuae ſedulitatem ac peritiam oſtenderet, integro vultu nobis ſpectandam propoſuit; ornatoque eius capite leoninis iubis, pulchritudinem oris cum horrore quodam,

o ut

(1) Vide Athenaeum Deipnoſoph. Lib. X. pag. mihi 410. & Macrobium Saturn. Lib. V. Cap. XXI.

(2) Ex Apollodoro Biblioth. Lib. II. Vide & Muſei Flor. Vol. I. Tab. XXXVIII. & XXXIX. pag. 85.

ut ita dicam, amabili, conmiſcuit, & utrumque ſimul contemperavit.

TABULA XXXI.

LEO MITHRIACUS.

AD Mithriaca referri poteſt haec Gemma eximio opere inſcalpta, quae exhibet Leonem Tauro inſidentem; cuius caput unguibus dextri pedis anterioris lancinat, & operit; quod emblema ad Solis virtutem declarandam pertinet. Non ſolum in toreumatis marmoreis, verum etiam in Gemmis haec hieroglyphica ſpectantur; cuiusmodi plura exempla inter meas Gemmas Aſtriferas habentur, de quibus luculenter & pererudite Celeberrimus amicus meus Ioannes Baptiſta Paſſerius diſſeruit (1). Spectatur Deus Mithres (qui idem ac Sol eſt) cultro taurum iugulans, (2) quo emblemate Solis invicta virtus deſignabatur. Initiati Mithriacis ſacris taurino ſanguine ſub ſcrobe ſtantes aſpergebantur, atque ita, ut ſtulte credebant, a criminibus, quibus obnoxii erant, purgabantur. Huiusmodi Sacrum *Taurobolium* dicebatur, quod accurate deſcribit, & damnat Prudentius; ſi vero hircino ſanguine conſpergerentur, *Criobolium*; quorum crebra in Saxis Mithriacis mentio. Haec ſacra ad tertium uſque ſeculum, & fere ad Conſtantini Magni tempora perdura-

(1) Vide Vol. I. Tab. CL. CLI. CLII. CLIII. CLV. & Vol. II. a pag. 180. ad pag. 187.

(2) Vide Antonium Van-dale in diſsert. I. de origine ac ritibus ſacri Taurobolii, qui ea congeſſit.

durarunt. Complura erant tum initiantium tum initiatorum nomina, quae memorat Beatus Hieronymus in epiſtola ad Laetam: *Ante paucos annos propinquus veſter Gracchus nobilitatem patriciam ſonans nomine, quum Praefecturam gereret urbanam, nonne Specum MITHRAE, & omnia portentoſa ſacra, quibus* Corax, Gryphius Miles, LEO, Helios, Bromius, Pater *initiantur, ſubvertit, fregit, excuſſit?* Leontica dum perciperent initiati, pro aqua mel ad eorum manus lavandas infundebatur, ut puras a ſceleribus & innoxias ſervarent (1). Leonticorum ſit mentio in compluribus marmoribus, e quorum numero hoc ipſum ſeligimus.

EUSEBIO & HIPPATIO CONS
NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS. V. C. ET
AVREL. VICTOR. AVGENTIVS. V. C
TRADIDERVNT. LEONTIKA. IDVS
MARTIAS FEL
DATIALE. ET. CEREALE. CONS. ec.

Suſpicio mihi oborta eſt, initiatos ſacris Mithrae huiusmodi Gemmis, quas deferrent, myſteriorum memores, donatos fuiſſe, quas honoris cauſa accipiebant.



TABULA XXXII.
AGRICOLAE FRUGUM SATORES.

Quamvis novitium ſit hoc opus anaglypticum ex Chalcedonio; tamen Artifex probe obſervavit & ex-

(1) Vide Porphyrium de antro Nympharum.

& expreſſit ſativum tempus iuxta antiquum Kalendarium (1), quod in Novembrem menſem incidebat, Nam huius menſis tutela, & ſignum Scorpio eſt, ex antiquis ſculpturis veteris Kalendarii; in quo haec inter cetera leguntur, ad quae vide Fulvii Urſini Animadverſiones:

SOL
SCORPIONE
TVTELA
DIANAE
SEMENTES. TRITICAR
ET. HORDIAR
SCROBATIO
ARBORUM ec.

exquapropter in ſumma area Scorpionem effinxit. Exploratum eſt, apud Aegyptios Nilum exundare & agros adluere Sole Cancrum intrante, ſed areſcente terra dum Scorpionem ingreditur, tunc frugum ſemina ſpargi ſolere, quod ex Plinio diſcimus (2): *NILUS ibi coloni vice fungens, evagari incipit, ut diximus, a Solſtitio, aut nova Luna; ac primo lente, deinde vehementius quandiu in Leone Sol eſt: mox pigreſcit in Virginem tranſgreſſo, atque in Libra reſidet.*

En igitur Aegyptiorum arvorum ſub Scorpionis ſigno cultura. Verum quidem eſt quod mox ſubiicit Plinius: *inarari certum eſt abiecta prius ſemina in limo digreſſi amnis, hoc eſt Novembri menſe incipiente*, quod minime cum Scorpionis ſigno congrueret. Verum haec Gemma eam traditionem reſpicit, quam paullo ſuperius

(1) Vide Gruteri Theſaurum, pag. CXXXIX.
(2) Hiſt. Nat. Lib. XVIII. Cap. XVIII.

rius exponit Plinius, quod nimirum Aegyptii agri sererentur statim ac Nilus regressus in alveum suum remeasset. *Vulgo credebatur, ab eius decessu serere solitos: mox sues impellere vestigiis semina deprimentes in madido solo; & credo antiquitus factitatum.* Haec omnia mirifice hanc Gemmam dilucidant, quae multum eruditionis continet.

Non boves, sed equos aratrum trahentes ingeniosus Scalptor exhibuit; quod equis, non bobus aliqui populi utantur. Duobus quoque aratris proscissam terram apud Orientales discimus ex antiquo Epigrammate Florentini Codices Graeci, quod adfert Celeberrimus P. Montfauconius (1), qui etiam ex eo adfert incisam aere picturam, qua Hesiodi Codex ornatur, in quo singula ad arandum adhibita instrumenta exhibentur. Illud etiam notandum, quod equos aratores praeit agricola, fruges ferens, quae ab aratore subsequente terra obruuntur; quod contra apud nos Etruscos contingit: nam primum proscissa terra, sulcisque in ea a bobus aratoribus impressis, mox frumenta feruntur, & deinde agricolae triticum & fruges congesta terra occulunt.

TABULA XXXIII.

BIGARIUS.

SCalptor huius elegantis Gemmae exstantis operis ex Chalcedonio bicolori, ut omnes ingenii sui vires

p in

(1) Palaeograph. Lib. I. pag. 8. & 9.

in effingendis equis currentibus ostenderet, bigae agitatorem incautus neglexit, eumque non apte locavit; quod oculis spectantibus gratum minime esse potest. Equorum crura nimis procera elaborasse mihi videtur. Sed longe aliter eximius antiquus Scalptor Gemmarius LUCIUS, qui Sardae inscalpsit Victoriam agitantem bigam, quam currui insistentem effinxit, utroque genu curvato (1).

Rarum censebam videre Aurigam BIGARIUM ita expressum; sed alterum exemplum postea mihi occurrit in eximia Sarda Thesauri Galliarum Regis, adlata in Mariettano Opere Tab. CXIX. quae exhibet Victoriam alatam, equi currentis caudae eodem modo insistentem. Porro in nostra Gemma, quod observandum est, equus toto corpore pulcherrimis maculis distinguitur; quod multo cum artificio a Scalptore, favente lapilli natura, factum est. Protuli in Par. II. Inscriptionum antiquarum, quae exstant in Etruriae Urbibus, equorum victorum in stadio eximium laterculum pag. 436. ex archetypo Musei Medicei, in quo Africanus equus MACULO*sus* adpellatur.

A TABULA XXXIV.

AD TABULAM XL.

FEMINARUM CAPITA IGNOTA.

SPectandae heic proponuntur multae imagines FEMINARUM IGNOTARUM, quae etsi nihil eruditionis habeant, tamen in tam inlustri Gemmarum sylloge

(1) Vide in Stoschiano Opere Tab. XLI.

loge minime praetermittendae erant; quod unaquaeque tum opificio, tum arte, multaque etiam venuſtate atque elegantia ſuperbiat, & oſtendat quam mira moliri poſſit divinum hominis ingenium.

Dum ſpectantium oculi tam multiplici varietate formarum, cultus veſtium & capillorum blanda voluptate capiuntur, ipſique optimum de his indicium ferre poſſunt, ac multo magis ſi ante conſpectum ſuum archetypa ipſa haberent, nolo eruditorum Lectorum aures longis ambagibus, & puris putisque verbis ac deſcriptionibus obtundere. Profecto in ſingulis gratia, nitor, venuſtas, exquiſitum praeſtantium Artificum noſtri aevi opificium emicat ac perſpicue adparet.

Frequenter occurrunt Gemmae nobiliſſimae, quae formoſarum mulierum imagines praeferunt vel Dearum ſpecie, vel earum quae Bacchum in Dionyſiaca pompa comitabantur. Hae Gemmae dono dabantur vel ab amaſiis, vel propter virtutem ac merita ab inluſtribus Proceribus, qui earum amicitia fruebantur. Ne vero haec dona muta eſſent, rogabantur celebriores Poetae, ut ſculptam imaginem, & ipſam feminam praeclaris dotibus ornatam carminibus celebrarent; quod quum in uſu praeſertim eſſet initio Saeculi XV. vel XVI. perlubet hoc Epigramma Herculis Strozae adferre in marmoream Beatricis Nolanae Imaginem, quam Ambroſius Leo Nolanus adamavit.

Qui rigidi pars montis eras, nunc pulchra puellae
Ora refers, debes iam lapis Artifici.
Sed formoſa tibi debet magis ille, Beatrix,
Cui data de vultu gloria tanta tuo.
Artifici non parta manu tibi fama; ſed illi
Nomine parta tuo, debet & illa tibi.

Enthea

Enthea turba tamen tantum ſubiungit honoris,
Ut non priſca magis ſecla canant Iopen;
Iam ſuperata Gnidos, velataque forma Diones,
Iam quocumque ſilet marmore Praxiteles.
Plus igitur de te, qui confert plura, meretur:
Plus bona victurae carmina laudis habent.
Vincere quis tentet ſpirantia ſigna Dipoeni?
Et tamen illa ſitu longa ſenecta premit.
Carmina ni fuerint, Ephyreia quis ſciet aera?
Quis te, ſi taceat, Tyndari, Maeonius?
Semper inexſtincti divino carmine Vatis
Quod peritura tulit dextera, vivet opus.

Alterum mox ſubiungitur:

Haec, quam conſpicio, nunquid Dea Cypria? nunquid
Candida Phidiaco marmore Paſithee?
Neutra quidem; alterutram nemo mihi deneget eſſe,
Tam placet ore, genis, lumine, fronte, comis.
Non Venus haec, non ulla Charis, ſed pulchra Beatrix,
Quae meruit fauſti nominis augurium.
Scilicet Ambroſi, quo Nola ſuperbit alumno,
Haec data carminibus concelebranda tuis.
Hanc Venus, & nati ſimul effinxere volucres,
Eſſet ut Aonio concupienda Viro.
Ergo tot una tenet mortali corpore dotes,
Vix quot in aſtrigeris axibus ulla tenet.
Haec mortalis adhuc; ſed cum ſe membra reſolvent,
Aeternum vivet nectare & ambroſia.

Nec tantum a Viris, verum etiam a Feminis amicis anuli cum gemmis donabantur; quod eiusdem celeberrimi Poetae ſequens Epigramma docet, cuius primos tan-

tantum verſus profero, ne longior, quam par eſt, ſim.

Annule, dulce mihi dilectae munus Amicae,
Annule, delicias inter habende meas.
Tu licet excellas auro pretioſus, & apte
Gemma ſit Artifici clauſa magiſterio:
Eſt aliquid, mihi quo meruiſti gratior eſſe,
Scilicet in nivea te tulit illa manu.



TABULA XLI.

POETRIAE IMAGO.

IN recenſione Gemmarum huius Dactyliothecae adnotatum eſt, hanc eſſe imaginem POETRIAE, quae Onychi bicolori praeſtanti manu antiqui Artificis inſcalpta eſt. Id minime negandum, ſi ramuſculus ille e delphica lauru decerptus ſit; quam manibus praeferre ſolet ipſe Apollo Poetarum Dux, & propitium Numen, cuius Simulacrum tum in numis tum in ſculpturis marmoreis & gemmis frequenter occurrit, vel capite laureato, vel manibus praeferens lauri ramum; quod luculenter obſervavi in meo Syntagmate de Diis Thallophoris. Si vero, ut mihi videtur, ramus ille ex olea ſit, minime ambigendum eſt, hanc imaginem referre PACEM DEAM, quae in numis exhibetur dextra haſtam, ſiniſtra gerens olivae ramum. In ſaecularibus feſtis carmine cum ceteris Diis Pax celebrabatur, Horatio teſte (1):

Iam Fides, & PAX, & Honor, Pudorque
Priſcus, & neglecta redire Virtus
Audet, apparetque beata pleno
Copia cornu.

q TA-

(1) In fine Epod.

TABULA XLII.

POETAE CAPUT.

INter praecipuos honores, qui Poetis ſacrorum certaminum victoribus dati ſunt, memorantur coronae, ſtatuae, & tituli, egregia ſpectatae virtutis praemia. Caput huiuſce Poetae mihi ignoti, quod faberrimo opificio ab optimo Scalptore Onychi inſcalptum eſt, laurea ornatum obſervatur. Horatius poſtquam carmina ſua aeternum duratura adſeruit, ita de ſe ait (1):

- - - - - Sume ſuperbiam
Quaeſitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

Inſigne quidem ſuorum laborum decus & ornamentum: quemadmodum enim triumphali curru vecti Imperatores a Victoria coronantur, uti numismata oſtendunt; ita Poetae, carminibus in ludis victoriam conſecuti, a Muſis coronati finguntur. Eumdem honorem Poetis non ſolum Graeci, verum etiam Romani in certamine Iovis Capitolini habuerunt; quod edita in Gruteriano Theſauro Epigrammata teſtantur.

TABULA XLIII.

HIPPOCRATES.

EXſtant Coorum numi cum imagine Hippocratis Medicinae parentis, in cuius honorem cuſi ſunt, qui-

(1) Carm. Lib. III. Ode XXX.

quibus cum haec insignis Gemma conferri potest, in qua eius vultum periti inscalptum agnoscunt. Habes alteram Gemmam a me editam in Florentino Museo Tab. XLI. Vol. I. quam eius imaginem praeferre nonnulli censuerunt. In utraque recalvastro capite effictus, miti ac placido vultu cernitur; at in nostra Gemma multum aetatis praefert, quam etiam numus cum eius imagine apud Fulvium Ursinum Tab. LXXI. ostendit.

TABULA XLIV.

ANTISTHENES PHILOSOPHUS.

RES sane perpulchra, & iucunditatis plena spectare veterum Philosophorum imagines; quod si illae summo exquisitoque opificio Gemmis inscalptae sint, praeter voluptatem his, qui eas gestant, nescio quid gloriae ambitioso splendore praeseferunt. Perrara haec gemma has dotes ostentat, quum eximia arte Sardae inscalptam exhibeat imaginem celeberrimi Philosophi ANTISTHENIS Atheniensis, qui exserto brachio manuque loquentium more expressus est. Siquidem tum bello, tum pace clarus fuit: nam in Tanagrensi pugna fortiter se gessit; mox initio Gorgiam summum Oratorem audivit; deinde totum in Philosophiae adytis meditatione adsidua se occuluit, Socratis discipulus factus, a quo tollerantiam addiscens, tranquillitatis eius imitator effectus, Cynicam primus sectam instituit, princepsque in ea fuit. Laborem, & virtutem felicem & beatum constituere hominem dixit; eosque qui cuperent immortales esse, pie vivere, ac iuste oportere, docuit (1).

TA-

(1) Vide eius Vitam apud Diogenem Laert. Lib. VI. Segm. X.

TABULA XLV.

DIOGENES.

CUnctis magnis Regibus, Philippo, & Alexandro nequidem excepto, se feliciorem censuit DIOGENES Sinopensis Cynicus, cuius imago exhibetur in hac praeclari operis Gemma ex Smaragdo. Integra facie, non obliqua spectatur idem Philosophus sculptus in Sardio antiquo lapide, quem protuli in Musei Florentini Vol. I. Tab. XLII. num. VI. Apud Leonardum Augustinium in Gemma stans in dolio sculptus est, adstante alio Philosopho (1).

TABULA XLVI.

SOCRATES.

IN effingenda SOCRATIS Imagine certarunt ingenio & opificio inter se summi Artifices Gemmarii, inter quos AGATHEMERUS eminuit; cuius Gemma Socratica, adiecto eius nomine, spectatur in Stoschiano Opere Tab. IV. Huius nostrae Dactyliothecae Gemma Iaspis est pulcherrimus recentiore aevo affabre inscalptus. Tanta Socratis, eo adhuc vivo, fuit fama eius virtutis, & Philosophicae doctrinae, quam Athenis omnium primus e caelo deduxit, ut veteres eius imaginem in annulis scalptam gestare studuerint, ut ante oculos & virtutem ipsam, & bonos mores haberent, memores Oraculi, quo omnium sapientissimus iudicatus est:

Ανδρῶν

(1) Par. II. Tab. XCIV.

Ανδρεῶν ἀπάτων ΣΩΚΡΑΤΗΣ σοφώτατος.

Mortalium unus SOCRATES vere ſapit.

Multa de eius imagine a Chifletio adnotata ſunt, quae vide.

TABULA XLVII.

HERACLITUS.

PErraram HERACLITI praenobilis Philoſophi imaginem Chalcedonio exſcalptam a praeſtantiſſimo Opifice proferimus, in qua quidquid ars labore, ſtudio, ſedulitate conficere valet, id omne perfectum cernimus. Moerorem ipſum in eius vultu expreſſum videmus; nam hic Philoſophus vitam adeo miſerabilem, & luctuoſam exiſtimavit, ut in publicum nunquam prodierit, quin animadverſis iis, quae homines agerent, & paterentur, humanis caſibus illacrimaretur. Hodie & nos HERACLITUM imitari in multis quae contingunt cogimur. De hac Imagine conſulendus Bellorius, qui inter Imagines Illuſtrium Philoſophorum e Mediceo Muſeo adfert marmoream Iconem HERACLITI; eiusque Herma ſpectatur in Muſeo Capitolino, quam editam vide in Vol. I. Tab. XII. & XIII.

TABULA XLVIII.

AESCULAPIUS.

EX ſerpente virgae obvoluto patet hanc eſſe AESCULAPII imaginem in hac gemma inciſam, quae

r vul-

vulgo *Corniola* appellatur. Simulacrum enim Aescu-lapii Gortinii, ut refert Pausanias, veris serpentibus circumseptum erat; alterum vero Phidiae opus celeberrimum, teste Athenagora (Legat. pro Christian. cap. 17.) serpentem manu comprimens apparebat. Sed Albritius de imaginibus Deorum hoc ipsum luculentius confirmat, dum eius imaginem ita describit, ut omnino huic protomae respondeat: Eius, inquit, *imago erat homo quidam cum barba prolixa* (ut videre est in hac gemma) *cuius manus dextera barbam tenebat, sinistra baculum cum serpente gestabat intorto*. Hic probe capillatus apparet, quamvis Aegyptii illum calvum finxerint, ut ait Synesius, ad eius senectutem ostendendam. Stroppio caput ornatur, ut in gemmis Maffeianis To. 2. Tav. 54. Hoc utebantur ornatu sapientes, philosophi, vel etiam poetae, ut videre est in Musei Capitolini To. 1. pag. 46. Stroppus autem est, ut ait Festus, & ut Ateius philologus existimat, quod Graece στρόφιον vocatur; & a Prudentio *torta infula* (contra Symmach. lib. 2. V. 1085.) Quare optime Cuperus (Apoth. Hom. p. 138) dixit: *Sunt igitur stroppi, & strophia diademata tortilia*. Erant enim diademata, taeniae, extensae, & minime obvolutae. Suidas vero stroppum appellavit στέμμα. Cur Aesculapii imaginibus serpentem, & bacillum addiderint antiqui Mythologi, ex hoc factum esse arbitratur Macrobius (Saturn. lib. 1. c. 20.) quod serpens vigilantissimum sit animal, quae res ad tuendam aegroti valetudinem maxime apta est. Bacillum autem habet nodosum, ut idem est auctor, quod difficultatem significat artis: Ea enim longa est, teste medicorum principe Hippocrate, vita brevis, experimentum fallax.

TA-

TABULA XLIX.

PHILOSOPHI
ſive POETAE INCOGNITI CAPUT.

RErum antiquarum peritum iudicem conie&turis uti non decet; quas & ego reiiciendas cenſeo: ſi vero quid vero ſimile praeferant conie&turae, & ſolidae rationes adferantur, minime reiiciendas arbitror. Habemus & in hac Gemma inſcalptum ignoti PHILOSOPHI caput. Sed conferenti mihi Imagines Illuſtrium Virorum a Fulvio Urſino, atque ab aliis Antiquariis editas, magnam inter hanc & eas ſimilitudinem invenio, ut ſuſpicer EURIPIDIS effigiem hanc perraram Gemmam praeferre. Sed nihil adfirmo, peritiorum iudicium expoſtulans.



TABULA L.

ALEXANDER MACEDONUM REX.

PArvo in lapillo quanta radiat operis praeſtantia, quam ingens Scalptoris peritiſſimi ſtudium, quantum iudicii, quantum etiam elegantiae emicat ac nitet! Bellatoris omnium maximi & invi&tiſſimi effigies, nempe ALEXANDRI Magni Macedonum Regis, exhibetur, non quidem mortali ſpecie, ſed divina; nam Libyci Oraculi monitu pro Deo, Iovis Hammonis filio, haberi voluit; quapropter honoris cauſa cornubus eius divinitatis inſignibus ornari voluit, uti eius numiſmata aurea & argentea oſtendunt. Idem exemplum ſecutus eſt Lyſimachus, aliique eius ſucceſſores.

Diadema, quo caput cingitur, occultant capilli, pendentes vero adparent lemnifci. Collum praepingue eft, & quale athleticis membris Herculis convenit; ut hinc etiam eius divina origo eluceat: fuit enim Hercules tutelaris Genius, & propitium numen Macedonum Regum, a quo genus fuum fe ducere maxime gloriabantur; quapropter in eorum numis quandoque Herculis fpecie exhibetur. Sed fi quis velit in hac Gemma fculptum potius LYSIMACHI vultum, eius iudicio, & rationibus minime refragabor. Lyfimachi vultus pulchrior in antiqua Gemma Medicea occurrit; Alexandri vero cum pulchritudine & robore conmixta gravitas parvum inter eorum imagines difcrimen conftituit.



TABULA LI.

PYRRHUS EPIROTARUM REX.

QUamquam non defint antiquarum rerum peritiffimi Interpretes, qui in hac effigie Hannibalem, five Hasdrubalem, acerrimos Romani nominis hoftes, expreffos cenfeant; idque etiam ex emblemate, feu Symbolo Karthaginis fculpto in clypeo, nempe equo ociffime currente, arguunt; tamen communem fequor multorum Antiquariorum opinionem, qui PYRRHUM Epirotarum Regem fculptum exiftimant, de quo, quum e Thefauro Mediceo tres eximias veteres Gemmas proferrem Tab. XXV. non pauca adnotavi. Alexandro Magno tum adfinitate, tum egregia virtute, invictoque animi robore proximus fuit. Antiqua archetypa frequenter imitanda fibi proponunt egregii, qui noftra aetate florent, Gemmarii Scalptores; qui in eius effi-

effigie exhibenda multum ſibi laudis comparant; verum opus eſt ſummo ſtudio & labore in eius vultu integro exprimendo, in quo bellicus emicat terror, incomta barba, ſupercilia graviter contracta, oculi martialem ignem oſtendunt, qualis in ſuis ſcriptis a Plutarcho pingitur, qualisque truci ac feroci adſpectu in ipſo bellorum ardore fuiſſe fertur.

TABULA LII.

HANNIBAL KARTHAGINENSIS.

SCalptores Gemmarii, qui propiorem nobis aetatem, & hanc noſtram ſuis eximiis operibus ornarunt, & ornant, ſi antiquis monumentis exhibendis ſedulam navarent operam, nihil de ſuo penu addentes, nil contra Antiquitatis regulas, & praeſcripta molientes, maiori laude nomen ſuum poſteritati commendarent. Fatendum eſt, imaginem hanc exquiſitiſſimo opificio anaglyptice Chalcedonio excalptam inter eximias numerandam eſſe, in qua aliqui ex coniecturis cenſent ſculptum eſſe HANNIBALEM; verum quia galeam inuſitatae formae, pinna ex ea pendente, eius capiti aptavit Caelator egregius, & thoracem quibusdam ornamentis inſignivit, quae remotiori aetati non conveniunt, peritiam ſuam hiſce parergis non parum obſcuravit; qui etiam eius vultum nimis placidum effinxit: quare crediderim, ſpecie ferociſſimi Bellatoris exhibuiſſe ſua tempeſtate effigiem alicuius Militis, ſive Ducis, rebus bello geſtis clari, quam ipſe vel amico roganti aut emtori dederit, vel in aureo annulo ipſe detulerit.

TABULA LIII.

CAPUT IGNOTUM.

HAnc quoque Gemmam alicuius praeclari Viri effigiem nobis incogniti praeferre cenſeo: ſed neſcio quid portentoſum ingenioſus Artifex nobis propoſuit in ornando eius capite; ſiquidem nec diadema, nec radiatam coronam audeo adpellare. Exſtat Florentiae in Muſeo Marchionum Nicoliniorum marmorea protome virilis, cuius caput loris duplici reticulato ordine diſpoſitis revinctum eſt; quam ſtudii cauſa mihi delineandam curavi, dum putarem facile referre poſſe celebris alicuius Athletae imaginem, eo quod in ſacris certaminibus in more poſitum fuerit, non ſolum manus ceſto armare, ſed etiam caput, dum in quibusdam ludis capite praeſertim inter ſe concurrentes decertarent; quam conſuetudinem nondum accurate expendi. Siquidem differt a ſchemate propoſito a Raph. Fabretto; non enim ἀμφώτης cernitur loris coeuntibus ſub mento religata, quae in Pugilis capite ab eo prolato cernitur; ſed lora duplici ordine per gyrum ambiunt caput, quae a duabus in crucem in vertice coeuntibus fulciuntur. Huiusmodi effigies affabre ſculpta quamdam cum Nicoliniana pervetuſta marmorea protome, armato in hunc fere modum capite, ſimilitudinem praefert.

TA-

TABULA LIV.

NUMA POMPILIUS ROMANORUM REX

IN numis argenteis Calpurniae gentis occurrit caput NUMAE POMPILII diademate coronatum, in quo ſcriptum NUMA (1); nam ab eo & Calpurnii & Pomponii originem, & ſummam ſtirpis antiquitatem ac nobilitatem traxiſſe, ac derivaſſe gloriabantur. Ipſe barbatus exhibetur, adſimili effigie, quae ab egregio Artifice exſcalpta eſt anaglypho opere in Chalcedonio, quam heic exhibemus. Cur vero in Gemmis adpareat velato capite, adlatis coniecturis ad alia detorquent Leonardus Auguſtinius, & Paulus Alexander Eques Maffeius, quos vide (2). Fretus autoritate Livii rationes adtuli in Muſeo Florentino, (3) cur NUMA POMPILIUS velato capite, vota & ſacra facientium more, ſculptus ſit; nam hoc habitu primus poſt Romulum, quadrageſimo aetatis ſuae anno, omnium ſuffragiis, Curibus Sabinorum per Legatos adcitus, Romanorum Rex ſalutatus memoratur. En diſertiſſimum Livii teſtimonium (4). *Adcitus ſicut Romulus augurato in Urbe condenda, regnum adeptus eſt, de ſe quoque Deos conſuli iuſſit. Inde ab Augure, cui deinde honoris gratia publicum id perpetuumque ſacerdotium fuit, deductus in arcem, in lapide ad meridiem verſus conſedit; Augur ad laevam,*

t EIUS

(1) Vide in Theſauro Morelliano Vol. I. Tab. II. num. V. & Tab. III. num. II.
(2) In Par. I. *le Gemme figurate* Tab. I.
(3) Ad Tab. I. Vol. I. pag. 5. & 6.
(4) Lib. I. Hiſt. Rom.

eius velato Capite, *Sedem cepit cc.* Adcedit Plutarchi teſtimonium (1), qui eum velato capite, ſolemnibus auſpiciis, & precationibus regnum adeptum fuiſſe adfirmat.

TABULA LV.

LUCRETIA.

Alio modo in perrara Gemma antiqui operis a me edita in Muſeo Florentino Tab. I. num. III. effiєta eſt imago LUCRETIAE, forma, ſpectataque caſtitate inter Romanas ornatiſſimae; nam incomti eius capilli negligentiore cultu revincti ſunt; ipſa vero vultu moerorem oſtendit ob inopinatum dedecus vi corpori ſuo, non animo inlatum a Sexto Tarquinio, Superbi Regis filio, infixumque in pectore gerit gladium. Aliter vero aetate nobis proximi Scalptores Gemmarii eam effingunt; cuius exemplum eſt perpulchrum hoc opus Chalcedonio exſcalptum, in quo Lucretia partim nudo pectore, partim amicto exhibetur, quae gladio ſe interimit laeta atque intrepida; cuius capitis cultus alicuius Matronae expreſſam imaginem Artifici notam, & tempora nobis propiora perſpicue declarat. Verum Gemma opificio nobilis eſt, & ſpectatu digna.

TA-

(1) In eius Vita.

TABULA LVI.

L. IUNIUS BRUTUS.

QUamquam neoterici Artificis manum redoleat haec imago BRUTI, qui, vindicato Lucretiae dedecore, Tarquinio Regi Romanum ademit imperium, & civium libertatem forti ac magno animo adſeruit, condita Republica, quam annuo cum imperio creati Conſules moderarentur; tamen affabre Onychi inſcalpta eſt haec noſtra imago, adeoque valde commendabilis. Primus BRUTUS barbatus in antiquis monumentis exhibetur; alter vero Caeſaris interfector imberbis, ut videre eſt in Muſeo Florentino Tab. I. num. IX.

TABULA LVII.

CAIUS MARIUS.

PEritiſſima Gemmarii Opificis manu Chalcedonio exſcalpta eſt imago C. MARII, quae optime reſpondet, maximaque ſimilitudine exprimit antiquam marmoream protomam, quae ſpectatur in Florentino Imperiali Muſeo. Triumphalibus veſtibus & ornamentis decorum doctus Scalptor exhibuit, quae multum dignitatis egregio operi conferunt. Nihil propoſitum eſt, quod ab Antiquitatis regulis recedat. Perlubet tanti Viri geſta exponere pulcherrimo elogio, quod antiquitus ornabat Arretinum Amphitheatrum eius Statuae ſubiectum, quod vetuſtiores Antiquarii, inter quos F. Iucundus Veronenſis recenſetur, nobis ſervarunt, docent-

que

que eorum Codices ſaeculo XV. exarati (1): C. MARIUS *C. F. Cos. VII. Praetor. Tribunus Plebis Q. Aug. Tribunus Militum. extra ſortem bellum cum Iugurtha Rege Numidiae* Pro Cos. *geſſit. eum cepit. & triumphans in ſecundo Conſulatu ante currum ſuum duci iuſſit. tertium Conſul apſens creatus eſt.* IIII *Cos. Teutonorum exercitum delevit. quinctum Cos. Cimbros fudit. ex iis & Teutonis iterum triumphavit. Rempublicam turbatam ſeditionibus Trib. pleb. & Praetorum, qui armati Capitolium occupaverant* VI *Cos. vindicavit. poſt* LXX. *annum patria per arma civilia expulſus. armis reſtitutus.* VII *Conſul factus eſt. De manubiis Cimbricis & Teutonis aedem Honori & Virtuti victor fecit. veſte triumphali. calceis patriciis &c.* Reliqua deſunt fracto marmore. Inſigne opus ac praenobile adſervatur in meo Muſeo, nempe ſegmentum omnium quotquot exſtant maximum, Lithoſtroti quod Praeneſte in Delubro Fortunae ex voto fecit L. Cornelius Sulla, eodem Mario devicto; quod laudat Plinius (2) veluti primum picturae muſivi operis exemplum, quod ea tempeſtate ſtupentes Romani conſpexerunt (3).

TABULA LVIII.

POMPEIUS MAGNUS.

CLarus, diuque feliciſſimus fuit CN. POMPEIUS MAGNUS, qui tres geſſit Conſulatus, totidemque triumphis in Romana Republica iterum Imperator,

(1) Vide Par. II. Inſcript. antiq. Etruriae Urbium pag. 248. ubi & meas obſervationes adieci.
(2) Hiſt. Nat. Lib. XXXVI. Cap. XXV.
(3) Aereae Tabulae inciſum adiecta magnitudine propoſui in Par. III. Inſcription. antiq. Etruriae Urb. Tab. III. & obſervationes adieci pag. XLVIII.

tor, Praefectusque orae maritimae & Classis ex Senatusconsulto, celebre nomen suum posteris reliquit. Alexandrum Macedonum Regem aemulandum sibi proposuit. Anno aetatis suae quinquagesimo octavo victus acie Pharsalica, quum ad Ptolemaeum in Aegyptum confugisset, in eius conspectu, & iunioris filii, capite truncatus pridie natalem suum occubuit. Imago haec exquisito opificio Sardae inscalpta, expressa diligenter est ad exemplum aurei & argentei numi, qui adfertur in Morelliano Thesauro Tab. II. num. I. quem vide.


TABULA LIX.

M. ANTONIUS & CLEOPATRA.

PRaeclari Gemmarii Artifices, qui non pecuniae, sed gloriae studio flagrant, ea sibi proponunt emblemata, & capita Inlustrium Virorum, quibus & nomen, & ingens decus sibi comparare possint. Opifex huius Gemmae in Romana Historia percelebrem MARCUM ANTONIUM cum CLEOPATRA Aegypti Regina, iugatis capitibus, Achati egregio artificio inscalpsit; cui persimile opus, ut ferunt, exstat in ditissimo Christianissimi Galliarum Regis Thesauro. Ne quid in vestibus M. Antonii effingendis peccaret, clypeum adposuit, duobus lauri ramusculis ornatum. Praeterea & CLEOPATRAM sparsis perpulchris comis luxuriantem ex ingenio exhibuit.

Memoranda est insignis Gemma, quinque unciarum altitudinis, totidemque latitudinis, quam profert Celeberrimus P. Bernardus Montfauconius Cap. XVII.


Diarii Italici pag. 242. quam, ut ait, penes ſe habuit, pretio, & Sculpturae ratione ſingulariſſimam; in qua anaglyptico opere Achati exſcalpti ſpectantur, proprio veſtium, & capitum cultu, M. ANTONIUS laureato capite a dextris, CLEOPATRA vero a ſiniſtris, ad imam usque pectoris partem egregie caelati.



TABULA LX.

FEMINA IGNOTA.

IUre ac merito ii damnantur ac reprehenduntur Antiquarii, qui plerumque ſine iudicio, atque ex ingenio adfirmant, & quid certum ſtatuunt in rebus dubiis; quod omnino vitandum eſt: quapropter in hac ornatiſſimae FEMINAE effigie licet alii agnoſcant vel Cleopatram, vel Berenicem, ego nec agnoſco, & nihil ſtatuo. Illud adfirmo, neoterici Scalptoris eximium eſſe opus, & commendatione dignum.




TABULA LXI.

IULIUS CAESAR.

IN Gemmis antiqui operis imago C. IULII CAESARIS non ſolum exhibetur capite laureato, verum etiam cum lituo Auguratus inſigni, & cum ſtella ei ſacra ante frontem; quod & in numis eius obſerva-

vatur. Lauream perpetuo lubenter gestavit Senatus Populique decreto; stella vero ad eius apotheosim & caelestem originem declarandam pertinet; nam eo exstincto, edente Augusto in eius honorem ludos, Veneri Genitrici consecratos, per septem dies stella effulsit, qua creditum est eius animam in Veneris astrum migrasse. Artifex huius praestantis operis, quod exhibemus, quum ex antiquis monumentis Iulii Caesaris effigiem anaglyptica sculptura in Chalcedonio accurate expressisset, sola corona laurea eum ornavit. Ex ipso vultu elucet divinum eius ingenium, vigor animi, consiliorum magnitudo; suetus simul scribere, & legere, dictare & audire; magnus Historicus, Orator, Mathematicus. Magnifica eius aedificia periere; sed eius Commentaria, temporum devicta iniquitate atque iniuria, adhuc vivunt, & perennant: proinde apud Lucanum sic merito gloriatur,

----media inter praelia semper
Stellarum caelique plagis, superisque vacavi;
Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.



TABULA LXII.

LIVIA.

LIVIAM Livii Drusi filiam, Tiberii, & Drusi matrem, C. Augusti uxorem omnes norunt; eiusque vitam tam Graeci, quam Latini historici litteris consi-

consignarunt. Quamobrem de ea nihil addam, praeter quae ad hanc gemmam spectare videntur. In ea illius caput velatum, laureatumque conspicitur, quod proprium sacrificulorum erat. Compertum autem est ex Dione (l. 56. pag. 600.) Senatum caelestes honores post apotheosin Augusto, & templum dedicasse, & insuper Sacerdotem ei decrevisse, quod munus LIVIAE tributum est, quae tunc Iulia vocabatur, & Augusta, quod eam in filiam Augustus vir eius perverso ordine adoptasset. Ea deinde festum in Augusti honorem pariter instituit, quod tribus diebus in palatio celebrabat, ut idem Dio (ibid.) adfirmat. Qui hanc caelavit gemmam artifex, ad haec animum intendisse putarim, ideoque caput eius tali amictu, & ornatu composuit, qui sacrificantium peculiaris est, ut non solum ex innumeris Scriptoribus, verum ex totidem marmoribus antiquis patet: quae quum nimium pervulgata sint, hic recensere supervacaneum putamus. Vide sis tab. LV. tom 3. Musei Capitolini, in qua Adriani sacrificantis statua repraesentatur capite velato.



TABULA LXIII.

TIBERIUS CAESAR.

QUidquid adulatio iactare possit dum Principes laudantur, facile quisque intelligere potest, si Velleium Paterculum in sua Historia laudantem TIBERIUM CAESAREM audiat. (1) *Tiberius Claudius Nero*

(1) Lib. II. Cap. XCIV.

Nero innutritus caelestium praeceptorum disciplinis, iuvenis, genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis, maximoque ingenio instructissimus; qui protinus quantus est, sperari potuerat, visusque praetulerit Principem: Quaestor, undevicesimum annum agens, capessere coepit Rempublicam, maximamque difficultatem annonae, ac rei frumentariae inopiam, ita Ostiae, atque in Urbe, mandato vitrici moderatus est, ut per id, quod agebat, quantus evasurus esset, eluceret. Sed quibus vitiis & turpitudinum infamia flagraverit, ex Suetonio in eius Vita satis superque exploratum est, qui haec ad eius effigiem pertinentia adnotavit (1): *Colore erat candido, capillo pone occipitium submissiore, ut cervicem etiam obtegeret, praegrandibus oculis, & qui (quod mirum esset) noctu etiam & in tenebris viderent, sed ad breve, & quum primum a somno patuissent; demum rursus hebescebant. Incedebat cervice rigida, & obstipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus ec.* Haec omnia tum ex Scriptoribus, tum ex antiquis numis, & marmoreis protomis accurate observavit, & egregio opificio expressit huius anaglyphi operis Caelator, quem laude dignum censemus.

TABULA LXIV.

CALIGULA.

QUid ni haec protome saevissimum exprimat Imperatorem CALIGULAM nemo dubitabit, qui memoria teneat Suetonii verba cap. 50. in CALIGULAE

x ipsius

(1) Cap. 68.

ipfius Vita, qui de eius forma haec habet: *Gracilitate maxima cervicis* (fuit), *temporibus concavis*, *fronte lata*, & *torva*, *capillo raro*, *vultum vero natura horridum*, & *tetrum*. In hujus gemmae occipitio prope cervicem capilli proceriores videntur non ingeniti, fed adfcititii, quod omnino refpondet Senecae verbis de Conftantia cap. 18. *Tanta illi palloris infaniam teftantis foeditas erat*, *tanta oculorum fub fronte anili latentium torvitas*, *tanta capitis deftituti*, & *emendicatis capillis afperfi deformitas ec.* Hinc probe comatorum, invidentia ductus, quam maxime ofor fuit, unde *pulchros*, & *comatos* (ut ait idem Suetonius) *occipitio rafo deturpabat*. Hac de caufa filium Paftoris interfici iuffit, *munditiis eius* (ut idem Seneca ait) & *cultioribus capillis offenfus* (Sen. *de Ira*, 3. *c.* 19.). Haec vultus Caligulae lineamenta, & capillorum modos quodammodo confequi poffumus ex hac anaglypha Achate, in qua coma ad cervicem in occipitio vergens adfcititia apparet. Ex nummis, & ex capitibus five marmoreis, five aeneis, huius Imperatoris, quae fuperfunt, & praecipue in Mufeo Capitolino omnium praeftantiffima, compertum eft, non adeo mentofum fuiffe, ut in hac gemma apparet.

TA-

TABULA LXV.

GERMANICUS CAESAR.

HAbemus imaginem GERMANICI CAESARIS in Sardonyche exſciſam ab Epitynchano Scalptore praeſtantiſſimo, qui ea aetate vivebat, & in Caeſarum domo verſabatur; quam in lucem dedimus in Muſeo Florentino ex archetypo Stroziae Dactyliothecae (1). Noſter Gemmarius Opifex eam ſibi imitandam propoſuit; ſed eius vultum aetate paullo provectiore egregia manu expreſſit, exſcalpto Chalcedonio. Hunc Tiberius Romano imperio dignum Principem, Piſonis fraude, ſuſtulit; quum omnium votis expeteretur, ut ipſe regnaret. Egregia fuit forma, ac generoſo vultu, *viſuque & auditu iuxta venerabilis, qui quum magnitudinem & gravitatem ſummae fortunae retineret, invidiam, & arrogantiam effugerat;* ut ait Tacitus (2).



TABULA LXVI.

FEMINA IGNOTA.

FAtendum eſt, huiusmodi opus arte conſummatiſſima ab eximio Opifice anaglyphica ſculptura in Chalcedonio ſculptum eſſe. Si ſingula ſpectemus vultus lineamenta, oculorum pulchritudinem, crinium perelegantes plexus, colli & humeri concinnitatem,

y omnia

(1) Vide Vol. II. Tab. IX. num. I. & in Stoſchiano Opere Gemmar. cum Artif. nom. Tab. XXXII. pag. 42.
(2) Annal. Lib. II.

omnia peritiſſimi Artificis redolent ſtudium, ſolertiam, & ſcalpendi felicitatem. Numquam tamen quis fatebitur, eum exhibere voluiſſe Agrippinam Germanici, quae aliter in numis, & marmoribus antiquis repraeſentatur. Satius eſt vultum latere nos ignotae feminae ultro fateri, quam contra veritatem pugnare.

TABULA LXVII.

ANTONIA AUGUSTA.

OPtime reſpondet imago haec praecellenti opere e Chalcedonio exſciſa, antiquis numis, in quibus exhibetur vultus ANTONIAE AUGUSTAE, quem ex ipſis excepit diligentiſſimus Opifex. Convenit etiam cum eximia Gemma Mediceae Dactyliothecae, quam exhibuimus (1); quamvis in noſtra, aetate magis provecta ſpectetur. Equidem, ut teſtantur Hiſtorici, fuit modeſta, ſapiens, pudica, frugi, caſta, blanda; quae & dum viveret, & poſt obitum divinos honores conſecuta eſt.

TABULA LXVIII. LXIX.

CLAUDII ET MESSALINAE CAPITA.

QUI Smithianae Dactyliothecae Gemmarum Catalogum mihi exhibuit, cenſet optimo opificio in Sarda hac inſcalpta eſſe iugata capita CLAUDII CAESARIS & MESSALINAE; quae aliis expendenda relinquo.

(1) Vide Muſei Flor. Vol. I. Tab. IV. num. VI.

quo. Sequitur in altera Tabula LXIX. Feminae mihi ignotae imago; quae quum pectore partim nudo, partim amicto luxuriet, specioſo titulo MESSALINAE multorum flagitiorum cupidiſſimae tribuitur; de quibus nihil mihi dicendum ſupereſt, & de impoſitis nominibus valde dubito.

TABULA LXX.

IMP. SER. SULPICIUS GALBA.

OPtimus Scalptor in hac imagine SER. SULPICII GALBAE Sardae incidenda eam ſibi, ni fallor, propoſuit quae exſtat in Florentino Muſeo (1), quae eſt eximiae magnitudinis, & operis exquiſitiſſimi. Cum ea probe concordat; niſi quod Medicea circa collum chlamyde, ſeu paludamento ornata conſpicitur; ſiquidem ob res ſtrenue in Africa, & in Germania geſtas triumphalia meruit ornamenta.

TABULA LXXI. LXXII.

M. OTHO CAESAR.

IMperatoris Caeſaris OTHONIS effigiem ita pingit Suetonius, quae huic imagini ex antiquis numis vel gemmis expreſſae probe reſpondet. *Fuiſſe traditur & modicae ſtaturae, & male pedatus, ſcambusque; munditiarum vero paene muliebrium, vulſo corpore, galericulo capiti propter vari-*

(1) Vol. I. Tab. VI. num. II. pag. 23. & 24.

varitatem capillorum adaptato & ita annexo, ut nemo dignosceret: quin & faciem quotidie vastare, & pane madido linere consuetum; idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset. Caput nudum est, laurea corona minime revinctum; quemadmodum & in Gemma Medicea, & marmorea protome, atque etiam in numis occurrit.

In altera, quae sequitur Tabula LXXII. idem Imperator affabre sculptus est exstanti opere in Chalcedonio.

TABULA LXXIII.

IMP. A. VITELLIUS.

HActenus complura monstra, non homines, vidimus, quibus olim Romanum Imperium paruit, & vitiis obrutum est. En VITELLII effigies, quae probe cusis numismatis respondet, ad quorum fidem a perito Scalptore Onychi bicolori inscalpta cernitur. Eam ita describit Suetonius in eius vita (1): *In eo enormis proceritas, facies rubida plerumque ex vinolentia; venter obesus.*


TABULA LXXIV.

TITUS CAESAR VESPASIANUS.

AMor & deliciae generis humani faustis omnium adclamationibus appellatus est TITUS VESPASIA-

(1) Cap. 17.

SIANUS AUGUSTUS, cuius imago abſolutiſſima eſt, in Cyaneo lapide anaglypha caelatura egregie expreſſa, quae olim Cimelia Inclutae Suecorum Reginae ornavit. Egregia fuit forma, cui non minus auctoritatis quam gratiae fuit. Silentio minime praetereundum eſt elogium, quo eum ornat Suetonius in eius vita: (1) *Natura benevolentiſſimus fuit. In ceteris vero deſideriis animum hominum obſtinatiſſime tenuit, ne quem ſine ſpe dimitteret: quin & admonentibus domeſticis, quaſi plura polliceretur, quam praeſtare poſſet; non oportere, ait, quemquam a ſermone Principis triſtem diſcedere. Atque etiam recordatus quondam ſuper caenam, quod nihil cuiquam toto die praeſtitiſſet, memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit:* AMICI, DIEM PERDIDI.



TABULA LXXV.

IULIA AUGUSTA.

CHalcedonio pereleganti opere, & anaglypha ſcultura caelata eſt imago IULIAE AUGUSTAE e Martia, Titi filiae, quae etiam cum praeſtantioribus numis a Vaillantio editis probe concordat. In veſtium & capillorum cultu perita Artificis manus perſpicue elucet. Carpentum ei decretum a Senatu Populoque Romano, & poſt eius obitum divinos honores, numiſmata teſtantur.

(1) Cap. 8.

TABULA LXXVI. LXXVII.

IMP. DOMITIANUS.

DOMITIANUM ita pingit Suetonius (1): *Statura fuit procera, vultu modesto, ruborisque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore: praeterea pulcher ac decens maxime in iuventa -- postea calvitio quoque deformis*. In priore Gemma laurea redimitus; in altera vero sine laurea peritissimo opificio sculptus cernitur.



TABULA LXXVIII. LXXIX.

HADRIANUS AUGUSTUS.

FRequenter occurrit non solum in Gemmis, verum etiam in marmoribus sculpta HADRIANI CAESARIS imago, qui claruit non solum litteris, & armis, sed & egregiis artibus, tum picturae, tum sculpturae atque architecturae. Primus Caesarum aliquantulum prolixa cum barba occurrit, quam multis itineribus & peregrinationibus distentus nutrivit. In priore Gemma insignis operis provectiorem aetatem praefert, in altera vero elegantissima minus provectam; laurea corona & paludamento in priore tantum conspicuus occurrit.

TA-

(1) In eius Vita cap. 18.

TABULA LXXX.

SABINA AUGUSTA.

OPificii elegantia & pulchritudine eminet imago haec SABINAE AUGUSTAE, quae exhibetur adhuc vivens, matrimonio iuncta Hadriano Imperatori; nam caput Augustarum Feminarum more mitella, sive anademate ornatum non habet, sed apertum; secus vero in aliis sculpturis, quum velato capite post obitum conspicitur, ut in duabus eximiis protomis Musei Florentini Tab. XII. & XIII. Voluminis I. quibus ornamentis divinitatis insignibus, tanquam consecrata, & inter Deos recepta manifeste declaratur. Quamvis autem Scriptorum testimoniis non constet, eam post mortem in Dearum coetum relatam fuisse; tamen ex editis numismatis perspicue colligimus, a Senatu Deam Divamque declaratam, ac divinis honoribus cumulatam fuisse. Testis est aquila, quae Augustorum animas sideribus receptas monet, quae in eius numis occurrit, cum epigraphe DIVA. AVG. SABINA. CONSECRATIO. Neptis fuit Traiani, Matidiae filia, iunioris Matidiae soror, egregiis animis dotibus ornata, etsi vitiis quoque non caruerit. Oris maiestas cum quadam severitate & gravitate coniuncta probe cum eius imaginibus aere expressis convenit.

TA-

TABULA LXXXI. LXXXII. LXXXIII.

ANTINOUS HEROS.

QUemadmodum in Numismatum Auguſtorum collectionibus ANTINOUS cum Hadriano Imperatore coniungitur, quia eius comes fuit, itinerum ſocius, & maximo amore dilectus; ita etiam in Gemmarum ſyntagmate, & Dactyliothecis opulentioribus, ab eodem Caeſare non ſeiungitur hic adoleſcens, eius delicium; qui ſe pro eius ſalute devovit, & poſt mortem divinos honores toto fere orbe conſecutus eſt. Hinc *Heros* adpellatus; quod nomen non ſolum in editis numismatis maximae magnitudinis, quae e regiis Cimeliis Muſei Florentini evulgavimus, legitur, verum etiam in Gemmis, ut in hac noſtra, quae Tab. LXXXI. exhibetur, in qua opificio pulcherrimo pereleganter inſcalptus eſt; quod perhonorificum vocabulum diverſimode ſcriptum eſt; nimirum ΗΡΩϹ. ut in hac Gemma; modo ΗΡΟϹ. modo ΗΡΩΟϹ. modo ΗΡΟΟϹ. Heroum nomine eos Antiqui donabant, qui eximium aliquod beneficium mortalibus praeſtitiſſent, vel rerum geſtarum gloria ſupra mortales omnes praecelluiſſent. Verum Antinous non ſolum Heros, verum etiam *Deus* adpellatus eſt, & cum Diis thronum ei adſignatum, tributos Sacerdotes, Prophetas, dedicata templa, aras, facta ſacrificia, inſtituta in eius honorem certamina, adtributa oracula, feſta, ſtatuas, omnibus denique honoribus cultum tum numismata, tum ſcripta marmora tota Grecia ei conſecrata luculenter teſtantur. Idem

etiam

etiam ut supra Heroas omnes opinione divinitatis, & maiestatis honore celebraretur, coleretur que, tum Bacchi, tum Mercurii specie atque habitu effictus est; quod praesertim Smyrnenses, & Adramytteni fecerunt. Tarsenses eum tanquam novum Apollinem Pythium coluere.

Praecipua celebritate, & divinorum honorum in eum conlatione omnes Asiae regiones superavit Aegyptus, quae eum Nilo, & Geniis Socium, eiusdemque throni consortem decrevit, & consecravit; quin etiam, quum eius aquis demersus interiisset, aequali cultu, ut prona in Hadrianum adulatione praecellerent, exornarunt. Hinc singularis, atque mirabilis mihi videtur eius imago adlata in Tabula LXXXII. quae eum udis capillis, veluti Nili aquis emersum, exhibet; adiecta loto, sive trifolio Nilotico, veluti eius consecrationis symbolo; qui flos ex aquis Nili adsurgit, ut perspicue videre est in insigni omniumque maximo Lithostroti Praenestini Delubri segmento, quod in meo Museo adservatur, a me prolatum in Par. II. Inscriptionum antiquarum, quae in Etruriae Urbibus exstant: quo etiam flore ornata Deorum Aegyptiorum Isidis, Harpocratis, Anubidis, Conopi, ceterorumque capita passim in antiquis sculpturis, atque etiam in numis spectantur; de quo non pauca ex penitioribus eruditae Vetustatis adytis nuper protulit Vir Celeberrimus multorum egregiorum operum parens Iulius Carolus Schlaegerus, Philologus Helmaestadiensis, mihi amicissimus, in Commentatione de Numo Hadriani plumbeo, & Gemma Isiaca &c. Recedit, fateor, haec Antinoi effigies ab aliis eius imaginibus, quae iam ex eius signis marmoreis, numis, & gemmis depromtae innotuerunt;

a a tamen,

tamen, ut non ſine ratione ſuſpicer in hac pereximia Gemma ANTINOUM tanquam Dei Nili Genium ſculptum eſſe, ille ipſe loti flos mihi ſuadet; quod tamen iudicium ex his coniecturis depromtum, doctorum hominum calculo lubens ſubmitto.


De altera ANTINOI imagine pulcherrimo opificio expreſſa, quae in Tabula LXXXIII. producta eſt, nullus eſt ambigendi locus; nam oris ac vultus lineamenta mirifice conveniunt, ac probe reſpondent omnium inſigni atque incomparabili marmoreae eius Protomae, quae Eruditorum omnium ſtupore & admiratione commendatur, atque inter rariora regii Florentini Cimeliarchii cenſetur. Praeter chlamydem, qua tum Dii, tum Heroes decorantur, in hac Gemma elegantiſſima haſtam tenet, quae inſigne eſt divinitatis; & notum eſt, pro ipſis Diis haſtas cultas, unguentiſque perfuſas, maximo in honore apud Antiquos fuiſſe: de quo cultu alibi diſſeruimus.

Quum perrara ſint, & maximi pretii numismata, quae ANTINOUM Hadriani Caeſaris delicium praeferunt, ab Aſiae Civitatibus percuſſa, quae eum immaturo inopinatoque fato functum veluti Heroam divinis honoribus adfecerunt; nil mirum ſi Scalptores, qui floruerunt, & adhuc florent, in eius imagine exhibenda ſummis ingenii & artis viribus deſudarint. Nuper Felix Bernabeus Florentinus, egregius Scalptor, in parva Gemma eiusdem ANTINOI imagine pectore tenus ſculpta, totam in ea venuſtatem admirandumque opificium incluſit, quo ſummis laudibus celebratur rariſſima ac perinſignis marmorea protome ANTINOI, quam Roma Florentiam transvehendam iuſſit Sereniſſimus Cardinalis Leopoldus Medices, qui morae impatiens ad quar-

tum

tum uſque extra Romanam portam lapidem, aurato curru ſex equis vecto, obviam proceſſit, apertaque capſa diu eam contemplatus eſt, & in curru ſuo ad regium Muſeum ſuum perducendam, atque in eo tanquam artis miraculum ſtatuendam praecepit. Si mihi opes eſſent, id unum curarem, ut praeſtantes Caelatores Gemmarii vel opere anaglypho vel diaglypho in lectiſſimis ac pulcherrimis Gemmis tum Caeſarum, Auguſtarumque, tum etiam Heroum & inluſtrium Virorum imagines vel ex protomis, vel ex Statuis omnium probatiſſimis praeſtantium Graecorum mihi referrent tum imitatione, tum elegantia conſummatiſſimas.

Tres heic habemus Antinoi imagines, quas mihi ignoti Artifices eleganti opere Gemmis inſculpſerunt.



TABULA LXXXIV. LXXXV.

ANTONIUS PIUS ET FAUSTINA.

SPecie ANTONINI PII & FAUSTINAE, potius coniugum nobis incognitorum par ſculptum exſtanti opere Chalcedonio mihi videtur. Opus ipſum & ſpectatu, & multa commendatione profecto dignum adparet; vultusque eximium decus & dignitatem praeſeferunt.

In altera quae ſequitur Tabula LXXXV. miro praecellentique opificio Matrona ſculpta ſpectatur, forma conſpicua, neque erit abſurdum coniicere, in ea quid regium & nobile elucere; & ſi oris lineamenta, capillorum, & veſtium cultus accurate obſerventur, ad vivum expreſſam Principem feminam dicemus, non vero aliquam ex Auguſtis mulieribus, quibus haec ornamenta non conveniunt.

TABU-

TABULA LXXXVI.

M. AURELIUS CAESAR.

BEllo inſignis, litteris clarus, & eloquentia conſpicuus fuit M. AURELIUS, cuius imago eximio opere Helitropio inſcalpta heic cernitur. Videtur tamen vultu gracili, & ſicciore, promiſſaque & convoluta barba, quid praeferre, quod ab eius marmoreo vultu, & imaginibus in numis expreſſis non parum recedit; tamen probabile eſt, Scalptorem eum ſibi propoſuiſſe, qualis fuit aetate in ſenium vergente.

TABULA LXXXVII. LXXXVIII.

FAUSTINA IUNIOR.

PRimum occurrit FAUSTINAE iunioris imago egregio exquiſitoque artificio Sardae inſcalpta, quae cum antiquis imaginibus probe concordat. Abhorret vero ab eius icone altera Gemma, quae imaginem non eiusdem Auguſtae feminae, ſed effigiem alicuius mulieris aetatis nobis proximae egregia arte exprimit, quam aliis indicandam relinquo.

TABULA LXXXIX.

L. AELIUS VERUS CAESAR.

ROmani orbis imperio dignus Hadriano Imperatori viſus eſt L. AELIUS VERUS, antea L. Ceionius Commodus adpellatus, quem in Aeliam familiam

liam adſcitum adoptavit, ſibique propter maiorum ſuorum gloriam, eiusque praeclara ſtudia ac merita, ſucceſſorem delegit. Verum nondum peracto anno poſt adoptionem, quod valetudine laboraret, celeri fato occubuit. Ex antiquis exemplis, & facile ex ectypo Mediceae Gemmae, quam in lucem protuli (1), ab optimo Artifice haec Gemma inſcalpta eſt.



TABULA XC.

M. AUR. COMMODUS.

PUtant aliqui in hac Gemma, nimirum Iaſpide rubro, inſcalptum caput COMMODI Imperatoris; ſed provectiorem aetatem tam perſpicue oſtendit (ni tamen in delineanda Pictor erraverit), ut de ea non parum dubitem. Siquidem COMMODUS quatuor menſibus ſupra triceſimum aetatis annum ab athleta, a quo exercebatur, ſtrangulatus interiit. Pulchram & virilem faciem praetulit, capillos flavos, & criſpos, quos ſemper fucavit, & auri ramentis ſplendentes fecit, aduſta ſibi coma & barba, tonſoris timore. Lemniſcis pendentibus laureatum habet caput. In numis occurrit Herculis ſpecie, capite operto leoninis exuviis & rictu, cum epigraphe: HERCVLI COMMODIANO (2).

bb TA-

(1) Muſei Flor. Vol. I. Tab. XIII. num. I. quam vide.
(2) Vide Vaillantii Numismata praeſtantiora.

TABULA XCI.

CRISPINA AUGUSTA.

TRibuitur haec imago, quam praefert Sarda bicolor, CRISPINAE AUGUSTAE, quae in ea fculpta exftanti opere creditur. Id vero non tam facile adfirmari poteft; nam vultus integer eft, quod fi effet obliquus, cum numis conferri poffet.

TABULA XCII. XCIII.

DIDIUS IULIANUS IMP.

ELegantiffima eximii Scalptoris manu anaglypha fculptura Chalcedonio effictus cernitur DIDIUS IULIANUS AUGUSTUS, capite laureato, militaribus armis, & paludamento infignis. In numis aetate provectior adparet; vixit autem annis fex fupra quinquaginta; imperavitque duobus circiter menfibus; ita vero expreffus cernitur in fequenti Tabula, Sardae perita manu infcalptus, in qua fquamata lorica amictus fpectatur.

TABULA XCIV.

SEPTIMII SEVERI AUG. FAMILIA.

MInimo in lapillo infcalpta fpectanda funt quatuor capita invicem iugata SEPTIMII SEVERI & IULIAE AUGUSTAE eius coniugis laevorfum; dextrorfum vero filiorum eius ANTONINI CARACALLAE & GETAE

eius

eius fratris. Peritiſſimi Opificis cum elegantia certat labor, qui minimo in ſpatio tam belle eorum imagines exhibuit.

TABULA XCV.

IMP. M. AURELIUS BASSIANUS ANTONINUS.

SAevitia & crudelitate Imperatores omnes ſuperavit ANTONINUS cognomento CARACALLA, cuius imago truculenta, horrida feritate plena, ſpectanda exhibetur, Chalcedonio egregio opere exſcalpta. Novum ornamentum adiecit mihi ignotum ingenioſus Scalptor, circa pendentis chlamydis oram.

TABULA XCVI.

P. SEPTIMIUS GETA CAESAR.

GETAM omnibus gratum, fratrem ſuum, in ſinu matris occidit immaniſſimus Antoninus Caracalla, nomenque eius ex antiquis marmoribus eradendum, atque imagines evertendas praecepit. Sola numismata, protomae quoque marmoreae omnium tamen rariſſimae, & gemmae antiqui operis eius effigiem blanda humanitate nitentem nobis ſervarunt. In hoc Chalcedonio anaglyphica ſculptura ab optimo Artifice ita exhibetur, quaſi Herculem referat, vel Bacchum, eius tutelares Deos; quos ſculptos cernimus in eius numo inter rariores adſcribendo, cum epigraghe: DII PATRII.

TA-

TABULA XCVII.

ELAGABALUS AUG. cum IULIA SOAEMIA.

NUlla in lapillis pretiosis insculpta imago occurrit, quae sive luxus, sive lucri causa, vel imperitorum quorumdam hominum dexteritate, nomen, & plerumque speciosum, ac celebre, non acceperit. Chalcedonio exscalpta a nonnullis creduntur heic capita M. Aurelii Antonini ELAGABALI, & matris eius IULIAE SOAEMIAE, quae cum eo Senatum ingressa, Consulum subsellia occupavit. Verum quid sibi vult arcus pone ELAGABALI imaginem? Nescio quibus de causis ei tribui possit; ni dicamus, Scalptorem ex ingenio voluisse eum Apollinis, qui idem ac Sol est, matrem vero Dianae, seu Lunae specie designare; quum sciret eum Solis simulacrum, e Syria advectum, Romae in templo collocasse, seque eius sacerdotem fecisse; quapropter in numis *Sacerdos Dei Solis Elagabali* nuncupatur; & in eo perraro numo, in quo ipse togatus ad aram ignitam sacrificat, inscribitur: INVICTVS SACERDOS AVG. Haec utcumque se habeant, spectanda est Gemmarii Opificis peritia, qui huiusmodi imagines tam concinne & eleganter expressit; quamquam Historicae veritatis parum studiosus fuerit.

TABULA XCVIII.

PAULINA AUGUSTA.

SI haec imago viridi pretioſo lapillo exſtanti opere pereleganti exſcalpta, cum editis praeſtantioribus numis conferatur, minime haeſitabimus, putantes referre PAULINAM AUGUSTAM, Maximini Imperatoris uxorem, quam fato functam divinis honoribus conſecravit; quapropter capite velato, Dearum more, exhibetur. Probe cum numis concordat, e quibus peraccurate excepta eſt.




TABULA XCIX.

IOANNES BALEONIUS.

QUamvis ob percelebre nomen eximii Scalptoris Io. a Castro Bononiensi multum pretii, dignitatis, raritatisque tribuant periti veterum elegantiarum aeſtimatores huic & ſequenti operi, quorum auctor fuit ea de re multis laudibus a Vaſario commendatus; tamen ſi ipſae Gemmae ſpectentur, antiquorum operum gloriam ac praeſtantiam fatendum eſt non ſolum referre, verum etiam aequare. Quantum decoris, gravitatis dignitatisque praeferat haec incluti BALEONII imago eminenti ſculptura e Chalcedonio exſciſa, nemo eſt aequus iudex atque huiusmodi raritatum peritus, qui bene non videat. De eius geſtis, quae ex Hiſtoricis monumentis explorata ſunt, nihil dico. Vides quanta in vultu, oculis, fronte, toto capite, pectore,

& veſtibus fulgeat peritiſſimi Opificis ſedulitas, labor, ſtudium, diligentia; ut quaſi voce & ſpiritu praeditam cenſeas mutam imaginem, qua nil pulchrius, nil elegantius, atque ad oris ſimilitudinem & veritatem propius nihil effingi potuit. Pro ſumma laude ſolum Ioannis nomen indicaſſe ſufficiat.



TABULA C.

MARGARITA PRINCEPS FARNESIA.

SEd quibus laudibus nunc celebranda erit eiusdem praeſtantiſſimi Caelatoris virtus ac praeſtantia, qui inter Scalptores, veluti alter divinus Bonarrotius inter Statuarios, inſignis cenſendus eſt, dum opere laborioſiore, plenoque maximis difficultatibus, anaglyptica caelatura Chalcedonio quaſi viventem & loquentem exhibuit MARGARITAM FARNESIAM, Principem eximiis animi ac corporis dotibus praeclariſſimam? Hanc Caeſar Carolus V. eius parens connubio iunxit Neapoli cum Alexandro Medice, quem ad Florentinae Reipublicae regimen evexit. Mox vero, Alexandro e vivis erepto, cum Octavio Farneſio matrimonio copulavit; quae ſecum e Mediceo Theſauro quidquid pretioſum, praeſertim ex lapillis & gemmis erat, in eam domum transvexit. In regendis in Belgio populis, eius prudentiam, humanitatem, pietatemque ſingularem commendat V. C. Muratorius (1).


In hac

(1) Annal. Ital. Tom. X. pag. 440.

In hac igitur admirandi operis Gemma eam vides in ipſo iuventae flore egregia forma radiantem; omnibus formoſi vultus lineamentis diligenti opificio ita exſcalptis, ut paene loquentem ac ſpirantem dicas. Capilli pluribus perelegantibus nexibus caput ambiunt & coronant; quibus nil pulchrius, nil emendatius effingi potuit. Circa collum veſtes, Hiſpanico cultu, itemque circa pectus, & brachia, circumeuntibus unionibus faberrime inſculptae, laudatiſſimae Principis aequant decus, & maieſtatem. Plus opificii, ſtudii, aerumnarumque video in ſolo capite huius eximiae feminae, quam in pluribus iam editis ex his Cimeliis, quas propoſuimus, Gemmis.



I






II









Z. Batta Brustolon inc.

III









Z. Batta Brustolon inc.


IV








V










VI










VII












VIII








IX








X









XI.









XII








XIII








Z. B. Brydelon inc.

XIV









Z B Bradshaw inc.

XV









Z.B. Brewtolon scul.

XVI








XVII





G. Batta Brustolon inc.


XVIII







XIX








XX








G. Batta Brustolon inc.

XXI








Medusae Caput


XXII









XXIII








XXIV










XXV








XXVI








XXVII









XXVIII








XXIX









XXX








Z.B. Brustolon Sculp.


XXXI









XXXII







XXXIII








XXXIV










G. Batta Brustolon inc.

XXXV









G. Batta Brustolon inc.

XXXVI






G. Batta Brustolon inc.

XXXVII








Z. Batta Brustolon inci

XXXVIII








XXXIX








XL








XLI





G. B. Brustolon inc.

XLII









G.B. Brustolon inc.


XLIII







XLIV









G. Brustolon inc.

XLV









G. B. Brustolon inc.


XLVI








XLVII










G. Brustolon inc.

XLVIII







G. B. Brustolon inc.

XLIX









G. Brustolon inc.

L







Z. Battã Brustolon inc.

LI










L II









LIII









LIV








LV








LVI









G. Batta Brustolon inc.


LVII









LVIII









LIX









LX










LXI








LXII









LXIII









LXIV








LXV








LXVI









Z. B. Brustolon inc.


LXVII







LXVIII









LXIX









LXX







LXXI









LXXII







LXXIII








Z. Batta Brustolon inc.


LXXIV








LXXV










LXXVI









LXXVII








LXXVIII









Z. Gio. Ba. Brustolon inc.


LXXIX









LXXX








LXXXI









LXXXII








LXXXIII







Z. Batta Brustolon inc.

LXXXIV


ANTONINUS PIUS
ET FAUSTINA


i Batta Bartolozi in.




LXXXV








LXXXVI








Z. B. Brustolon inc.

LXXXVII








LXXXVIII








LXXXIX







XC








XCI









XCII








XCIII








XCIV








Z. Batta Brustolon inc.

XCV








Z. Balla Bruloton inci.


XCVI









XCVII









Brustolon inc.


XCVIII









XCIX







Z. Batta Bruskolon inc.

C





